




177
H26j

IOANNIS HASFVRTI MEDICI, AC ASTROLOGI PRAESTANTISSIMI,


DE COGNOSCENDIS, ET MEDENDIS MORBIS EX CORPORVM COELESTIVM POSITIONE

Libri IIII.

Cum argumentis, & expositionibus IOANNIS PAVLLI Gallucij Saloensis, quibus non solum obscuriora redduntur aperta, verum nonnulla ad vsum necessaria addita sunt.

Quibus accesserunt in eandem sententiam auctores alij, quos sequens pag. indicabit.

Ad Perillustr. ac Reuerendissimum Xystum Vicedominum Mutinæ Episcopum.



Venetijs, Ex Officina Damiani Zenarij, 1584.

HERMETIS Trismegisti Iatromathematica

GALENI Pergameni Prognostica ex ęgroti decubitu.

MARSILII Ficini
- *De vita studiosorum tuenda.*
- *De vita longa.*
- *De vita cœlitus comparanda.*
- *De peste.*

IOANNIS Paulli Gallucij
- *De figura cœlesti erigenda.*
- *De parte fortunæ, & hepatis extrahenda.*
- *De Zodiaci diuisione.*
- *De planetarum dignitatibus tum essentialibus, tum accidentalibus.*
- *De temporibus ad medicandum accommodatis.*

PERILLVSTRI,
AC REVERENDISSIMO
XYSTO VICEDOMINO,
MVTINÆ EPISCOPO:
Ioannes Paullus Gallucius Saloensis
S. P. D.



MNI generi animantium, Perillustris, ac Reuerendißime Antistes, nedum homini naturaliter innatum est, vt se, corpusq́; suum tueatur, & quæcunque sibi obesse posse putat, penitus, si fieri potest, declinet, ac effugiat. Quam naturæ legem significat Paullus ille apud Ciceronem, cum iubeat Affricano filio, vt retineat animum in custodia corporis, neque iniussu eius, à quo ille datus est, ex hac vita migret, ne munus humanum illi à Deo aßignatum subterfugere videatur. Neque hac ratione solum voluit Deus, vt homines scirent se hac lege esse generatos: sed illud per Moysem nobis edixit; Non occides. Quod si rectè interpretemur, facile intelligemus, non solum hominibus interdici, ne alios, sed ne seipsos quidem

interficiant. Ex multis autem rationibus, quibus homines per suam necem munus sibi à Deo impositum defugiant; illa latè patet; quòd multi voluptatis illecebris alliciuntur ita, atque trahuntur, ut sæpissimè in morbos incidant; & ita morbis affecti non eam, quam oporteret, adhibent diligentiam, ut malas corporis affectiones à se penitus depellant: ex quo sequitur, ut ex hominum vita migrent, antequàm eos paterfamilias, à quo in hanc vineam missi sunt, die consumpto, liberauerit. Hanc igitur viuendi rationem qui suscipiunt, ut Naturæ, & Dei præcepta negligant; ijs quomodo aditus in cœlum, & in eorum cœtum, qui cum fuerint in terris sancti, in cœlis æuo fruuntur sempiterno, patere potest? Merito igitur tu Perillustris, ac Reuerendiss. Antistes non solum, ut pristinam valetudinem tum sacrarum litterarum studijs, tum longis, ac molestissimis itineribus iustis de causis susceptis, tum maximarum rerum occupationibus, amissam, recuperares; Venetijs medicos præstantissimos coegisti, verum etiam cum scias tum philosophiæ, tum sacræ Theologiæ studijs edoctus in hac re non postremas sibi partes Astrologiam vendicare; quid de hac re scripserint Astrologi, ut te lateret, minimè permisisti. Quamobrem cum ad tuas peruenerit manus hic liber de cognoscendis,

& me-

& medendis morbis ex cœlestium corporum positione Excellentißimi Medici, atque Astrologi Ioannis Hasfurti me eius interpretem (quod multa sub obscura sunt, & interpretatione egere videntur, adhibere voluisti. Quæ intellecta, quòd tibi magna, & iucunda visa sunt, à me, vt non solum interpretationem conscriberem, sed ad communem omnium vtilitatem typis traderem; precibus contendisti. Tu igitur cum fueris in causa, vt hæc conscriberentur, in lucemq; ederentur, hilari vultu, vt tua debes agnoscere, complecti, atque tueri: præsertim quòd huic, et Hermetis illius ter maximi de eadem re libellum, pariter & Galeni medicorum principijs alterum, vnà cum diuini Marsilij Ficini libellis de triplici vita adiunximus. Qui omnes tum rationem fruendæ valetudinis, tum medendi ægrotis, vt medici, & Astrologi ita tradunt, vt nihil vtilius hominibus, (his si diligenter operam dederint) ad bene viuendum contingere posse, existimem. Sic enim positæ, quoniam suaues miscetis odores: Horum igitur doctrinam, si (vt facis) non neglexeris, non dubito, quin, non solum pristinam valetudinem recuperes, sed recuperatam conserues; vt non solum munus humanum tibi à Deo impositum expleas, verum maiora onera, quæ tibi imponentur facilè sustineas. Id

enim


enim non solum ex mathematica ratione videor videre, sed ex ijs, quæ multis maiorem vim habere videntur. Fieri enim minimè potest, vt omnium virtutum chorus, quem in te esse omnibus compertissimum est, intereat (si virtus interire potest) antequàm suum munus penitus conficiat. Id autem fieri non potest antequàm habeas occasiones agendi maximas. Maximos igitur honores expectes oportet tuæ virtuti debitos. Quantus autem sit hic tuus rectus animi habitus cognouit olim multis argumentis Illustriss. & Reuerendissimus Ioannes Moronus Cardinalis, qui te Mutinensem Episcopum cooptatum voluit, teq; sæpe in maximis pro repub. Christiana negocijs adhibuit: huius rei testis est vniuersa Genuensis respublica, quæ ob id tibi memoriam maxima cum beneuolentia præstat. cognouit Roma singularem tuam doctrinam, quæ te non semel de rebus difficillimis disserentem, ac disputantem audiuit, et admirata est. cognouit Sereniss. Alfonsus Ferrariæ Dux tuam tum doctrinam, tum rerum vsum, qui te ad Hispaniarum Regem legatum ire voluit, vbi tuæ virtutis specimen omnibus ostendisti. Quid de tota Mutinensi ciuitate dicam, quam tum exemplis, tum doctissimis, ac pijs concionibus sæpe Christianam pietatem docuisti, & cum opus es doces?

Tam

Tam enim te diligit, amat, obſeruat, ac veneratur, vt nihil addi poſſe videatur. Cognoſcit tandem quicunque tecum familiariter verſatur, & ego in primis, qui te mirum in modo colo, atque obſeruo. Meritò igitur hic de tuis laudibus conticeſco, cum longè plures ſint, quàm quæ ab vllo in epiſtola narrari, nedum exornari poßint. Tuam valetudinem, vt facis, cures diligenter velim, & me in numero eorum, qui te ſumma veneratione proſequuntur, habeas vehementer etiam, atque etiam cupio. Vale. Venetijs Nonis Septembris 1584.



XENOPHONTIS BINDASSII IN IOANNEM PAVLLVM GALLVCIVM CARMEN.



ASSIDVIS olim precibus commotus Apollo,
Exoptans ægros arte iuuare sua:
Fratrem adijt supplex, cœlestia signa doceret
Exorans, medicam, qui venerantur opem.
Annuit, atque dedit terris, qui sidera noscens
Ex astris morbos pellere quoque sciat.
Atque etiam iussit, quæ cœlo accepta referret,
Mandaret chartis, consuleretq́ue nouis.
Iussa Dei fecit, verùm ipso morte perempto,
Scripta obscura alijs obriguere situ.
Id mœrens Phœbus; cœli facunde minister
Scripta olim, dixit, sint patefacta, rogo.
Mercurius fratrem amplectens, ait, irrita certè
Haud tua vota sinam, mitte adhibere preces.
Tum cœlo, terras omnes, vrbesq́ue videntem
Neptuni (dicunt) applicuisse domum.
Ac multos inter fama super æthera notos
Vnum elegisse tunc, cui sua iussa daret.
Accipias igitur lector, GALLVCIVS alto
Diuùm concilio quæ tibi plana facit.
Magna quidem authori primo; at non parua secundo:
Sed certè æqualis gloria vtrique datur.

INDEX RERVM, ET VERBORVM COPIOSISSIMVS.

Numerus paginam, a primam, b secundam indicat.

A

** Aquę

Capitis

Fœmininus

Humores

Literatę

Mathe-

Oppres-

Remedium

Signum

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Primus numerus paginam, secundus lineam, & a primam, b vero secundam indicat.

Pag.3.b l.35.sub qua. 4.a.l.24.motus. 4.b l.7. absyntium. ibid.l.2. paralisin. ibi.l.27.menthā, ibid.l.28.peripneumoniā,& vbicunq; reperitur sic corriga.ibid.l.2.phthisin.& sic in alijs locis, 10 b.l.12. per Piscib. repone Gem. 15 b.l.31. locis zodiaci, 19.b. in fine. principijs. 24.b.l.10. subsanatores.ibid.l.27.b.arcęi. 25 a in figura,& domo, 10.per Libra, ponatur Leo. 25. a l.3,partiliter.ibid.l.5. orbiū.29.b,l.5.effeceris. ibid l.12.hora 20. 30.a,l.3,secundæ.ibid.l.12.in maiori rotula.ibi.l.25 semicirculo.30.b,l.14.assolet,ibi l.15.& Lunā. 31. a in figura Fortunę 24. 31.b l.6.gradum Scorp.35.b,motus. 36.b,l.6. Hic habito.37.b. l 29. diamusci. ibidem, 30. 31.elect. 37 b,l.1.Luna existente ibid. l.4.oportet. 40.a, l. 34.gran. 5.48.a, l.17.brusci. 48.b,aqua menthæ absintij. 50.b,l.6.calami aromatici. 51.a,l.3.nō clarificatus. 51.b,l.12.cassięfistulæ. 53.a,l.21. in puluere. 53.b,l.21.eius correctiuū. 33. quod tā ibi quàm alijs locis est zinziberis. 55.a,l 2; & gra.8. 60.b,l.28.perperacutus. 61.a,l.8.Scorpione pręter verenda.ibid.l.34.coniunctio,Luna, Venere,impedit si Venus.64.a,l.1.de facile.ibid.l 23.applicari epithema.ibid. l.27.epithema ab. 65.l.24.fomentationē. 66.a,l.vltima,& ponere cum liquore. 67. b.vnc.1.5. vel. 75.b, l.21.cassiafistu. & l.28.diaprunis. 77.a,l.8.enula campana. 78.b, l.14.stercus vacinū. 80.a,l.5.anxietas. 80.b, l.25.peior. 83 a,l.19.nihil igitur opus est,ibi.l.13.hoc enim. 83.b,l,31.vt.7.14.86,b,l.5.huius rei ratione.ibi.l.12.quod &. ibid.l.14.in quo.87.a,l.3.pro Venere 100.gra.87.a,l.14.tradit viam. 93.a,l.15.debes erigere.98.a,l.2.hepatis. 95.a,l.1. dictum est. 98 b. l. 1. effeminari.2.fęminina.ibid l.20.oportet 102.a,l. 38.ad aliquod.97.a,l.11.H.opposito quę.104.b.l.vltima Rubea, 105.b.l.22.infirmi.106.b.l.2. maximum.ibid. l.14. sentitur.ibid.l.28.febribus.107.l.27.significat.111.a.l.16.diuersitatem.118.a,l.21.contingent.ibid.l.29.Ficinū,in lib.de vita cœlitus.ibid.b, l.3.Hasfurti 119.b,l.1 per tenebras.119.b,l.35.configurata.120.a,l.11. habent i.linc etenim duodecim.ibid.l.23.queant.122.a,l.29.velox.ibi.l.30.alto somno oppressi infrigidari. 129.a,linea patior,134.b,l.32.veteribus. 136.b, electissimi. 140.a,l 12. eligo.146.a l.2. & resolutio fugienda.151.b,l.1.senes.157.b,l.25.lumen.160 a,l.3. MEDICI. 163.b,l.32. Indus Hiarchæ.164 b l.4 esset.ibi.l.9.martium.168.b,l.14.Prisci 170.a,l.7.planetam. 171.a,l.21.Mutare locum quemuis.184.b,l.1.quantam.179 b,l.19 figuris. 187.a,l.16.suauitateque. 194.a,l.32.2Nere. 199.b l.3. ineptus. 229.b,se renouet.223 a,l.10.subtraho.


DE COGNOSCENDIS, ET MEDENDIS MORBIS

Ex corporum cœlestium positione,

LIBER PRIMVS.

SVMMA CAP. I.

Quid sit Astronomia, & Astrologia docet, Astronomiam sine Astrologia esse scientiam, non autem Astrologiam sine Astronomia; quibus autem in rebus vtraq; versetur diligenter enumerat.



TOLEMEVS primo quadripartiti duas dicit esse res magnas, & præcipuas: quibus perficiuntur prognosticationes stellarum. Quarum prima est scientia Solis, & Lunæ, necnon & quinque stellarum erraticarum, figuras demonstrans, quas suorum motuum causa, & vnius ad aliam, eorumque ad terram collationem contingere manifestum est. Et hæc res Astronomia dicitur a nomine Astrō, quod stellam notat, & nomos, regula, quasi scientia de regulis, & motibus stellarum, tractat enim de circulis, & orbibus planetarum, eorumque motibus. Solis & Lunæ deliquium manifestat, rotunditatem terræ inuestigat, longitudinis, breuitatisque diei, noctisque causam assignat. Mundum denique in septem climata distinguit. Ortus, & occasus signorum rimatur, necnon & stella-

rum erraticarum, & fixarum motus, eorumdemque applicationes vnius ad alterum docet. Et hæc scientia per se est completa sine Astrologia, vnde & quis addiscere potest Astronomiam non intromittendo se de Astrologia.

Secunda vero res de qua Ptolomeus loquutus est. Est sciẽtia, qua explanantur mutationes, & opera, quæ accidunt, & complentur propter figuras circuitus earum naturales, eis in rebus, quas circundat, & hæc res secunda Astrologia dicitur, a nomine Astron & logos: sermo: quasi scientia vel sermo de stellis. Docet enim prognosticare effectus: mutationes: & opera: quæ contingunt per varias configurationes, seu aspectus planetarum, & stellarum in rebus inferioribus, vti sunt bella Mortalitates, Charistia, pluuia, Tonitrua, Ventus & alia istius mundi accidentia. Et Astrologia per se non est 1. scientia completa, sed pręsupponit Astronomiam nec homo potest scire Astrologiam sine Astronomia. Nam Astronomia est de causis. Astrologia, de effectibus; effectus enim scire non possunt, nisi in cognitione causæ; res certa est corpora cœlestia rerum inferiorem esse causas, quinimo, secundum diuersam stellarum adinuicem habitudinem diuersi in hoc mundo præsignantur effectus. Inquit Ptolomeus 2. in libro Centum verborũ verbo nono. 3 Vultus huius seculi subiecti sunt vultibus cœli. Et influxus cœli mutabilitatem & variabilitatem recipit ex rebus, primo elementorum ratione, per quæ ad hæc inferiora dirigitur. aer enim per quem fit influxus cœlorum, ad hæc inferiora non semper vniformiter se habet, sed instabilis est & mutabilis, vnde dixit Ptolomeus primo quadripartiti. Elementum aeris in quo fit operatio de hac scientia non est stabile nec moratur ex vno modo, & propter hoc est graue intelligere apparatum qui fit in aere. Secundo, influxus cœlorum mutatur ratione materiæ, in quam suscipitur; dicitur enim sexto Methaphisicæ. Materia est radix contingentiæ & variationis, vnde rectè dicit Ptolo. in centum verbis, Verbo quinto. Astronomus optimus multum malum prohibere poterit, quod ex stellis venturum est, cum earum naturam præstituerit: sic enim præmuniet eum, cui malum futurum est, vt possit illud pati. Tertio, influxus cœli immutari potest voluntate diuina, sicut legitur de Esaia & Helia, quarto Reg: vigesimo capite. Quorum vnus impetrauit orationibus a Deo prolongationem diei, alter verò, vt non plueret super terram. Impetrauit & demum Ezechias vitæ prolongationem annorum quindecim. Vnde dixit auctor Iudicum. Ipse pius creator, naturam volens naturauit, idem pius quando vult naturam facit claudicare.

Scientiæ

EXPLANATIONES.

1 Scientia completa. *hoc loco neq; alijs, vbi Astrologia dicitur scientia, licet principijs Astronomiæ innitatur, scientiæ nomen propriè intelligendum est, vt & ipse auctor sentire uidetur, cum doceat non semper euentus prædictionibus astrologorum respondere.*

2 Ptolomeus in lib. centum verborum. *Periti non existimant hunc esse Ptolomei, sed Hermetis librum.*

3 Vultus. *quæcunque fiunt in terris, fiunt ab ijs causis, quæ in cœlis sunt, præter ea, quæ a libera voluntate uel Dei, vel hominis fiunt, uel cum sint hæc illarum causarum effectus, sunt suis causis similia. De hac tamen re uide Marsilij Ficini, cap. xiij. lib. de uita cœlitus comparanda. quem in hoc uolumine habes.*

SVMMA CAP. II.

Enumerat Zodiaci signa, naturam eorum explanat, quibus nostri corporis partibus dominentur, qui colores, & sapores eis natura respondeant, quos morbos efficiant, & quibus ex quatuor, vt dicunt, humoribus, præsint, edocet.



RIES, primum signum. Est igneum, calidum propriè, & siccum, a proprietate, & præest calido, & sicco vegetatiuo ad vitam, & ad incrementum, atque ad nutrimentum animantium, & germinum apto, masculinum, diurnum, mobile, Equinoctiale. Vernale, Tortuosum, Obliquum, Septentrionale, & est cor partis orientalis terræ, Et habet hæc infra scripta.

Caput	Dolorem dentium	Saporem dulcem
Faciem	Morpheam	Colorem rufum
Oculos	Epilepsiam	
Aurem	Maculas faciei	

TAVRVS, secundum Signum. Imprimit frigiditatem, & siccitatem temperatam, parum, aut nihil impedientem, sed agris, germinibus, vegetabilibus, omnibusque animantibus proficuum. Est Signum terreum, fœmineum, nocturnum, meridionale, sinistrum, & tortuosum. Et habet sub se,

Collum	Scrofulas	Infirmitates colli
Guttur	Bocium	Colleram nigram aliquantulũ tẽperatã

Saporem dulcem cum ſtipticitate, vt in Gallis,
Colorem viridem, & album citrino mixtum.

GEMINI, Tertium Signum. Agit in Aerem imprimendo in illum caliditatem & humiditatem temperatam, confortantem naturam, & calorem naturalem, & indiuidua ſpecierum, & facientem germinare ſemina. Eſt ſignum maſculinum, diurnum, occidentale, dextrum, commune, tortuoſum, & aereum. Et habet ſub ſe.

Spatulas		Saporem dulciſsimum
Brachia	Et eorum ægritudines ex ſanguine	Calorem varium
Manus		aut album rubeo mixtũ.

CANCER, quartum Signum, frigidum, & humidum; temperatum, idoneum rerum naturæ & nutrimentis, habetque humiditatem ſuſtentatiuam, & temperatam, per quam fit motus naturæ ad dandum dulcedinem, & nutrimentum, quibus nutriuntur, & viuunt animalia, & vegetabilia. Eſt & Signum Fœmininum, nocturnum, cor ſeptentrionis, mobile, æſtiuum, ſolſticiale, & eſt ſignum rectum. Habet quoque hæc infra.

Pectus	Impedimenta oculorum	Saporem acetoſum, & ſalſum
Mammillas	Scabiem	Colorem album
Ventrem ſuperiorẽ	Impetiginem	Puluerinum
Splenem	Serpiginem	Lentigines ſicuti eſt color fumoſus
Pulmonem	Lepram	
Illarumque præcipuas ęgritudines		Maculas faciei

LEO, quintum Signum. Et iuxta Iulium habet omnes cordis, præcordiumque ægritudines. Agit in ignem inferendo in illum caliditatem & ſiccitatem remotam a temperamento, ita quòd ex illa remotione fit initium motus naturalis, ad impediendum fructus, & folia arborum, herbarumque; & ad faciendum illa declinare ad latus deſtructionis cum matureſcunt, quæ maturatio quodamodo deſtructio eſt, & quod tunc pauca ſemina ſint, quæ germinant. Eſt ſignum maſculinum, diurnum, fixum, rectum, igneum, orientale, ſiniſtrum, Et habet hæc infra.

Pectus	Cor	Saporem amarum, & acutum
Stomachum		Colorem croceum ad rubedinem tendentem & rubeum
Diaphragma	Et eorum infirmitates	
Spinam dorſi		

VIRGO, ſextum Signum. Agit in terram imprimendo in eam frigi-

frigiditatem & siccitatem minus temperatum, magisque propinquam destructioni, gratia cuius, vegetabilia detrimentum & diminutionem patiantur, & retardentur herbæ, & cadunt arborum folia, & deficiunt, tamen non est eius frigus ita a temperamento remotum, quin licet quædam destruantur: quædam tamen alia generentur: & quædam semina germinent: & quædam herbę nouiter crescant, & nascantur. Est & signum Fœmininum, nocturnum, meridionale, dextrum, bicorporeum, commune, rectum, terreum, melancholicum, nocturnum, hæcque infra sibi subiacent.

Venter	Diaphragma,	Et illorum ęgritudines, & passiones, &
Intestina		omnes infirmitates, cuius radices sunt

ex Melancholia, seu Cholera nigra.

LIBRA Septimum signum. Agit in aerem inferendo in illum caliditatem & humiditatem distemperatam ipsum densans, & inspissans, faciens ipsum commixtum & vertibilem in indiuiduis & speciebus, seminibus, herbis, & frondibus arborum. Est & masculinum, diurnum, Cor Occidentale, mobile, æquinoctium autumnale, rectum, aereum. Et habet.

Renes	Nates ab vmbiculo vsque ad Clunes
Vertebras	Tenebrositatem visus
Fęmora	Retentionem vrinæ & ægestionum
Lumbos	Sanguinis fluxum per inferiora
Saporem dulcem	Colorem viridem, violaceumque

SCORPIO, Octauum signum. Agit in aerem inferendo frigiditatem, & humiditatem elongatam à temperamento, gignens potius corruptionem, quàm generationem. Est & fœmininum, nocturnum, Septrentionale, Sinistrum, Mendosum, Fixum, Rectum. Et habet sub se.

Anum	Maculas facici	Fistulas	Hæmorrhoidas
Pudenda	Scabiem	Difficultatem secessus	Calculum
Lepram	Ilcon		Tenesmum
Vesicam	Cancrum		

Et a xxj. gradu, vsque ad xxiiij. indicat oculorum impedimenta.

SAGITTARIVS, Nonum signum, Habet caliditatem & siccitatem remotam ab omni temperamento, quæ faciunt ad destructioctionem seminum, & herbarum. Et ad offensionem multorum animalium. Est & signum Masculinum, diurnum, orientale, dextrum, rectum, igneum, & commune. Habet hęc infra.

Coxas	Febrem	A xv. gradu vsque ad xviij.
Fœmora	Casum ab alto	significat impedimenta oculorum

Verenda

Verenda Infirmitates occasione malarum bestiarum.

CAPRICORNVS, Decimum signum. Habet frigiditatem & siccitatem distemperatam, destruentem, & mortificantem herbas, arbores,& semina. Et si arbores frondescant vel florent,hoc non nisi casualiter fit. Est signum Fęminium, nocturnum, cor meridionale, solstitiale, hyemale, mobile,tortuosum,terreum,melancholicum. Et habet hæc infra.

Genua eiusque ægritudines.

Scabiem	Caliginem occulorum
Lepram	Febres
Amisionem loquelæ	Fluxum sanguinis per inferiora
Mutitatem	Et a xxij. gradu vsque ad xxv.
Surditatem	significat impedimenta occulorum
Saporem amarum ponticum	Colorem nigrum puluerinum

AQVARIVS, Vndecimum signum. Habet caliditatem,& humiditatem distemperatam,nociuam,& impedientem,destruentem,indiuidua specierum semina, & vegetabilia. Est signum masculinum, diurnum,occidentale, sinistrum, fixum, trotuosum, aereum.Et habet hæc sequentia.

Tibias cum suis morbis — Icteritiam nigram

Venarum incisiones A xx. gradu vsqne xxv. significat super oculorum dolores — Colorem viridem

Citrinum & puluerinum.

PISCES, Duodecimum signum. Agit frigiditatem,& humiditatem distemperatam, & nociuam, per quam fit motus naturæ ad destruendum animalia,& semina propter corruptionem,& amaritudinē & fęditatem, quas infert actus piscis in aquam. Et est signum Feminium,nocturnum,septentrionale, dextrum, bicorporeum, tortuosum,aqueum,mutum.Et habet.

Pedes,& ægritudines pedum, Podagram, Scabiem

Lepram, Paralysim. Et est signum omnino morbosum & phlegmaticum. Saporem acutum,salsum,insipidum

Colorem viridem,album.

EXPLANATIONES.

Illa cœli pars qua tum sol, tum reliqui planetæ motu, atque cursu proprio in Orientem tendentes peragrant, ab animalium imaginibus, & formis, quas prisci uiri effinxerunt, Zodiacus dictus est. Aristoteli circulus obliquus. Hic autem differt a reliquis sphæræ circulis, quòd duodecim graduum latitudinem

habet.

habet. Diuiditur primum in quatuor partes, & quælibet harum tria continet signa, primũ quorũ qui ♈ est, dicitur mobile ratione mutationis tẽporis anni: ex hyeme enim fit uer. secundum signum est ♉ & dicitur fixum, quòd eo tempore suum statum uer habeat. Tertium signum est ♊, quod est commune, quòd tunc anni tempus sit ueris, & æstatis. particeps: idem dicendum est de reliquis tribus partibus. Hoc est quod dicit auctor alia signa mobilia, alia fixa, alia communia. quodlibet autem signum in triginta partes; qui gradus a solis gressu dicuntur, diuidi solet. sol enim quotidie gradum unum paullo plus pertransit. sol enim annua conuersione totum Zodiacum percurrit, qui in 360. gradus diuiditur. & anni dies sunt 365. ¼ ferè.

Signum rectum, vel rectæ ascensionis illud est, cum quo maior pars æquinoctialis circuli oritur vt est cancer, quod cum sit, ut dictum est, in triginta gradus, diuisum secum cooriuntur triginta sex gradus in nostris regionibus. Obliquę uero ascensionis sunt ea, quibuscum minor pars oritur ęquinoctialis circuli, vt est aries, quo cum oriuntur tantum gradus 17. Ascendunt rectè ♋. ♌. ♍. ♎. ♏. ♐. oblique uero. ♑. ♒. ♓. ♈. ♉. ♊.

Signa masculina sunt imparia in numerãdo si incipis ab ♈. fœminina uerò paria, ob id dicta per quandam similitudinem. Nam ut uir fęminæ præstat robore, ita, & masculina signa pręstant fœmininis quadam efficiendi, vel significandi ui. Masculina sunt ♈. ♊. ♌. ♎. ♐. ♒. fœminina ♉. ♋. ♍. ♏. ♑. ♓.

Aequinoctialia signa sunt aries, & libra quod dum illa ingreditur sol fiunt dies noctibus ęquales, quod bis in anno accidit mense Martij, & Septembris.

Solstitialia item duo signa sunt ♋, & ♑ quod tunc cum sol nonnullos dies antequàm illa ingrediatur, & postquam ingressus est, videtur ratione sui modus stare, idest non progredi, & cum sol ingreditur ♋ fit nobis dies maximus cum ♑ fit minimus.

Nocturnum signum & diurnum ad idem spectat, quòd masculinum & fœmininum sed diuersa ratione. Nam masculinum dicitur diurnum, & fœmininum nocturnũ, quod agendis rebus longe præstat ut homines fęminis. sic dies noctib.

De orientalitate & occidentalitate signorum uidebimus, in cap. 6.

SVMMA CAP. III.

Planetas enumerat eo ordine, quo positi sunt, & eorum naturam explanat quæ res quæ hominis membra, qui morbi illis subijciantur, quique colores, atque sapores docet.



ATVRNVS. Est frigidus & siccus, non mutans frigiditatem, quia est qualitas actiua, sed quandoque siccitatem, quæ est qualitas passiua, fit quandoque ex accidenti humidus, dicitur & infortuna maior diurnus, & masculinus. Et habet infra scripta.

	Cucurbitas	Arbores speciosas fructu carentes	
Cucumeres	Cincinum	Casseam	Absinthium
Glandes	Rutam	Dextram aurem	
Palmam	Cepas	Splenem	Vesicam
Vites	Aloen	Cholerã nigrã Atram bilem	
Mirrham	Cerussam	Pthisim	Paralypsim
Storacem	Coloquintã	Catarrum	Hydropisim
Icteritiam nigram		Ventris solutionem.	
Cancrum		Spasmum	

Tremorem Pestiferum humorem Et ægritudines, quæ frigoris occasione prouenient. Saporem ponticum, seu stipticum linguã stringens. Colorem nigrum, puluerinum, siue Cinericium.

IVPITER secundus in ordine Planetarum, operatur per suam naturam caliditatem, & humiditatem temperatam, aeream & sanguineam, & est fortuna maior, diurnus, masculinus. Est & Iupiter humidus propriè, & calidus proprietate. Et habet hæc infra scripta.

Nuces	Crocum	Aurem sinistram
Amigdalas	Sandalum croceum	Epar
Fisticos	Camphoram	Costas
Pineas	Macem	Pulmonem
Muscum	Zuccarum	Sperma cum sanguine
Ambram	Mentam herbam	Squinanciam
Rosam	Herbas odoriferas	Peripleumoniam
Spasmum	Cephaleam	Lethargum

Cordiacam Apoplexiam. Et generaliter omnes infirmitates prouenientes ex abundantia sanguinis, & eius corruptione; subitò tamen transeuntes.

Saporem dulcem, Colorem rubeum ad album declinantem, & viridem. Citrinum, ceu glaucum, alij planium celestinum, & brunum.

MARS, Operatur per suam naturam calorem, & siccitatem distemperatam, igneam, & cholericam. Est tamen siccus propriè & calidus appropriatè. Et est Mars infortuna minor, nocturnus, Masculinus. Et habet hæc.

Piper	Cicutam	Album
Scamoneam	coccognidion	Sandalum rubeum

Eufor-

Euforbium Porrum Narem dextram
Sinapium Prasſium Epar cum Ioue
Febrem tertianam, continuam, Cauſonem,
Empiema Hemicraniam Eriſipelas
Ignem ſacrum Apoſtemata rubicunda
Infirmitatesque fellis. Et omne incommodum ex nimio calore, & meatu ſanguinis proueniens.

SOL operatur calorem, & ſiccitatem temperatam, bonus cum bonis aſpectibus aliorum. Malus in aſpectu malorum, maſculinus, diurnus. Et habet.

Palmas Oliuas Dactilos Ficus
Mora Ceruſa Laurum Roſas
Flores roris marini Poma Crocum
Spicanardi Lignum aloes Sandalum
Omnes ſpecies calidas, & ſiccas Vinum citrinum
Oculum dextrum Cerebrum Medullam
Cor Neruos Dextram partem totius corporis
Choleram rubeam Aegritudines oris
Rheuma, & fluxum ad oculos Catarrhactam
Comeſtionem carnium in ore Frigiditatem ſtomachi, & Epatis
Molliciem ægeſtionis Fiſtulas Puſtulas matricis, & partium inferiorum, Colorem rubeum, Saporem pungitiuum.

VENVS, frigida, & humida temperatè, fortuna minor, & habet
Crocum Roſas Dactilos Muſcum
Ambram Balſamum Margaritas Narem
Dextram Epar Vmbilicum Anchas
Renes Spinam dorſi Pudibunda Vuluam
Matricem Sperma Fiſtulas Aegritudines circa gẽitalia
Molles egeſtiones ſanguinis Frigiditatem ſtomachi
Epatis, Cordis Apoſtema, Saporem dulcẽ Inſipidum, Colorem album declinantem ad viriditatem.

MERCVRIVS planetarum ſextus, in maiori parte deſiccat, & æqualiter humectat. Deſiccat enim cum Soli applicet, eſt & tunc opus ſuum in calefaciendo, & ſiccando, ſed eius humectare eſt propter vim ſuam, qua commiſcetur cum illa Lunæ, quæ eſt poſita ſub eo. Et eſt opus ſuum ſicut opus Lunæ, vnde & conuertibilis naturæ dicitur, cum bonis bonus, cum malis malus, cum maſculinis maſculus, cum fœmininis femella, & ſic de alijs. Et habet hæc infra ſcripta.

Bombacem Cerebrum Vomitum Piper Linguam
Febrem quotidianam Zinziber Os, Pthiſim, Spicanardi

Nares Maniam Melancholiam Neruos Epilepsiam
Gummi. Fel. Tussim. Sputi abundantiam
Et alias ægritudines, quę ex incognita siccitate proueniunt.

LVNA, vltima stellarum Erraticarum, est frigida, & humida, parumque calefacit, maior tamen eius vis est humectare. Quod autem aliquantulum calefacit, sensus indicat de vermibus, qui in lardo, quem lunares radij attingunt, generantur. Calidum enim agens in humidum, viscosum & pinguefacit putredinem, ex qua animalia generantur. Et habet hæc infra.

Cucurbitas Melones Cucumeres Citrullos
Oculum sinistrum Stomachum Ventrem Mulierum pudenda
Pectus, & latus sinistrum corporis Paralysim
Guttam caducam Vultus obliquitatem Membrorum commotionem, & ægritudines ex neruorum opilationibus prouenientes.

EXPLANATIONES.

Infortuna maior dicitur. *Dubitatur an christianè dici possit quis planeta infortuna cum in Biblijs scriptum reliquerit Moyses. Quæcunque fecerat erant valde bona. Hæc quæstio, ni fallor, dupliciter solui potest. primò erant valde bona si conferantur ad huius vniuersi ordinem, mala verò si ad hunc vel illum hominẽ, & cætera, quæ ab infortunis læduntur. Secundo tunc erant valde bona, sed nunc ob primi parentis culpam hominibus mala sunt.*

Diurnus, masculinus, nocturnus, fęmininus, *quod dictum est de signis, illud idem in hunc locum transferri potest. Nam vbi plurimum est humiditatis ibi genus est fœmininũ ☽ igitur, & ♀ fœmininæ sunt ♄ ♃ ♂ & ☉ masculini ☿ vero communis naturæ censetur.*

Nocturni verò Planetæ dicuntur ☽ ♀ ♂ diurni uerò ☉ ♃ ♄ Mercurius verò communis: ut idem in omnibus uideatur esse diurnum, & masculinum, nocturnum & fœmininum, præterquam in ♂, qui etsi est masculinus, tamen est nocturnus, quod propter noctis humiditatem eius calorem temperantem in nocte melius se habet, quàm in die.

De ijs autem rebus, in quibus planetarum naturæ insunt non hic solum multa enumerantur, sed in lib. de uita cælitus cõparãda Marsilij Ficini plura habebis, quem cum hoc libello propter hanc causam maximè excudendum curauimus.

Mercurius communis est. & eius naturam suscipit, cum quo iunctus est, & si nulli iungitur, in cuius domo, uel exaltatione uersatur.

Non ab re mihi uidetur facere, si addidero, quid de hac re sentiat Ptolemæus. quidque Cardanus auctor locupletissimus, ut lector utrunque obseruando uideat, quid magis ad ueritatem accedat, & peritior euadat. Hæc Valentinus Noibod in Alcabitium.

♄ habet auctore
- Ptolemeo
  - Auditum dextrum.
  - Vesicam.
  - Splenem.
  - Pituitam, & ossa.
- Cardano
  - Auditum dextrum.
  - Vesicam.
  - Splenem.
  - Melancholiam.
  - Pituitam crudam non naturalem
  - Chartilagines.
  - Ligamenta.

♃ habet auctore
- Ptolemeo
  - Tactum.
  - Pulmonem.
  - Arterias.
  - Semen.
- Cardano
  - Tactum.
  - Pulmonem.
  - Sanguinem.
  - Iecur.
  - Carnem.

♂ habet auctore
- Ptolemeo
  - Auditum sinistrum.
  - Renes.
  - Venas.
  - Pudenda.
- Cardano
  - Auditum sinistrum.
  - Renes.
  - Fel.
  - Bilem.
  - Intestina.
  - Sedem.

☉ habet auctore
- Ptolemeo
  - *Visum.*
  - *Cerebrum.*
  - *Cor.*
  - *Neruos.*
  - *Dextra omnia.*
- Cardano
  - *Oculum dextrum.*
  - *Cor.*
  - *Arterias.*
  - *Sanguinem in arterijs contentum.*

♀ habet auctore
- Ptolemeo
  - *Olfactum.*
  - *Nepar.*
  - *Carnem.*
- Cardano
  - *Olfactum.*
  - *Gustum.*
  - *Semen.*
  - *Vasa seminaria.*
  - *Pudenda vtriusque sexus.*
  - *Ventriculum.*

☿ habet auctore
- Ptolemeo
  - *Sermonem.*
  - *Mentem.*
  - *Rationem.*
  - *Linguam.*
  - *Fel.*
  - *Sedem.*
- Cardano
  - *Neruos.*
  - *Mentem.*
  - *Rationem.*
  - *Memoriam.*
  - *Digitos.*
  - *Spiritum.*

☽ habet auctore
- Ptolemeo
  - Gustum.
  - Gulam.
  - Stomachum.
  - Vuluam & sinistra omnia.
- Cardano
  - Cerebrum.
  - Oculum sinistrum.
  - Pituitam naturalem.

Operæprecium est etiam intelligere, quos morbos singuli planetæ gignant, quando hic de morbis agitur, quod nos ex optimo auctore collegimus, præter ea quæ auctor ipse docet.

Ex ♄ omnes morbi frigidi, qui ex defluxione humorum oriuntur, vt sunt podagra, lepra, scabies, cancer, paralisis, tabes, ictera nigra, quartana febris, illiaca passio, hydrops, pituitosi catarri ad pulmones, & pectoralia, tussis, & similes melancholicæ. & saturninæ infirmitates.

Ex ♃ Peripneumonia, Apoplexia, Pleurisis cardiaca, Angina, spasmus, siue conuulsio, & stupor, inflammationes hepatis, dolores capitis, passiones spinæ dorsi, item ventositates in corpore, sanguineæ febres, & morbi, qui ex flatibus aut fœtore, aut putrefactionibus oriuntur.

Ex ♂ Apostemata feruentia. acutæ febres, vulnera, presertim in facie, morbi acuti, febres tertianæ, continuæ, & intermittentes, icteritia flaua, erisipelæ, carbunculi, fistulę, epilepsiæ, disenteriæ, ac similes ægritudines calidæ, & siccæ.

Ex ☉ syncope παλμὸς, καρδιακή, spasmus, cholera rubra, ophthalmia, fluxus oculorum, catarrus, frigiditas hepatis, & stomachi, pustulæ matricis, & partium inferiorum.

Ex ♀ Passiones matricis, suffocationes, gonorrhæa, diabethe, hepatis, & stomachi imbecillitates ex causa frigida, & humida, scabies gallica, lienteria, frigus stomachi. &c.

Ex ☿ mania, priuatio sensus communis, lethargia, deliria omnis generis, balbuties, & lingue impedimenta raucedo, morbus caducus; tussis, abundantia sputi, opilatio fellis, vomitus, catarri ex abundantia humorum in capite, & omnes morbi melancholici.

Ex ☽ epilepsia, Paralisis, colica, catarri, menstrua, lienteria, Hydrope, phlegmatica apostemata, & egritudines prouenientes ex opilatione venarum.

Animaduertendum tamen est non in quolibet signo planetas omnes hos efficere morbos, sed modo hunc, modo illum pro ratione tum signi, tum locus cæli, tum adspectus ad luminaria.

SVM-

SVMMA CAP. IIII.

Singulos planetas omnibus corporis partibus dominari, sed alios alijs in signis, & quibus ratione signi in quibus sunt in septem tabellis describit.

HABENT Namque Planetæ speciales influentias super humani corporis membra ob existentiam eorum in signis, vt in Ariete, Saturnus habet pectus. Iupiter ventrem. Mars caput. Sol fœmora. Venus pedes. Mercurius crura. Luna genua. Et sic de alijs Planetis, vt sequens figura ostendit.

	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
♈	Pectus	Ventrẽ	Caput	femora	Pedes	Crura	Caput Genua
♉	ventrẽ	Dorſum	Collum	Genua	Caput	Pedes	Collum Crura
♊	ventrẽ	verenda ſuccedẽ.	Pectus	Crura Talos	collum	Caput	Brachia humeres Femora
♋	Virilia	femora	Pectus	Pedes	brachia Hume: Cor	Oculos Guttur	Caput Pectus ſtomachũ
♌	Verẽda	Genua femora	vẽtrem	Caput	Cor	Guttur Hume:	Collum Cor Stomach.
♍	Pedes	genua ſuccedẽ	vẽtrem	collum	Ventrẽ ſtoma-- chum	Cor	humeros dyaphrag.
♎	Genua	Caput Oculos	Verẽdã	Hume	Caput	Ventrẽ	Cor Ilia Nates
♏	cauillas	Pedes	Caput brachia femora	Cor	Verẽda ſuccedẽ	Dorſũ	Ventrem Verenda
♐	Pedes	Caput Crura	Manus Pedes	Ventrẽ	brachia femora	Cor Verẽda	Dorſum Femora
♑	Caput Pedes	Oculos Genua	Hume: Crura	Dorſũ	Cor femora	Verẽda ſuccedẽ.	Femora Genua
♒	Caput collum	Hume: Pectus Pedes.	Cor cauillas	Verẽda	Genua	Cor femora	Verenda Tibias
♓	collum hume: brachia	Caput Cor	Ventrẽ Cauill:	femora	collum dorſum	Verẽda Crura	Femora Pedes

EXPLANATIONES.

Auctoris verba ita plana, & aperta sunt, vt interpretatione non egeant.

SVMMA CAP. V.

Docet, quæ corporis partes, quiq; morbi sint singulis cœli domibus subiecti, ob id ratione domus vel benè, vel malè afficiuntur.



DISTINXERVNT astrorum periti, totum globum cœli in partes duodecim, quas domos cœli vocauere, quarum sex semper supra horizonta visui se præbent, aliæ vero sex sub horizonte occultantur, de quibus latiùs in sequentibus tractabitur. Et his domibus attribuuntur singulatim membra corporis humani, ita quòd prima domus habeat caput, oculos, faciem, aures, polipum, orisque fœtorem. Secunda domus, collum, guttur, glandulas, & sic de singulis, vt infra.

PRIMA DOMVS, habet caput, oculos, faciem, aures, polipum, orisque fœtorem.

SECVNDA domus, collum, guttur, glandulas.

TERTIA Domus, humeros, brachia, manus.

QVARTA, Pectus, Pulmonem, Isophagum, Splenem.

QVINTA, Stomachum, Epar, Cor, Neruos, Latera, Dorsum.

SEXTA, Inferiorem ventrẽ cũ intestinis, colon vsq; ad podicẽ.

SEPTIMA, ab vmblico vsque ad clunes, cum Ilijs, femoribus, renibus & lumbis.

OCTAVA. Vesicam, pectinen, genitalia, spinam dorsi, Ileon, tenasmon, stranguriam, calculum, hæmorrhoidas

NONA. Caua, hepatis, coxarum medietatem cum clune.

DECIMA. Coxarum partem inferiorem & genua.


VNDECIMA. Crura vsque ad talos.

DVODECIMA. Pedes cum podagra.

EXPLANATIONES.

De modo erigendi figuras cœli qualibet hora, horæque momento discas oportet

cet ex ephemeride, ubi videre licet, quę cęli domus sint, & quę prima, quæq; secunda, aut tertia sit: quod & ex sequenti figura videbis. His quoque habebis in sequentibus libris regulam, qua idem facillima ratione facere possis, scias præterea, quòd uel cæcis ipsis notum est, quòd diuersis temporibus diuersæ cœli partes sunt per domos distributa: semper tamen prima domus significat caput, secunda collum &c. Sed ei tantum, qui tunc vel natus est, vel incidit in morbum, cum illa pars cęli ita se habebat. Hęc inquam significatio est ratione domus tantum, non ratione planetarũ, neque signorũ.



De his domibus vide cap. vltimo huius primi libri.

SVMMA CAP. VI.

Enumerat dignitates, quas singuli planetæ in signis habent, quæ sunt domus, exaltatio, triplicitas, terminus, & facies; quibusq́; partibus signi singuli planetæ dominentur, edocet.



STRORVM obseruatores binas potestates, seu dignitates, attribuere stellis erraticis, essentiales, & accidentales. Dignitas essentialis, attribuitur stellæ ratione suæ propriæ naturæ, necnon & signorum, & stellarum fixarum, quæ sunt de natura, & essentia sua, vt Sol cum in leone deuoluitur, dicitur esse in dignitate, & potestate sua essentiali: quoniam in Leone multæ sunt stellæ fixæ de Solis natura, quæ fortificant naturam eius quintupliciter. Simili modo dicetur de Luna, cum in cancro reperitur: omne enim simile suo addito simili ipsum fortificat. Accidentalis verò dignitas, non inest Planetis a proprijs naturis eorum, sed illis aduenit, aut ratione domorum cœli, aut in comparatione vnius ad alterum, sicuti sunt gaudia planetarum, Orientalitas, Occidentalitas, Septentrionalitas, Meridionalitas, Almugea, Ductoria, Combustio, & sic de alijs, de quibus infra. Et sunt quinque dignitates essentiales planetarum. Domus videlicet, exaltatio, triplititas, terminus & facies. Et cum Planeta reperitur in sua domo, fortificatur eius operatio quintupliciter. Sed si comperitur in sua exaltatione, quadruplicatur fortitudo eius. Si in triplicitate, triplicatur. Si in termino suo fuerit duplicatur. Sed si faciem suam possideat, tunc additur illi vna potestas, super suam naturalem potestatem.

DE PRIMA DIGNITATE, quæ domus appellatur. Ex vetusta antiquorum obseruatione, singularique fortitudinis Planetarum, experientia de duodecim signis zodiaci, Capricornus, & Aquarius, pro domicilijs Saturni deputati sunt. Aries verò & Scorpius, pro domicilijs Martis, & sic de alijs, vt in figura sequenti.

Tabula

Tabula de domibus Planetarum.

Sol	habet domum in	Leone ♌
Luna		Cancro ♋
Saturnus		Capricorno, Aqua. ♑ ♒
Iupiter		Sagittario, Piscibus ♐ ♓
Mars		Ariete, Scorpione ♈ ♏
Venus		Tauro, Libra ♉ ♎
Mercurius		Geminis, Virgine ♍ ♊

Et Planeta existens in domo sua, est similis viro in domo sua, & in dominio suo existente.

SECVNDA DIGNITAS essentialis est exaltatio, habent planetæ aliquot certos gradus in signis, in quibus cum reperiantur, dicuntur esse in suis exaltationibus, & creator, & factor optimus (iuxta Hermetis doctrinam) fecit, & creauit hos Planetas in initio creationis, in gradibus exaltationis suæ, & dicit Ptolemeus, quod exaltatio planetæ est in toto signo. Alij vero dicunt eos solum exaltari in gradibus certis signi, vt in figura sequenti. Et signum oppositum signo exaltationis, dicitur casus eius, vel descensio Planetæ, aut eius dedecus. Et Planeta in sua exaltatione est sicut vir in gloria, & regno suo existens.

Sol	♈ 19	Eorum casus est in	♎ 19
Luna	♉ 3		♏ 3
Saturnus	♎ 20		♈ 20
Iupiter	♋ 15		♑ 15
Mars	♑ 20		♋ 20
Venus	♓ 21		♍ 21
Mercurius	♍ 15		♓ 15
Caput	☊ ♊ 3		♐ 3
Cauda	☋ ♐ 3		♊ 3
Exaltatio			Casus


TRIPLICITAS tertia dignitas planetæ, attenditur penes quadruplicem signorum diuisionem, secundum numerum elementorum, ita quòd prima triplicitas, quæ ex Ariete, Leone, & Sagittario constituitur, elemento ignis attribuitur. nam sicut ignis est calidus, & siccus,

ſic hæc tria ſigna. & hanc triplicitatem gubernant in die, Sol, Iupiter, Saturnus. In nocte, Sol, Iupiter Saturnus, & hæc triplicitas. Orientali plagæ præeſt ita, quòd Aries tenet cor Orientis, Leo ſiniſtrā partē, & Sagittarius dextrā. Et ſic de alijs triplicitatibus, vt in figura ſequēti.

TABVLA TRIPLICITATVM

Triplicitas		Die		Nocte			
Ignea	Sol	☉	☉	♃	♈	habet	Cor
	Iu	♃	☉	☉	♌		ſiniſt. partē Orien.
	Sa	♄	♄	♄	♐		Dextram
Terrea	Ve	♀	☽		♉	habet	Siniſtram
	Lu	☽	♀		♍		Dextrā partē Meri.
	Ma	♂	♂		♑		Cor
Aerea	Sa	♄	☿		♊	habet	Dextram
	Me	☿	♄		♎		Cor partem Occi.
	Iu	♃	♃		♒		Siniſtram
Aquea	Ve	♀	♂		♋	habet	Cor
	Ma	♂	♀		♏		Siniſt. partē Septē.
	Lu	☽	☽		♓		Dextram

Si ſcire deſideras, quæ ſit pars Orientis dextra, aut ſiniſtra, vertas faciem tuam verſus Orientem, & manus dextra indicat partem dextram, ſiniſtraque ſiniſtram, & ſic de alijs partibus cœli, vt in figura. Et planeta in ſua triplicitate eſt ſimilis viro, qui inter amicos ſuos, & auxiliatores, & ſeruos.



TERMINVS quarta essentialis dignitas. Sunt certi gradus signorum, in quibus cum Planeta comperitur, dicitur esse in suo termino, vbi & potestas eius triplicabitur. Verbi gratia. Cum Iupiter reperitur in primis sex gradibus signi Arietis, dicitur esse in suo termino. Dehinc Venus habet terminum a sexto gradu arietis, vsque in duodecimum gradum. Postea Mercurius a duodecimo gradu, vsque ad vicesimum suum terminum possidebit. Mars denique a vicesimo gradu, vsque in xxv. in termino suo esse dicitur. Postremum, Saturnus a xxv. gradu Arietis, vsque in xxx. in termino esse dicitur. Et sic de alijs signis & Planetis, vti subsequẽs tibi figura insinuat. Et idem est terminus, & finis Planetæ. Et assimilabitur planeta existenti in termino suo viro existenti inter parentes, & cognatos, & gentem suam.

2 Tabula Terminorum secundum Ptolemeum & Aegiptios.

♈	♃	6	♀	6	☿	8	♂	5	♄	5
♉	♀	8	☿	6	♃	8	♄	5	♂	3
♊	☿	6	♃	6	♀	5	♂	7	♄	6
♋	♂	7	♀	6	☿	6	♃	7	♄	4
♌	♃	6	♀	5	♄	7	☿	6	♂	6
♍	☿	7	♀	17	♃	4	♂	7	♄	2
♎	♄	6	☿	8	♃	7	♀	7	♂	2
♏	♂	7	♀	4	☿	8	♃	5	♄	6
♐	♃	12	♀	5	☿	4	♄	5	♂	4
♑	♀	7	♃	7	♀	8	♄	4	♀	4
♒	☿	7	♀	6	♃	7	♂	5	♄	5
♓	♀	12	♃	4	☿	3	♀	9	♄	2

3 QVINTA ESSENTIALIS DIGNITAS est facies quæ est ternario diuisio signi, continens decem gradus, quos Planetæ diuisim secundum eorum ordinem gubernant, dando primam faciem Arietis, Marti. Secundam Soli. Tertiam Veneri; vt in figura sequenti.

♈	♂	10	☉	10	♀	10
♉	☿	10	☽	10	♄	10
♊	♃	10	♂	10	☉	10
♋	♀	10	☿	10	☽	10
♌	♄	10	♃	10	♂	10
♍	☉	10	♀	10	☿	10
♎	☽	10	♄	10	♃	10
♏	♂	10	☉	10	♀	10
♐	☿	10	☽	10	♄	10
♑	♃	10	♂	10	☉	10
♒	♀	10	☿	10	☽	10
♓	♄	10	♃	10	♂	10

Et Planeta existens in sua facie, est similis viro, qui viuit inter gentes, non multum notas, sicut Aduena, qui viuit inter eas, ex arte, atq; magisterio suo.

EXPLANATIONES.

1 Cor Orientis, Occidentis. *Cor orientis est illa cęli pars, unde sol ęquinoctij tempore oritur: occidentis uerò cor, ubi occidit eodem tempore, cor meridiei est illa ubi linea meridiana nostrum orizontem uersus australem partem diuidit, cor Septentrionis, ubi eadem linea meridiei diuidit Orizontem in Septentrionali parte, si in partes illas oculos conuerteris, statim quę sit dextera, quęque sinistra dignosces.*

♈	♃	6	♀	8	☿	7	♂	5	♄	4
♉	♀	8	☿	7	♃	7	♄	4	♂	4
♊	☿	7	♃	7	♀	7	♄	4	♂	5
♋	♂	6	♃	7	☿	7	♀	7	♄	3
♌	♄	6	☿	7	♀	6	♃	6	♂	5
♍	☿	7	☿	6	♃	5	♄	6	♂	6
♎	♄	6	♀	5	♃	8	☿	5	♂	6
♏	♂	6	♃	8	♀	7	☿	6	♄	3
♐	♃	8	♀	6	☿	5	♃	6	♂	5
♑	♀	6	☿	6	♃	7	♂	6	♄	5
♒	♄	6	☿	6	♀	8	♄	5	♂	5
♓	♀	8	♃	6	☿	6	♂	6	♄	4

2 *Quòd ait terminos planetarum in hoc capite descriptos esse secundum Aegiptios, & Ptolemeum non mihi uidetur consentire cum Ptolemei uerbis libro primo*

primo de iudicijs, qui etsi terminos ita distributos describit: magis tamen approbat chaldæorum diuisionem, & cur ita sibi persuaserit, multis rationibus docet. Hic igitur hos describam terminos, ut quisque quod sibi magis placet, sequi possit.

3 *De faciebus nulla fit mentio apud Ptolemeum: Alcabitius tamen, qui Arabum doctrinam compendiosè, tradidit, & in cęteris rebus uidetur Ptolemeũ sectari, facies inter planetarum essentiales dignitates connumerat. Hanc autem tota penè recentium astrologorum caterua sequitur.*

SVMMA CAP. VII.

Recenset accidentales planetarum, quas dicunt, dignitates, omißis nonnullis, quæ minimè ad finem suum necessariæ videntur: sunt autem hæ, Gaudium, Amicitiæ, & Inimicitiæ Orientalitas, & Occidentalitas ratione solis Haix, Almugea, Cõbustio, oppresio, vacuitas cursus, esse in lumine, obsesßio, coniunctio, applicatio, separatio, prohibitio, translatio luminis, redditus luminis, pulsatio, seu missio naturæ, receptio, redditus uirtutis, aspectus planetarum.




ETSI multæ accidant planetis dignitates: ego tamen ex eis, quas magis nostro proposito conducere existimabam, medicinæ studiosis aperire decreui. Et primò de Gaudijs planetarum. Si gaudium attenditis, quo ad principalem domum planetæ, sic est dignitas essentialis, quo modo dicimus Saturnum gaudere in aquario, Iouem in sagittario si &c. Sed si attenditur gaudium quo ad duodecim domos cœli, & sic est dignitas accidentalis, quomodo Saturnus in duodecima domo gaudet, Iupiter in vndecima, vt in figura sequenti.

Satur-

Saturnus	gaudet in	Aquario	gaudetque in domo	12
Iupiter		Sagittario		11
Mars		Scorpione		6
Sol		Leone		9
Venus		Tauro		5
Mercurius		Virgine		1
Luna		Cancro		3

Et planeta cum reperitur in gaudio suo fortificatur eius virtus, suumque significatum.

DE AMICITIA PLANETARVM. Sunt & Planetæ se diligentes, & odientes, vti antiquorum docuit experientia. Et si Planetæ inimici iuncti fuerint, contrarios adducunt effectus, iuxta tamen fortioris naturam, vti in sequentibus clariùs elucidabitur. Sed si amicus amico associabitur, si sunt boni augmentabitur eorum operatio in bono, nec vnus alteri in operando resistet: attamen si inter amicos vnus malus est, alter bonus, tunc bonus partim mitigat malitiam mali, hancque amicitiam, & contrarietatem in sequenti scernes.



Dicuntur etiam Planetæ inimici, qui habent domos appositas, vt Saturnus & Luna; nam Cancer domus Lunæ opponitur Capricorno domui

domui Saturni. Sic similimodo Saturnus, & Sol, & alij Planetæ habentes domos ex aduerso. Est & inimicitia Planetarum ratione exaltationum suarum, sic Iupiter inimicatur Marti, cum eius exaltatio sit in cancro, & Martis in capricorno, quæ sunt signa opposita: maior tamen, & fortior Planetarum amicitia est, vt concordat Planeta cum Planeta in natura, qualitate, substãtia, & potestate, & hoc modo Mars concordat cum Sole, quia vterque calidus & siccus & leuis, & est Mars dominus domus exaltationis Solis, in qua apparet eius fortitudo. Ita etiam Venus, & Luna in frigore, & humiditate concordant, & est Venus domina domus exaltationis Lunæ. Iupiter etiam & Venus concordant in natura, & substantia, quare etiam amici dicuntur.

DE ORIENTALITATE, ET OCCIDENTALItate in respectu ad Solem.

Planeta, qui oritur ante Solem, Orientalis dicitur, qui autem post Solis ortum supra horizonta emergetur, Occidentalis vocetur. Saturnus vero, Iupiter, & Mars orientales fortificantur, Occidentales debiles sunt. Venus autem & Mercurius, per occidentalitatem fortificantur, & debiles erunt in occiduo ortu.

Est & alia dignitas Hayx appellata. Et est quando Planeta masculinus de die est supra terram, in signo masculino in nocte sub terra. Et Planeta fœmininus, in signo fœminino de nocte supra terram, & de die sub terra. Et illud quod assimilatur Hayx, est quod Planeta masculinus in signo deuoluitur masculino, & fœmininus in signo fœminino. Et quod Planeta diurnus de die sit super terram, & nocturnus de nocte sub terra.

Almugea dicitur faciei ad faciem visio, respectu duorum luminarium, & est vt sit inter vnumquemque Planetam, & Solem, & Lunam, ex longitudine quantum est inter ipsius domum & domum. Solis aut Lunæ, ita vt à Sole Occidentalis foret, & a Luna Orientalis, gratia exempli. Libra, quæ est domus Veneris, est tertium signum à Leone, qui est domus Solis. Cum igitur Venus esset in tertio signo à Sole, computando secundum signorum successionem, vt ponendo Solem in Geminis, & Venerem in Leone, tunc Sol dicitur videre Venerem de facie in faciem, & dicitur tunc Venus in Almugea Solis.

De Luna hoc breue accipies. Virgo quæ est domus Mercurij, est tertium signum à domo Lunæ, scilicet à Cancro. Cum ergo Luna fuerit in tertio signo, à Marcurio computando secundum signorum con-

ſequentiam, vt ponendo Lunam in Sagittario, & Mercurium in Libra, Orientalem videre dicitur Mercurium de facie in faciem, qui tunc in Almugea Lunæ dicitur, & ſic de alijs Planetis. Et Planeta in ſua Hayx eſt tam fortis, ac ſi eſſet in domo propria.

Tabula Viſionis Planetarum.

Saturnus in	6 / 8	ſigno à	☉ / ☽
Iupiter in	5 / 9	ſigno à	☉ / ☽
Mars in	4 / 10	ſigno à	☉ / ☽
Veneris in	3 / 11	ſigno à	☉ / ☽
Mercurius	2 / 12	ſigno à	☉ / ☽
Luna in	3	ſigno à	☿

Combuſtio. Planeta intrans radios Solis, combuſtus dicitur, donec à Sole elongatur quindecim gradibus, nam per tot gradus radij Solis ante & retrò extenduntur.

Oppreſsio. Planeta oppreſſus dicitur, quando minus duodecim gradibus circa Solem reperitur.

Vacuitas curſus. Planeta vacuus curſu dicitur, quando ſeparatur ab vno Planeta, & nulli alteri iungitur, quàmdiu in hoc ſigno fuerit.

Eſſe in lumine Planeta dicitur, quando nocturnus Planeta fuerit ſignificator in nocte, & diurnus ſignificator in die.


Obſeſsio, Planeta obſeſſus dicitur, cum fuerit inter duos malos, & ſeparatus ab vno, & iunctus alteri, abſque proiectione radiorum alterius Planetæ inter eos, & cò fortiùs, & deteriùs obſidetur, ſi fuerit ſeparatio à coniunctionè a ſeptem gradibus vel infra, vt ponendo, Martem in x. gradu cancri, & Saturnum in xviij. gradu arietis, & Lunam in xiij. gradu libræ ſeparatam a quarto aſpectu Martis, & iunctam Sa-

turno

turno ab oppositione, erit tunc Luna obsessa. Aut quando Saturnus fuerit in x. gradu Arietis, & Luna in xij. gradu Arietis, separata à Saturno, & applicans Marti existenti in xiij. gradu Cancri, & sic de alijs.

Coniunctio, Planeta dicitur coniunctus alteri, quando fuerit cum eo in vno signo & gradu, atque minuto, & hæc est verissima coniunctio. Aut cum aspexerit Planeta Planetam, & suo lumine percusserit gradum illius, dicitur coniungi illi, & nisi percuciat eum lumine suo, non vocatur ei coniunctus, sed vadens ad coniunctionem, exempli causa. Sit Sol in primo gradu geminorum, cuius radij extenduntur xv. gradibus, & sit Saturnus in xiiij. gradu eiusdem signi, in hoc casu Sol, & Saturnus dicuntur coniuncti & hac coniunctione vtuntur cōmuniter prognosticantes aeris mutationem, & alia, quæ in anno contingunt accidentia. De primo autem modo coniunctionis, loquuntur, qui ex hominis natiuitate futura prędicunt, vbi in directionibus vnius gradus error anni errorem causabit. Sunt demum & nonnulli largiùs, quàm prædicti coniunctionem stellarum erraticarum accipientes, qui Planetas coniunctos esse volunt, cum se radijs suis attingunt, vt cum Sol fuerit in primo gradu Arietis, proijciens radios suos ad gradus xv. & Saturnus sit in xxij. gradu Arietis, proijciens radios sinistrorsum ad nonum gradum, in hoc casu iuncti sunt amborum Planetarū radij, quare & ipsi iuncti dicuntur, & ex hoc eueniet, quod effectus Planetarum in coniunctionibus quandoque anticipantur cum se radijs attingunt, quod & ego sępius in mutationibus aeris expertus sum.

Figura hanc coniunctionem ostendens.



Saturnus		9
Iupiter		9
Mars		8
Sol	Proicit radios ad	15 gradus ante & retro
Venus		7
Mercurius		7
Luna		12

Applicatio, dicitur quando leuior distat à ponderosiori tantum, quãtum eius radij extenduntur, vt cum Iupiter fuerit in primo gradu Tauri, & Saturnus in nono, Iupiter in hoc casu proijciens radios suos, nouem gradus ante & post dicitur applicare Saturno, & petere eius coniunctionem.

Separatio. Separatus dicitur Planeta à Planeta in coniunctione, quando elongatur ab eo per quantitatem graduum suorum radiorum, vt si iunctus fuerit Saturnus, & Mars in primo gradu Scorpionis, separatus dicitur à Saturno. Alij dicunt, quando leuior recesserit à ponderoso per vnum minutum, quòd dicatur tunc separatus, primus tamen modus plus rationabilis est.

Prohibitio dupliciter accipitur, vno modo vt sint tres, vel plures Planetę in vno signo, diuersisque gradibus, tunc medius prohibet illum, qui est minus gradibus, ne iungatur ponderosiori donec transeat eum, vt ponatur Saturnus in xxij gradu Scorpionis, & Iupiter in xiiij. gradu, & Luna in xviij. gradu, in hoc casu Iupiter petit coniungi Saturno, quam Luna in medio existens prohibet.

Alio modo accipitur prohibitio ex parte aspectus, hoc est, quòd sint duo Planetæ in vno signo, & leuior iungatur ponderosiori, & alter Planeta iungatur eidem Planetæ ponderoso, per aspectum. Ille ergo qui fuit in vno signo, cum eo prohibet aspicientem, & destruit coniunctionem eius, si fuerint gradus eorum æquales: si vero fuerint gradus aspicientis propinquiores coniuctioni, quàm gradus illius, qui ei coniungitur, erit coniunctio aspicientis, quia iungitur illi ante coniunctionem alterius. Exemplo rem meliùs apprehendes. Sit Saturnus in duodecimo ♍. & Mars in octauo gradu eiusdem, & Iupiter proijciet radios trinos ex Tauro ad octauum gradum ♍, in hoc casu Mars prohibet aspectum Iouis. Quod si Iupiter proijciet radios suos ad nonum gradum ♍; aspiceret Saturnum, & prohiberet coniunctionem Martis. Sed cum proijceret Iupiter radios ad septimum gradum Virginis, tunc diceretur Mars coniungi Saturno, & prohibere aspectum Iouis.


Mars Saturnus	} in	{ 8 7 12 }	Virginis	{ △ Iupiter	8 ♉

Translatio Luminis duobus fit modis, Primo, vt separetur leuis Planeta à ponderoso, & alteri iungatur, & tunc naturam eius à quo separatur,

ratur, transfert ad illum, cui iungitur.

Alio modo fit translatio, quando coniungitur Planeta leuis ponderoso, & ille ponderosus adhuc alteri Planetę iungitur tunc Planeta ponderosus transfert naturam leuis, ad eum, cui iungitur, vt loco exempli ponatur, quòd Luna aspiciat Iouem, & Iuppiter etiam aspiciat Saturnum, in isto casu Iupiter transfert naturam Lunæ ad Saturnum.

Redditus Luminis fit quando Planetæ ita disponentur, quòd vnus eorum alteri non iungitur, sed ambo iungantur alicui tertio, tunc cum ille tertius aspiciet aliquem locum ex locis circuli, tunc proijciet lumen illorum duorum ad præfatum locum: & si aliquis Planeta fuerit in loco radiorum suorum, reddet illi lumen illorum duorum. Exemplum, sit Sol in Capricorno, & Venus in Piscibus, & in nullo aspectu, & Mars in Cancro aspiciens Solem opposito aspectu, & Venerem de Trino, in hoc casu Mars recipit lumen Solis, & Veneris, & reddit lumina eorum ad locum circuli, in quibus sunt radij Martis, scilicet ad Virginem, Libram, & Scorpionem. Aspicit enim Mars Virginem sextili, Libram quarto, & Scorpionem trino aspectu, vt in figura.



PVLSATIO seu Missio naturæ. Dicitur quando aliquis Planetarum iungitur per aspectum domino illius signi, in quo fuerit, vel domino exaltationis triplicitatis, termini, aut faciei: quoniam tunc mittit naturam domini illius dignitatis ad eum, cuius fuerit talis dignitas, vt cum Sol fuerit in capricorno, aspiciens Saturnum in virgine, tunc ob existentiam Solis in domo Saturni, Sol mittit naturam ipsius Saturni ad Saturnum.

Et si Planeta Leuis fuerit in domo sua, aut exaltatione &c. & aspiciat ponderosiorem se, nullam habentem dignitatem in loco eius, dicitur leuis mittere naturam ponderoso.

Sed si ponderosior habeat dignitatem in loco leuioris, tunc leuior mittit naturam suam propriam, & naturam ponderosioris simul ipsi ponderosiori.

Receptio fit quando Planetæ iungantur à domibus suis, & exaltationibus, vel terminis, tunc recipiunt se mutuò, & maior est receptio de domo, dehinc de exaltatione, & sic de alijs dignitatibus essentialibus, vt cum fuerit Sol in ariete in exaltatione sua, & in domo Martis aspiciens Martem aliquo aspectu, tunc Sol mittit Marti naturam suam cum natura Martis. Verum quando contingit vt inferior sit in dignitate superioris, & superior in dignitate inferioris, illa est integra, & perfecta receptio.

Redditus virtutis. Dicitur quando inferior aspicit superiorem, qui est combustus, aut sub radijs Solis, vel retrogradus, in hoc casu superior reddit inferiori virtutem, quam sibi misit: quoniam propter debilitatem suam retinere non potest. Etsi ambo fuerint in angulo, vel in succedenti, redditus proficuus erit, sic simili modo redditus fit vtilis, si inferior fuerit in angulo, & superior, non sic tamen quod superior recipit inferiorem. Fit etiam vtilis redditus, cum inferior fuerit cadens, & superior in angulo, sed si ambo cadentes fuerint, redditus fit cum detrimento.

Aspectus planetarum est certa in Zlocis odiaci distantia Planetarum, in quibus se iuuant & impediunt notabiliter: nam in bonis aspectibus se iuuant, in malisque se impediunt. Et sunt in numero quattuor. Sextilis, Trinus, Quartus, & Oppositus.

Sextilis, est distantia Planetarum à se inuicem per sextam circuli partem, hoc est per duo signa aut 60. gradus: diuidendo enim circulum signorum, hoc est duodecim signa per sex in quotiente habebis duo signa, aut diuidendo gradus zodiaci, hoc est, 360. gradus per sex, veniunt in quotiente 60. gradus, quæ duo signa constituunt.

Trinus

Trinus aspectus. Est certa Planetarum distantia per tertiam partem circuli, hoc est, per quattuor signa, aut per 120. gradus.

Quartus aspectus. Est distantia Planetarum per quartam partem circuli, hoc est, per tria signa, seu 90. gradus.

Oppositus demum aspectus. Est quando Planetæ distant per oppositam partem circuli, hoc est per sex signa, aut 180. gradus.

Et est duplex aspectus, sinister & dexter. Sinister, qui fit secundum successionem signorum. Dexter, qui fit contra signorum successionem, in hoc casu Planeta existens in ariete, aspicit Planetam existentem in cancro aspectu quarto sinistro, & Planetā in capricorno aspectu quarto dextro, & sic de alijs. Et planeta qui est in dextro aspectu, dicitur esse superior, & qui est in sinistro inferior. Vt cum fuerit Saturnus in ariete, & Iupiter in cancro se aspicientes quarto, in hoc casu Iupiter dicitur esse inferior, & Saturnus superior, vt in figura sequenti.

Et loquendo propriè de aspectibus, Cōiunctio nō dicitur aspectus, cum in ea planetæ non distant, sed sunt in vno signo, & gradu. Et quando planeta transit planetam per vnum gradum dicitur separatus ab eo.

Et quando distat ab eo secundum numerum radiorum, dicitur applicare sibi de coniunctione. Ptolemeus dicit, quòd Applicatio non est plus tribus gradibus.

EXPLANATIONES.

1 Combustio, *alij aliter sentiunt. Existimant enim planetam esse combustum dum vel vltra, vel citra circa solem versetur spacio medietatis orbis planetæ, qui circa solem versatur. Vt si esset in gradu 15. Arietis, ☽ vero in Grad. 3. vsque in Grad. 27. ☽ dicitur combusta. Præterquàm dum per 16 minuta ante, & post tantum, vel minus distat, quòd tunc dicunt esse in cazimi. vel in corde solis: dum vero ingreditur ☼ orbem, vt si esset in vltimo ♓ vsque ad principium combustionis, tunc dicitur esse sub radijs tam ante, quàm retro.*

2 *Cardanus longa obseruatione animaduertit vlteriùs proijcere radios, quàm hic describit auctor, omnes planetas, cuius opinio in hac tabella cernitur.*

Tabella

Tabella Orbium Planetarum.


♄	Proijcit radios ante, & retro	10
♃		12
♂		7
☉		17
♀		8
☿		7
☽		12 ½

3 Receptio, sicco vt aiunt pede, hic de receptione verba facit auctor noster, ob id & hæc pars dilucidanda est. Sed cum hanc rem Valentinus Nabod de re Astrologica bene meritus in comment. in Alcabitium satis dilucidè hanc rem explicet, eum ita loquentem audias velim. Receptio fit quando planeta in dignitate sua existens aspicit alium, qui in eodem loco dignitatem obtinet: veluti si ☉ in ♈ domo ♂, & sua exaltatione constitutus videat ✱ ♂ in ♒, tum ☉ vtramque naturam suam videlicet, & eam, quam ♂ in ♈ ratione domus obtinet, communicat. Quòd si inferior existat in dignitate superioris, & uice versa superior in dignitate inferioris, mutua, perfectaq; fit receptio, vt ☉ in ♈, ♂ in ♌. nam ☉ est in domo ♂, ♂ in domo ☉.

Est etiam animaduertendum, quòd primum locum obtinet mutua. Secundum nõ mutua, sed ex domo, tertium ab exaltatione, quartũ ex termino, ex facie postremum locum obtinet.

SVMMA CAP. VIII.

Definit cœli domum, & docet, quæ signa sint septentrionalia, quæ meridionalia, singularum domorum significationes enumerat, fortitudinesq; eorum, ac debilitates vnà cum coloribus, qui earum proprij sunt, ostendit: qui planetæ sua præsentia domos fortunent, quiq; easdem malè afficiant, duodecim domos in quatuor partes distinguit, & quatuor ætatibus hominum, anniq; temporibus respondere tradit.




OMVS COELI, est duodecima pars firmamẽti, ex inæqualibus gradibus cōstituta. Cum enim signa septentrionalia oriuntur, domus maiores sunt, & plures gradus comprehendunt, quàm cum meridionalia signa ortum petunt. Nam sub eleuatione poli 50. graduum cum oritur principium arietis, cadit ad domum secundam 22. tauri. Et cum oritur principium libræ, cadit 23. gradus libræ ad cuspidem secundæ domus. Sic cum ascendit in ortu principium tauri, deueniet decimus gradus geminorum ad secundam domum. Cum autem scorpio lineam orientalem tetigerit, eius xxiiij. gradus secundam domum intrabit, & sic de alijs, vbi semper in signis septentrionalibus plures gradus vna domus possideat, quàm in meridionalibus.

E Signa

Signa Septentrionalia	Aries Taurus Gemini Cancer Leo Virgo	Signa Meridionalia	Libra Scorpio Sagittarius Capricornus Aquarius Pisces

PRIMA domus, quæ incipit ab ortu Solis significat vitam, & corpus nati in natiuitatibus, & personam quærentis in quæstionibus, & ægrum, seu infirmum. Et primus dominus triplicitatis huius domus, significat vitam nati, & quid diligat, odioque habet, & quid boni malive sibi in initio vitæ obuiabit. Secundus dominus triplicitatis, indicat vitam, & corpus, & quid sibi accidet in medio vitæ. Tertius demum triplicitatis dominus, quid in ætate vltima suorum annorum sibi contingere debeat.

Secunda domus, quæ & inferna porta, & anaphora dicitur, significat substantiam, victum, ministros, auxiliatores, census, & mercationes, possessionisque incrementa. Primus dominus triplicitatis huius domus, significat substantiam in prima parte vitæ. Secundus in secunda. Tertius vero in tertia, Et dicitur locus piger, eò quòd nulla radiatione cum Horoscopo coniungitur.

Tertia domus Dea dicitur. Indicat fratres, & sorores, amicos, fidem, religionem, mandata, legatos, mutationes loci de loco, itinera minora, cognatos, epistolas, omnes sectas, & hereticos, & coniungitur cum Horoscopo aspectu sextili. Primus dominus huius triplicitatis primus significat fratres maiores. Secundus medios. Tertius minores.

Quarta domus, quæ Imum cœli dicitur, seu fouea terræ. Significat patres, parentes, agros, domos, campos, aquas, auos, & omnes antiquos, & recta linea descendentes, omnia immobilia, quæ sunt sub terra vel supra terram, omnia ædificia, opera ædificiorum, turres, ciuitates, castra, thesauros absconditos, omnes hereditates præter mortuorum. Significat & hæc domus medicinam in causa ægritudinis cum suo domino, secundum mentem Haly, à quarta domo sumitur finis infirmi, & infirmitatis, & hæc domus ponitur in quarto aspectu ascendẽtis. Primus dominus triplicitatis significat patres. Secundus, ciuitates, & terras. Tertius autem, finem rerum, & carceres.

Quinta domus appellatur bona fortuna, quia Venus gaudet in eo. Significat filios, legatos, donationes, gaudium, vestimenta, cartas, libros,

bros,nuncios,petitionẽ mulierũ,fructus hereditatis,poniturq́; in aspectu sextili ipsius Horoscopi. Primus dominus,triplicitatis huius domus significat filios,eorumq́; vitã. Secundus,delectiones. Tertius,legatos.

Sexta domus, mala fortuna appellatur; nam Mars in ea gaudet, & est locus piger nulla radiatione horoscopum, intuens, significat infirmitates, ancillas, seruos, mutationem de loco in locum, bestias, quæ non equitantur,& omnia quadrupedia. Primus dominus triplicitatis, significat infirmitates. Secundus vernas, & seruos. Tertius Bestias & pecora & omnia quadrupedia,& carceres.

Septima domus, quæ occasus dicitur, significat mulieres, nuptias, contentiones,omnemque rem contrariam;bellum vxores,fures,placitantes,socios,venditionem,emptionem,latrones, locum latronis, abscisores viarum, itinera breuissima, sicuti de ciuitate ad hortulos seu ad alia loca propinqua ciuitati. Primus dominus triplicitatis huius domus,significat mulieres. Secundus dominus triplicitatis huius domus contentiones. Tertius commixtiones, & participationes cum alijs hominibus.

Octaua domus, quæ dicitur superna porta, dicitur vel Epicathaphora & locus piger,significat laborem,tristitiam,bella,contentiones, bellicosos, clientes,interfectionem,mortem,hereditates mortuorum. venena letalia. Primus dominus triplicitatis huius domus significat mortem. Secundus res antiquas. Tertius hereditatem mortuorum.

Nona domus Deus, seu Theos dicitur, significat fidem, religionem, longa itinera,sapientiam,culturam deitatis,domos religionum, sapientiam,philosophiam,scripturam,libros,epistolas,legatos & somnia. Primus dominus triplicitatis huius domus, significat peregrinationem. Secundus fidem,religionem. Tertius,sapientiam,somnia, scientiam stellarum,& auguria,& exercitium in eis.

Decima domus,quæ & medium cœli vocatur, significat imperium, regnum, magisteria,dignitates,officia,omnem artem,quam quis exercet vnde vocatur magister, significat & matres auias, sorores honores potestates,regem, iudices. Primus dominus triplicitatis huius domus significat opus nati, eius exaltationem, sublimationem, & mansionem altissimam. Secundus significat vocem imperij, & audaciam in eodem. Tertius demum stabilitatem,& durabilitatem eius.

Vndecima domus, quæ bonus Demon dicitur, vel bonus Genius. Et est locus Iouis,significat fortunam,fidem,spem,substantiam regis, eiusque,redditus,seu tributa, eius milites,& pedites, & auxiliatores,& virum, qui succedit Regi siue primum principem post eum. Est domus fortunæ amicorum,& fiduciæ. Primus dominus triplicitatis hu-

ius domus, significat fiduciam. Secundus, amicos. Tertius vtilitatem, seu profectus eorum.

Duodecima domus, qui malus Demon, seu Cacodemon dicitur. Est enim locus Saturni, significat inimicos occultos, deceptores, inuidos, meretrices, personas abiectas, lusores taxillorum, & animalia magna, sicuti equos, boues. Primus dominus triplicitatis huius domus significat inimicos. Secundus labores. Tertius vero bestias, & pecora.

Et patiuntur duodecim domos cœli in angulos succedentes, & cadentes, è quibus anguli sunt fortiores succedentes fortes, & cadentes debiliores alijs. Fortior tamen angulorum est domus prima, seu Horoscopus. Dehinc decima, postea septima, postremum verò quarta. Aliqui vero præponunt decimam domum in fortitudine primæ, sicuti Ptolemeus eò, quòd radij planetarum in hoc loco existentium ad nos perpendiculariter deferuntur, qui radij iuxta perspectiuistas alijs radijs fortiores censeantur: Inter alias domos cęli vndecima domus primum fortitudinis locum obtinet, dehinc & cæteræ, vti infra. Aliter tamen sentit Ptolemeus in suo quadripartiti cum modica discrepantia.

Fortitudo domorum vt communiter			Ptolemeus vero dicit		Fortitudines	
Prima	domus habet fortitudines	12	Decima	Et quælibet domus habet fortitudines	12	Rubeum
Decima		11	Prima		11	Album
Septima		10	Vndeci.		10	Croccum
Quarta		9	Septima		9	Album
Vndeci.		8	Nona		8	Melle:
Nona		7	Quarta		7	Rubeum
Quinta		6	Quinta		6	Me[illegible]
Secunda		5	Secunda		5	Viridem
Octaua		4	Octaua		4	Nigrum
Tertia		3	Tertia		3	Croceum
Duodeci.		2	Duode.		2	Viridem
Sexta		1	Sexta		1	Nigrum

Abraham auensere

Habent & domus suas fortitudines, ita quòd prima domus apud communiter loquentes, duodecim fortitudines, sed iuxta Ptolemeum vndecim. Et secunda domus habet sex fortitudines, quam Ptolemeus

dicit

dicit habere quinque. Tertia duodecima, & sexta domus, æquales habent fortitudines, iuxta mentem omnium. Et sic de alijs domibus, vt in figura. Et sic quando aliqua stellarum erraticarum in domo fuerit, sortietur fortitudinem illius domus, vt cum Saturnus deuoluitur in domo prima, fortificatur eius natura duodecies, seu vndecies, & sic de alijs. Habet demum & quælibet domus suos proprios colores, quos in figura superiori secernes, iuxta auctoris Alchabicij doctrinã, quorũ vtilitas in sequentibus experietur. In his tamen fortitudinibus Ptolemeo præ alijs fides adhibenda.


Fortunantur etiam, & damnantur nonnunquàm hæ domus per existentiam planetarum in eis. Domum namque substantiæ fortunat Iupiter, & damnat Mars, & Sol, vt infra in figura sequenti.

Domum	Substantiæ	fortunat	♃ ☉	infortunat	♂ ☉
	Fratris		☿		♂ ♄
	Patris		☉ ♄		♂
	Filiorum		♀		[illegible] ♄
	Itineris		☉		♂ ♄
	Decimam		☉ ♃		♂ ♄
	Amicorum		♃		♂ ♄

Fortuna nempe alicuius domus maior est, & firmior, quando fortunat eam planeta sibi conueniens, eiusque infortunium maius censebitur, & maioris damni, quando infortunatur per planetam infortunantem huic domui conuenientem, vt cum Sol fuerit in domo quarta, seu patris ipsam plus fortunat, eò quòd huic domui Sol magis conueniens est, quàm si Iupiter, aut Venus in ea deuoluerentur.

Distinguuntur & demum duodecim domus cœli in quatuor partes, quarum quælibet ex tribus constituitur domibus.

Prima pars, quę constituitur ex duodecima, vndecima, & decima domibus, dicitur quarta orientalis, masculina, pucrilis, sanguinea, vernalis: significatque initium vitæ.



Secunda pars, quæ constituitur ex nona, octaua, & septima domo, dicitur meridiana, fœminina recedens, Iuuenilis, cholerica, & significat mediam ætatem.

Tertia pars, continens sextam, quartam, & quintam domum, vocatur occidentalis, masculina aduenicns, autumnalis, melancholica, senilis, & medioctis ætatis, significat finem vitæ.


Pars demum quarta, quæ continet Tertiam, Secundam & Primam domos dicitur Septentrionalis, fœminina, phlegmatica, hyemalis, defectiua, senilis, Et hæ duæ quartæ, quæ sunt ab imo cœli vsque ad ascendens, & ab ascendente ad medium cœli vocatur medietas ascendens. Et aliæ duæ quartæ ex opposito, medietas descendens appellatur. Et illud, quod est ab Horoscopo, seu à prima domo ad occidens vsque, dicitur dextra pars cœli, & alia mædietas cœli dicitur pars sinistra. Et tantum de astronomiæ principis. Etsi aliqua alia neces-

saria

saria erunt, dicentur in capitulis sequentibus Tractatus Secundi.

EXPLANATIONES.

1 *Quod ait de significationibus dominorum domorum sumpsit auctor ex Arabum doctrina. idem enim & Alcabitius tradit, qui & singulis triplicitatibus tres attribuit dominos, ut in superiori capite; & auctor noster fecit. Ptolemeus tamen aliam rationem secutus est, cuius verba latinè hic conscribere non pigebit. Horum igitur primum ducitur per ♈ ♌, & ♐ tria signa masculina, quæ sunt ☉ ♂ & ♃ domicilia. Hoc triangulum adscriptum est ☉, & ♃ Mars enim propter alienam conditionem exclusus fuit: in administratione autem primas tulit interdiu ☉, nocte ♃. locus autem ♈ æquinoctialis est leonis æstiualis, sagittarij hybernus. Idem triangulum potissimũ aquilonare est ob ♃ dominium: quippe qui sit fœcunditatis, & spirituum auctor, sicut & aquilonares venti. Et paullo post. Secundum triangulum ductum, per ♉, ♍, & ♑, quodque constat signis tribus fœmininis lunæ, & veneri datur, & nonnullis interiectis ait triangulum tertium ♊ ♎ ♒ complectitur signa tria masculina. Alienum prorsus a ♂ proprium vero ♄ & ☿, & alijs interpositis de quarto sic ait. Quartum per ♋, ♏, & ♓ relinquitur ♂, qui solus restet, quique ius sibi huius uendicet propter domicilium suum, adiunctæ tamen sunt huic sociæ administrationis cum propter conditionem, tum propter signa fœminina nocte quidem luna, interdiu uero ♀ quę omnia in hac tabella depicta sunt.*




Si sequemur igitur Ptolemeum illud iudicium uanum est.

De

De coloribus domorum ne mentionem quidem fecit Ptolemeus. Arabes his vtuntur ad prædicendum, qui colores fausti, infaustive sint futuri natis, quod quantam uim habeat, uiderint prudentes.

Finis primi Libri.




DE COGNOSCENDIS, ET MEDENDIS MORBIS

Ex corporum cœlestium positione,


LIBER SECVNDVS.

SVMMA CAP. I.

Duplicem tradit viam, qua corporis humani, vt dicunt, complexio dignosci poßit, altera quarum ducitur a caussa; ab effectis altera, ad quam confugiendum est cum prima deest. Prima ducit ex natalicio themate cognitionem, altera tum ex figura hominis, & coloribus, tum ex animi affectionibus, & hoc esse primum in ordine apud medicos affirmat.

1 
VM in curandis morbis necessarium sit præcognoscere ægritudinem, complexionem, operæ prætium me facturum putaui, si traderem rationem, qua vniuscuiusque complexio dignoscatur iuxta Ptolemei doctrinam. Quod cum scire affectas, scita hora natiuitatis erigatur thema cœli, imponanturque stellæ tam erraticæ, quàm fixæ, iuxta situm eorum, dehinc aspiciatur natura signi ascendentis in caliditate, frigiditate, humiditate, & siccitate,

tate, naturaq; ſigni, in quonam reperitur, & planeta. Hæc duo loca reſpiciens, & diſponens. Aſpiciaturque natura ſtellarum fixarum exiſtentium cum eis, ac planeta, aut planetæ in aſcendente aut Horoſcopo conſtituti, & cum quibus dominus aſcendentis, Lunaque configurati fuerint: quale enim eſſe illorum inuenitur, ſecundum omnia illa adinuicem proportionata, ſeu victoriam maiorem alicuius illorum, talis complexio in corpore argui debeat. Facilius hoc exemplo agnoſcas, ſi addideris naturam ipſius quartæ anni, in quo æger in lucem ex vtero matris prodijt.



Sit Natiuitas hominis, in cuius natiuitatis hora aſcendebat quintus gradus Gemminorum, & ſtetit thema ſeu figura cœli, vt infra, volui ſcire huius hominis complexionem, comperi ſignum aſcendentis calidæ, & humidæ naturæ. Signum in quo reperiebatur Luna ſcilicet x. graduum Aquarij ſimiliter calidum & humidum. Poſtea reperi Saturnum

turnum cum Luna in eodem ſigno calido, & humido, & orientalem, quare addidit frigiditatem. Comperi & dominum aſcendentis Mercurium cum Venere ambo orientales, vnde caliditatem, & humiditatem adminiſtrant temperatè cum quadam frigiditate propter piſcium ſignum, in quo ponebantur. Et quia propè aſcendens fuit oculus Tauri de natura Martis, & Mercurij, quare addidit hæc Stella huic nato caliditatem quandam, & ſiccitatem. Et Iouis ſtella in medio cœli exiſtens, non parum addidit complexioni caliditatem, & humiditatem, ob naturam propriam, & ſigni, in quo deuoluebatur, nec non & propter eius Orientalitatem. Nunc cum inſpiciamus eſſe omnium illorum inuenimus maiorem partem declinare ad caliditatem, & humiditatem temperatam, & non exceſsiuam, gratia cuius nati complexio, ex maiori parte ſanguinea dicetur, quæ in calido & humido conſiſtit temperamento, & ad hoc fecit, & quarta anni vernalis, in qua iſte homo natus eſt, quæ calida, & humida dicetur, & ſanguinea.

♄	Orientalis	dat complexionem	frigidam & humidam
	Occidentalis		ſiccam
♃ ♀	Orientalis	dat complexionem	calidam & humidam
	Occidentalis		humidam
♂	Orientalis.	dat complexionem	calidam & ſiccam
	Occidentalis		ſiccam
☿	Orientalis	dat complexionem	calidam
	Occidentalis		ſiccam

Sol addit caliditatem, Luna humiditatem

Quarta	Vernalis	quæ incipit Sole intrante	♈	addit	calidita humi.
	Eſtiualis		♋		calidita ſiccita.
	Atũnalis		♎		fri gidita. ſicci
	Hyemalis		♑		frigidi. humi.

2 SI autem natiuitas tibi ignota fuerit, & ſcire hominis complexionem exoptas, ſecundum naturas ſeptem planetarum aduerte diligenter mores, formam, & figuram, ac accidentia animi, Nam hæc tibi

ostendunt, an natus sit Saturninus, Iouialis, Martialis, Solinus, Veneris, Mercurialis, aut Lunæ filius.

Saturninus namque faciem habet magnam, inuenustam, oculos mediocres deflectentes in terram, vnum maiorem altero, & in altero oculorum maculam, seu deformitatem, nares spissas, labia spissa, iuncta supercilia, capillos nigros, duros, asperos, aliqualiter crispos, dentes diuersos, est & communiter imberbis, aut raros habens in barba crines, aliàs in corpore, maxime circa pectoralia pilosus, neruosus, macer siccam habens cutem, lõga crura, distortas manus, & pedes, scissuramque in calcaneis, habet & corpus temperatæ magnitudinis, melleique coloris, & fœtidum admodum hircorum, vt apparet in Iudeis. Et vincit in ipsius complexione frigiditas, & humiditas. Cum autem Saturnus fuerit occidentalis, erit natus macilentus, parui corporis, planos & raros habens capillos, oculos nigros, in eius complexione siccitas.

Sed quantum attinet ad animum, Saturnini sunt multæ, & profundæ cogitationis bonorum consiliorum, quorum consilia vix meliorari possunt, raró diligentes homines, sed cum diligere incipiunt, fit eorum dilectio vehemens, & cum oderint, odio persequuntur vehementissimè, & à quo vix desistere possunt, leuiter irascentes, iramque diu retinentes, voraces, & helluones, ponderosi corporis, tardo gressu incedentes, auari fraudulenter, dolosi, iniqui, proditores, fures, magici, malefici, valde parci, taciti, parum, aut modicum loquuntur, sunt & vsurarij, pecuniam in terram fodentes, & sparsores malorum, rerum nouarum, ita tamen similantes, ac si inuiti adferrent, tristes incedunt, nullam habentes confidentiam nec in Deum, nec in homines, solitariam ducentes vitam, angulariaque loca quærentes.

Inuidus, & tristis, cupidus, dextræque tenacis.
Atque melancholicus his signis notus habetur.
Non expers fraudis, timidus, luteique coloris.

Iouis filij, habent colorem aureum in facie mixtum albo, maxillas turgidas cum rubedine pomorum, oculos magnos, non prorsus nigros, pupillam latam, rotundam, barbam crispam, nares inæquales, & breues, vicesque narium grossas, dentes duos anteriores cœteris maiores, atque aliquantisper diuersos, & in aliquo dentium nigredinem, capillos albos, longos, medios inter planos & crispos, vt plurimum tamen planos sunt, & medij inter macredinem, & pinguedinem, plus tamen habẽt carnositatis, moderatè longi, & sępe numero calui, barbam habentes bifurcatam, & pulchram, & rotundam. Vincitque in eorum complexionibus calor, & humiditas. Et si fuerit Iupiter occidentalis, erit color nati albus, capilli eius plani, & synciput caluum, oculi mediocres,

diocres,& corpus mediocre, vincet in eo humiditas.

Sed si fuerit orientalis super terram, eloquentes facit, & oratores, & complexionem calidam,& humidam.

Quantum autem attinet ad animum, filij Iouis sunt boni, pij, honesti, iusti, fideles, bonorum morum, hilares, iucundi, indulgentes Veneris officio, quo cum caruerint, facilè in ægritudines labentur, sibi & suis vtiles, bonum appetentes, prouidorum consiliorum, largi, virtuosi, & in sermonibus veraces, misericordes, adiuuantes pauperes, sine fraude & dolo, fide digni, pacifici, & plurimum sapientiæ dediti, multos amantes, & sibi quam plurimos amicos facientes, iura colentes, diuini cultus amatores, religiosorū, & heremitarum, ac legum cultores, & sunt boni intellectus, delicate viuunt edendo, & bibendo, & satis audaces sunt cum discretione, iracundiam non exercent nisi coacti, & qui eos ad iram prouocant, eos summis conatibus persequuntur, pauperes adiuuant, omnibus ferè benefaciunt, aliosque benefacere docent, leuiterque addiscent, quæ audiunt, & bene capiunt singula, & plurimum potentes in re venerea, & multi spurios & illegitimos pueros generant. Et sunt filij Iouis vt plurimum sanguinei.

Sanguine largus, amans, hilaris, ridens, rubeusque.
Cantans, carnosus, satis audax, atque benignus.

Martiales filij habent faciem rotundam, turpem, granulis rubeis infectam, aut cicatricem vel vestigium, horribilem aspectum, & acutum, nasum magnum, & piceum colorem faciei, rubeum mixtum nigro, sicuti est color illorum, qui ambulant in Sole, capillos paucos, ruffos inter crispos, & planos, plerumque tamen crispos seu implexos, oculos croceos, ardentes, & flamineos, & paruos, barbam tamē cum raris pilis & hircinam, dentes curuos, & longos, collum longum, & spissum, corpus curuū & grossum, pectus acutū, aliqui tamen sunt valde hirsuti in corpore, manibus, pedibus & in pectore. Sed quantum ad animum, filij Martis sunt fallaces, inconstantes, inuerecundi, pertinacis iræ cum vindicta, proditores, discordias & bella seminantes, superbi, homicidę, cruenti, non magna ratione præditi, nec sensibus expediti, sed importuni cum impetu omnia facientes, quæ instituunt, confidentes proprijs viribus, exponentes animum in mortis pericula, nulli cedentes, aut submittentes se. Sunt in bellis, & seditionibus primi, necnon falsarij monetarum, & cartarum, edaces, multum cibum facilè digerentes, coitum grauiter appetunt, sed parum possunt, Et vincet in eis calor, & siccitas, & sunt vt plurimum colerici. Sed si Mars fuerit occidentalis, dat nato rubeum colorem cum simplici rubedine, paruos oculos, capillos planos & raros tendentes ad albedinem, ac flauedinem, faciem

rubeam & in ea maculam, magnum caput, in fronte signum, aut percussionem, magnas nares, aspectum acutum, dentes longos, carnem modicam, in suo incessu magnos facit passus, vincit in eius complexione siccitas, sunt & satis difficilis perceptionis, sed quicquid semel animo recipiunt, diu tenent, semper iniquæ cogitationis, turpiloquij & sanguinarij.

Plenæ bile tumens, hirsutus, prodigus audax.
Fallax, irascens, bili subiectus habetur.
Astutus, tenuisque cutæ, croceoque colore.
Marte dolus. prædæ, cædet, violentia regnant.
Proditio, bellum, miscentur sacra prophanis.

Solinus filius est mediocris naturæ, carnosus, albus cum quadam citrinitate seu rubedine, formosæ faciei, & rotūdæ, & lucentis, oculos habens mediocres, & acutos, satis tamen magnos, & croceos, aut rubeos, caput magnum, capillos extensos subtiles aliqualiter crispos, & flauos, nasum simum, barbam spissam & formosam, dentes raros, os latum, supercilia coniuncta, carnosumque corpus. Et sol in horoscopo facit signum in facie, & communiter caluos & pigros, & temperatam complexionem in calido, & sicco. Tamen iuxta Dorotheum, figura Solis, & eius complexio, erit sicuti figura, & complexio planetarum, cum quibus coniungitur. Et quantum ad animum, Sol facit regales, nobiles, & imperantes, homines honestos, largos, gloriosos, auctores magnorum consiliorum, ciuitatum, & prouinciarum principes, profundarum cogitationum, diuites, bonos diligentes, & reprimentes malos, facit quandoque idolatras, augures, & diuinatores qui secreta, & occulta consilia reuelant. Sunt & nonnulli ex filijs Solis, qui se apparenter religiosos profundè deuotionis, sapientesque ostendant, cum tamen interiùs sunt mali, & hypocritæ, sunt tamen communiter magnæ sapiētiæ, magnifici, & magno spiritu superbiæ inflati.

Magnificos reges, iustos quandoque superbos.
Et fortes animo gignit, Sol sidere natos.

Veneris filij, multum cum iouinis participiant, nisi quòd ea, quæ per venerem contingant, pulchriora sunt, & magis recipiuntur, & eius pulchritudo mulierum pulchritudini assimilatur. Facit namque Venus nato oculos venustos, quorum nigredo plus albedine nitet, & ludet oculis suis pro bene apparendo, cum pulchris supercilijs sub nigris & iunctis, habent & Venerei pulchros capillos, extensos, aliqualiter crispatos, faciem rotundam, carnosam, bene coloratam, in ea signum, nasum curuum, inferiora labia crassa, superiora subtilia, collum pulchrum, nec nimis longum corpus, nec nimis pingue, nec nimis macilen-

lentum, angustum pectus, curtas costas, crassa crura. Et Venus orientalis facit pingues, albos, pulchræ, & longæ staturæ cum oculis nigris. Facit & mulierem adeo libidinosam, vt virum conscendat coeundi gratia. Si occidentalis, dat breuem staturam, & caluum, & mediocrem amorem erga mulieres. Sunt tamen venerei satis luxoriosi, multum appetentes coitum, & in eo valde potentes. Alias quo ad animum: Filius veneris erit eloquens blandus, dulcia afferens verba, & mollia, prudens, fortunatus, honestè incedens, ornati corporis, lętus, amabilis, gratus, pius, iustus, multoque gaudens potu, & modico cibo, musicæ, & cantilenis studens, rebusque omnibus, iocosis & lætis, Deum multum verebitur: faciet diligi se ab hominibus bene dat, beneque accipit, & aliquantulum piger, & rarò sequuntur litteras, ideoq; ferè indocti. Et sunt calidæ, & humidæ complexionis, quæ enim sanguinea multum conuenit cum participatione tamen phlegmatis.

Ad venerem referunt gratos: vnguenta: camœnas.
Stupra: voluptates: cultus: bellaria: luxus,

Mercurij filij. Erunt mediocris staturæ: extenuata carne: habentes frontem eleuatam: faciem longam: nasum longum: subtilem: oculos pulchros & paruos: non omnino nigros: raram & nigram barbam: & pulchram: subtilia labia: capillos extensos: curuos: seu obliquos dentes: oblongos digitos. Quo ad animum. Filius mercurij est sapiens. subtilis; bonorum morum: verax; nullius perfidiæ: abilis ad omnes artes: tum præcipue ad Arithmeticam: Astronomiã: ad quadrumalesque artes: ad sortilegium: ad prophetias: ad prædicendum res futuras. Est & abilis ad omnes artes mechanicas, & subtiles: sicuti est ars aurifabrorum: pictorum & sculptorum. Et est homo subtilis in disputando: multi intellectus: & sapiens: diligens Philosophiam Poeticã: & artem carminum: & semper studio insisti indagando res profundas & secretas. Et vt in plurimum sunt filij mercuriales conuertibilis naturæ: cum bonis boni sunt: & cum malis pessimi efficiuntur. Et sunt pluplurimum calidę, & siccæ naturę cum temperamento: secundum quod fuerit orientalis vel occidentalis. Aliàs tamen Mercurius ex se desiccat & humectat: Multos amicos sibi parabit: sed parũ prospero successu: & plus expẽdet in amicis: quã lucretur: quia paucos inueniet fideles.

Marcurius fingit diuinos arte poetas.
Solertes: doctos: blandos: sermone fideles.

Lunæ filij. Sunt albi rubedine mixti: habentes pulchram, & rotundam faciem: album glaucedine conspersa: oculos non ex toto magnos nec omnino nigros, & eminentes: vnum altero maiorem: aut luscos & strabones: & raro oculi eorum sine maculis erunt, aut defectuosi. Sunt

& in

& in eis supercilia iuncta: signa aut maculę in faciei.


Quo autem ad animum filius Lunæ erit vagabundus: instabilis, huc atque illuc discurrens: oblunosus: formidulosus: pusillanimus: secretorum diuulgator: rerum delectabilium amator: amans sortilegia, historias, fabulas, & commessationes et est vniuersaliter instabilis, ad omnes res conuertibilis, & est nullius seruicij, & vt plurimum sunt phlegmatici: quare citòrem accipiunt, & velociter obliuioni tradunt, nec diu retinent, parumappetunt coitum, sed multum possunt, in dormitionibus gaudent, &pigri efficiuntur, & graues ad ambulandum, parum audaces, & minime larges, subsannatori & derisores.

Somnus phlegmaticos captat, & inertia multa,
Ore spuit multum, tussit conamine multo:
Sensus hebes, pinguis facie, color albus adhęret:
Imperio Lunæ: delator: corpore magnus:
Mobilis existit, castusque, albedine fusus.

Variantur autem naturæ, & complexiones mortalium secundum regionum, & locorum diuersitatem. Regio enim frigida affectum frigidæ complexionis augumentabit, calidæ autem diminuet, & calida regio effectum calidæ complexionis augmentabit, & frigidæ diminuet. Regio autem æqualis, & temperata consonabit effectum complexionis temperatę: sicuti sunt regiones, quæ sunt sub ęquinoctiali circulo, vti probat Auicenna capi. de Complexionibus.

EXPLANATIONES.

Etsi appositione exempli docet auctor noster quomodo cognoscas corporis habitudinem: tamen quòd facit id obscuriùs, quàm ut à tirone intelligi possit; apponam ego aliud exemplum, & planiùs rem ipsam exponam, idque ex sententia Ioannis Barcæi uiri in hac facultate eruditissimi. Natus igitur est quis Venetijs, cuius ortus talis cœli constitutio est.



Significatores.

1 *Horoscopus, & dominus eius.*
2 *Planeta, vel planetæ in prima, vel horoscopum partialiter adspicientes.*
3 *Luna.*
4 *Planetę lunam aspicientes medietate suorum orbis.*
5 *Quarta anni, vel signum, in quo ☉ est.*
6 *Dominus genituræ.*
7 *Participans.*
8 *Stellæ fixæ in horoscopo.*

Collectio testimoniorum ad iudicandam corporis habitudinem fiat hoc modo.

	Cald.	Frigid.	Humid.	Sicc.
Heroscopus est ♎	1		1	
Dominus eius ♀			1	
♑ in prima				1
in ♓		1	1	
☽ per se	1		1	
in ♎	1		1	
♃ ⚹ ad ☽			1	
☿ ⚹ ad ☽	1			
☉ in ♍	1			1
☿ Dominus genituræ	1			
♀ socia			1	
☿ in ♌	1			1
♀ in ♍		1		1
Spica ♍ in Horoscopo	1		1	
Summa graduum	8	2	8	4

Calida, & humida complexio, sanguinea scilicet, & aerea.

2 *Quæ dicit de cognoscenda animi habitudine ex hominis figura, & animi affectionibus sunt per se satis nota. Sed si cum hac cognitione addideris, quæ dicuntur à Galeno de temperamentis; erit doctrina certior. Non enim semper vnicus est dominus geniture, ex quo nostrum corpus quodammodo constituitur, & sibi simile reddit; sed nonnunquàm imò ferè semper habet socium, qui & ipse suam contribuit naturam. Vt igitur huius rei perfectam habeas cognitionem, vtramque doctrinam permisceas censeo.*

SVMMA CAP. II.

Diuersas enumerat sententias de ponderibus medidicis, & tandem quæ hac tempestate probentur, docet.

PON-



PONDERA Medicinalia, accepta sunt secundum Tritici grana mediocria, & diuersificantur primò secundum diuersitatem prouinciarum: nã aliud est Kist apud Grecos, & aliud apud Italicos: Greci accipiunt Kist, pro gr. 20. & Italici pro gr. 18. Secũdò diuersificantur ratione medicinæ: quia chus, seu congius vini sunt libræ 9. sed chus mellis sunt libræ 12. & media. Et cochlear mellis est aurei 4. sed cochlear medicinæ est aureus vnus. Tertiò, ratione diuersorum auctorum. Nam Nicolaus dicit Sextarium esse lib. 2. & s. Sed Serapio dicit, sextarium esse lib. 3. s. & 2. danic aut aureos 4. & 5. Sed pro concordia sciatis, quando inuenitur Kist in libro Grecorum, debet poni Kist Romanum, scilicet gr. 20. Sed in Italicis kist Italicum, hoc est, gr. 18. Et quando in Nicolao reperitur sextarius vini, vel olei, ponantur libræ 2. s. Sed si reperitur sextarius papaueris, vel alterius in Rasi, vel in Serapione, aut Auicenna ponatur 3. 6. & danic 2 & qui hanc diuersitatem ponderum scire voluerit, legat auctores Medicinæ, tum precipue Serapionem in fine sui Breuiarij. Et Saladinum de Esculo in compendio Aromatariorum, Parti. 3. Et ego hic posui hæc pondera, quæ cottidie in praxi medicinæ occurrunt, sicuti est Scrupulus, Dragma, vt infra, quæ ex granis tritici constituuntur, & non ordei, nisi ordeum specificatum fuerit, vt si diceretur, Grana 5. ordei. Aliàs semper intelligas grana tritici, iuxta Saladinum. Sed tamen communiter omnes practicantes accipiunt grana ordei, & accipiunt 16. vnc. pro libra vna.

Grana	10	constituunt	℈ 5
	20		℈ 1
	60		ʒ 1

3	constituunt	ʒ 1
℥ 8		℥ 1
vnc. 12		lib. 1. medicinalem.
vnc. 16		lib. 1. secundum mercatores & ciuiles.

℥ 1	facit	2 lot	℈	denotat	Scrupulum
℥ 5		1 lot	ʒ		Dragmam
ʒ 1		1 quintle	℥		Vnciam
ʒ 5		1 halb quint	lib.		Libram
ʒ 2		1 halb lot	M.		Manipulum
ʒ 4		1 lot	s		Semis
ʒ 8		2 lot			

EXPLANATIONES.

Cum res per se satis aperta sunt, medicaque tota, & a medicis scriptoribus copiosius tradita, nihil est, quod interpretemur.

SVMMA CAP. III.

Cum Medicus vult morbum curare, qui sit in toto corpore signum libra fortunatum oriatur, & ☽ in horoscopo non sit, sit tamen à bonis benè affecta neq; sit in ☍ domini ascendentis: aut octaua dom. neque sit descendens. Si vis curare morbum veterem, ☽ sit in ♉, vel eius triplicitate benè affecta, & in aliquo angulorum, si recentem morbũ sit in ♋, vel ♏, & maxime in ♓, si est morbus in aliquo membro fac ascendens signum dominantem illi membro, quod uis curare, quod cum suo domino sit bene affectum, sit ☽ aucta numero, & lumine cum mederi uis membris malè affectis, & sic ☽ in parte cœli apta, & quæ sit hæc pars docet.

1 SI ægritudo infirmi sit in toto corpore, & medicus doctus mederi voluerit hanc ægritudinem ponat ad horoscopum signum Libræ, & quod sit fortunatum sine infectione malorum, similiter & dominus Libræ, hoc est, venus, & caue in omni morbo medendo, ne luna sit in horoscopo, sit tamen aliàs in aspectu fortunato, vt in trino aut sextili cum planetis fortunatis, & non sit coniuncta Ioui, nam dicit ptolomeus in centiloquio. Si quis purgatorium acceperit luna cum Ioue existente, abreuiabitur opus eius & effectus eius minuetur. Cauendum etiam est in omni cura, 2 ne luna

sit

sit in oppositione domini sextæ,aut octauæ domus,etiam si talis dominus fuerit fortunatus. Sed si fuerit in eius sextili,vel trino aspectu nō vitiat, & quod luna non sit descendens. Sed si curare volueris antiquatā ægritudinem,fac, quod luna sit in tauro, vel eius triplicitate, & salua ab infortunis & in aliquo angulorum ascendentis, nam luna tunc potentior erit, & maiorem securitatem medicus habebit, quod infirmitas non faciet recidiuam postquam infirmus sanatus fuerit. In recentibus autem morbis curandis, eligatur cancer,scorpio,& maximè pisces. Et si infirmitas fuerit in certo membro, vt in capite ponatur aries,qui respicit caput ad primam domum, & quòd sit liber ab infectione malorum,similiter, & dominus eius scilicet Mars,aptaturque luna, vt sit libera ab infortunis. Sed si collum curare velis, sit ascendens taurus & luna in eo secundum aliquos, & sit fortuna in secunda domo, 3 & ponas taurum ad secundam domum,& lunam for tunatam. Sed si ægritudo fuerit in humeris,brachijs,aut manibus,sit ascendens gemini & luna in eis, & fortuna in domo tertia, aut ponatur gemmini ad tertiam cum luna. Si fuerit ægritudo in pectore, sit ascendens cancer,& luna in eo,aut sit cancer in quarta domo cum Luna,aut cum fortunato astro,& sic simili modo agendum est de alijs membris corporis,& signis,hæc membra respicientia.

Inquit Messahala,aspice,in quo loco corporis sit infirmitas,& si fuerit in capite,gula,humeris,brachijs,seu manibus,incipies operari Luna existente in Ariete,Tauro,vel gemminis,quæ est pars superior corporis. Et si fuerit in pectore, vel dorso, vel ventre, seu vmbilico, cura cum Luna fuerit in cancro,leone seu Virgine,quæ est pars in medio corporis,& sic de alijs partibus corporis,vt in figura.

Luna in	Ariete Tauro Geminis	Cura caput,guttur,humeros, brachia,manus
	Cancro. Leone Virgine	Cura Pectus,dorsum,ventrem, seu vmbilicum.
	Libra Scorpione Sagitario	Cura anchas,verendas,& coxas,
	Capricorno Aquario Piscibus	Cura genua, crura, pedes

4 In omnibus istis curis, sit Luna aucta numero, & lumine, si fieri potest iuncta fortunis. Et Luna dicitur aucta numero, cum æquatio Argumenti, additur super medium motum. Sed cum æquatio subtrahitur, dicitur diminuta numero, & si Lunam ita non comperies, ponas saltem Iouem in domo sexta.

Etiam omnis ægritudo, quę fuerit à capite vsque ad pectinem curatur 5 Luna deuoluente ab angulo terræ vsque ad medium cœli, quæ est pars cœli ascendens. Sed si fuerit ægritudo à pectine vsque ad inferiorem partem pedum, cura Luna existente à medio cœli vsque ad angulum terræ, seu quartam domum, quæ est pars cœli descendens. Et si Luna reperitur à prima domo, & decima, hoc est, inter primam & decimam, aut inter septimam & quartam, ęgritudo facilis erit curæ. In alijs autem domibus si deuoluatur Luna, curabitur difficulter.

Aduertas tamen semper, ne tangas membrum ferro, aut igne, Luna existente in signo respiciente illud membrum. In alijs autem curis adhibendis, præsentia Lunæ in signis non euitatur.

EXPLANATIONES.

1 *Qui non est in rebus astronomicis assiduè versatus non facilè inueniet quota hora, vel diei, uel noctis, uel libra, vel ♉, vel aliud signum oriatur, vel supra nostrum horizonta scandat, ob id cum omnibus consultum velimus duplicem hic tradimus rationem, qua id cognoscere possint citra omnem laborem. altera est per ephemeridem, altera sequenti rotula ad id, & multa alia maximè accommodata. Per ephemeridem igitur primum, studeo intelligere hodie die. s. 10. Junij 1584. quo die hæc conscribebam, qua hora surget supra nostrum horizonta. Grad. primus ♎ ut ab aliquo corpore depellā morbum, qui totum corpus maximè lædat, sic agendum est. Primum inuenias signum ♎ in tabulis domorum ad latitudinē gra. 45. (scribebam enim Venetijs, cuius latitudo tanta est) idque sub titulo ascendentis. & è regione in columna, cuius titulus est Tempus à meridie, video respondere primo gradui ♎ quem ascendere uolo, H. 6 M. 4. Hoc tempus scribo seorsum. Deinde video in ephemeride, die 10. Iunij solem esse in gr. 19. ♊ Hoc gradu iterum ingredior tabulas domorum, & quæro eundem gradum ♊ in decima domo, & tempus a meridie, quod ei respondet in columna temporis à meridie, est H. 5. M. 12. hoc exscribo sub primum tempus inuentum, & subduco ex superiori, quod reliquum est, quod est H. 0. M. 52. erit hora post meridiem eiusdem diei, in qua primus grad. ♎ surgebat. quod tempus si reducere volueris ad nostras horas horologij, vide quota hora sit meridies, quæ tunc erat*

hora

hora 16. M. 19. & huic tempori addas tempus post meridiem inuentum, & summa horum duorum temporum ostendet tibi horam horologij.


Hora meridiei, H. 16. M. 19.
Tempus p. M. H. 0. M. 51.

Tempus horologij. H. 17. M. 10.

Alia quoque ratione id facere poteris, & faciliùs sequenti rotula, quam docturus sum postquam singulas partes explicauero, vt doctrina fiat apertior: cum præsertim id intellectum ad multas alias res, quæ in hoc libello traduntur, maximè conducat. Prima pars huius figuræ est illa rotula maior, quæ immobilis est, & vnà cum cæteris libri paginis conserta est. Hæc diuisa est in 24. partes æquales, & numerus inscripta ab 1, vsque ad 24. quorum primus numerus est in parte dextera, & per inferiorem partem rotæ more astronomico sinistram partem versus ordo numerorum est descriptus. ij numeri indicant horas nostras Italicas, quę ab occidente sole incipiunt, & in

eodem loco desinunt, super hanc alia posita est rotula, sed minor, in cuius extremitate inest eademmet diuisio.in 24. horas, sed non incipit, vt superior ab occasu solis, sed à linea meridiei, quibus horis vtuntur astrologi, & ad has horas cōscriptæ sunt ephęmerides. Insunt præterea tres lineæ circulares, vel tres peripheriæ, quarum prima est illa vbi desinunt illę semicirculares lineæ, quæ sunt in area circuli, & hę nobis indicat tropicum ♑ sphęræ. alia est hac strictior, & diuisa in 12. partes ęquales, & hæc æquinoctialis linea est: tertia est adhuc strictior, & tota tegitur ab illa minori rotula, & hæc est tropicus ♋. Adsunt etiam duæ rectę lineę, quarum extremitates contingunt tropicum ♑, & se inuicem diuidunt ad angulos rectos in centro huius secundæ rotę. illa, quæ inscripta est ab altera exterminatæ, num. 10. ab altera 4. linea meridiana est. quæ verò hanc diuidit est horizon in Sphera recta: adsunt alię quinque lineæ semicirculares, quę cum his duabus diuidunt æquatoris lineam in duodecim partes ęquales, & totum cęlum in duodecim domos, quarum quęlibet est suis numeris inscripta, ut prima sit sinistrorsum, & contrario ordine, ac scriptæ sint horę: illa autē linea inscripta HORIZON diuidit sex domos, quæ sunt supra terram ab illis sex, quæ sub terra sunt, & est Horizon nostræ Sphæræ obliquæ ad latitudinem grad. 45. adsunt præterea nonnullæ lineæ, quæ ex punctis constant, de quibus aliàs dicemus. Extima linea tertię rotulæ adhuc alijs duabus minoris, est linea ecliptica ritè in duodecim partes diuisa, & Zodiaci signis notata, & in tercentos & sexaginta gra. distributa:


stributa: ita tamen, ut quælibet diuisio duos contineat grad. super his omnibus adest regula quędam, quæ nobis lineam fiduciæ ostendit, & est illa regulę extremitas, quæ à centro proficiscitur, usque ad extremitatem maioris circuli. Hæc est figurę expositio, sequitur figura, deinde figurę vsus, quæ omnia ex Astrolabio, nonnullis tamen adiectis decerpta sunt.



De vsu huius rotulę.

Multiplicem nobis affert vsum hæc figura, sed omissis his, qui nobis tum ad intelligendum nostrum auctorem, tum ad præstanda ea, quę docet, minimè conducunt, docebimus, quota hora diei aliqua pars Zodiaci nobis oriatur: quomodo cognita hora diei tam post meridiem, quàm horologij erigatur statim cæleste thema, quomodo quotidie facile cerni possit quota hora sol oriatur, & ad meridiem perueniat ex Horis. Italicis, & quota occidat, & oriatur ex Astrologicis, neque sol tantum, sed & reliqui planetæ. Quod autem attinet

prodesse possimus, quando non datur omnibus has quatuor Rotulas, in quibus tum cœli duodecim domus, tum úæ planetariæ dicitur descriptę sunt, sed ad diuersas latitudines accomodatas imprimendas curauimus. Quilibet tis latitudinem, & ea vtatur Rotula, in cuius medio est sua latitudo, vel proximior inscripta, reliquis tribus omissis. iuitatis cognosces ex Ephemeridibus, etsi minimè adest tua ciuitas, vide latitudinem ciuitatis tuę proximioris. esse est omnes Rotulas suo loco collocare, quod ita facias, vide pag. 28. b. ibi inuenies Rotulam in 24. partes distri fit infixum filum necesse est. Medium autem est vbi illæ duæ lineæ ad angulos rectos se inuicem diuidunt: & fu-odem filo infigatur harum quatuor illa, quæ tuæ latitudini seruiat, vbi lineę diametrales se inuicem diuidunt: & n illam minorem rotulam, in qua duodecim Zodiaci signa descripta sunt, & vbi lineæ, quę in area sunt, se ipsas di nfigas quoque illam paruam Regulam, in qua scriptum est, Liuea fiduciæ, & vbi est hoc signum o, & ita accomo-filo, vt facilè voluantur, nec tamen à filo discedant: quibus ita accommodatis, vtere, vt primo libro docuimus.



tinet ad primũ in ordine propositũ vult scire medicus quando incipiet oriri signum libræ die 21. Decembris 1584. Primum videndum est in ephemeride quam parte Zodiaci occupet Sol in illo die, & inuenio esse in primam partem capricorni, inuenio hanc partem in minori rotula, & in linea ecliptica, & super eam apto lineam fiduciæ: deinde ita hæ duæ partes euoluantur, vt perueniat ille punctus vbi linea fiduciæ diuidit eclypticam dextrorsum supra Horizontem, qui est in secunda rotula, & ita euoluantur hæ duæ rotulę cum linea fiduciæ, vt linea fiduciæ cadat super initium primæ horæ, primæ rotæ, quæ maior est, quod ubi feceris, fac, vt aliquantulo cerę firmentur secunda rota super tertiam, & ita immobiles maneant. & lineam fifirma super rotulam Zodiaci pariter cera, vel aliqua ratione. Postea euolue rotulam zodiaci cum linea fiducię quoad in parte sinistra oriatur primus gradus ♎, & linea fiduciæ ostendet tibi in maiori rota horam horologij, & in secunda hora post meridiem vel Astrologicam, qua signum ♎ incipiet oriri. die 21. Decembris 1584. Erit enim hora 12. post m. & horologii, hora 7. M. 45. in media scilicet nocte, & hæc est ratio facilior, & expeditior, quàm cæteræ, quæ numeris, & rationibus fiunt, licet non tam exquisita, tantum tamen habet perfectionem, quanta ad pręsens negocium satis est.

Quomodo erigatur celeste Thema.

Ex omnibus rebus, quas medici astrologis obiiciunt, cum eos adhortantur, ut nullius hominis curam aggrediantur, nisi priùs inspecto cœli themate horæ decubitus ipsius ægroti, neque secent uenam, neque curent, vel balneis vtantur, neque aliud faciunt sanandi causa, nisi cum cœlum ad id propitium esse uidetur; illud est, quod tempus non satis est medicis, qui multis ægris medentur, vt cęlestem figuram singulis erigant: huic rei, pro viribus succurrere uolui, tradendo viam, qua id facile perficere valeant. Sed primum doceamus, quomodo erigatur, idque in meridie, perspiciatur primum locus solis in ephemeride, deinde aptetur linea fiducię supra locum ☼ in meridie eius diei in eclyptica, vt dictum est superiùs, & punctus vbi linea fiduciæ diuidit eclypticum collocetur supra lineã Horizontis, & linea fiduciæ cadat supra primã partem primæ horæ primæ, & maioris rotæ: deinde secunda rota cum prima maneant in eodem situ cera coniunctæ: linea fiducię deinde cum rotula zodiaci pariter in situ suo maneant simul, ita tamen, ut possint simul volui: uoluantur postea quoad peruenerint ad principium primę horę pomeridianę, quę in secunda rotula est, postremum ita omnes rotę firmentur, ut minimè de loco cedant, quo peracto uide, qui gradus eclypticæ cadat super decimam domum, & illũ transfer in figurã quadrangularem, vt moris est, sic vide quis cadat super undecimam, & sic deinceps super cęteras lineas, & ita habebis

duodecim domos constructas. deinde planetas per signum distribuas vt in ephemeride scriptum uidebis, ita manentibus omnibus sub linea fiduciæ habis in maiori rotula horam meridiei, conuertas iterum lineam fiduciæ supra Horizontem videbis in maiori rota sub linea fiduciæ occasus solis, si idem effecerit in parte sinistra tibi ostendet linea fiduciæ horam occasus solis in maiori (vt dictum est sæpius) in minori vero horam astrologicam.

Quod si thema cœli erigere volueris in cœteris horis diei, vt uoluisti lineam fiduciæ ad lineam meridiei, sic voluas ad horam tuam horologij, & eris voti compos. Videbis enim qui gradus zodiaci concurrant cum lineis duodecim domorum, & illas in quadrangularem figuram exscribas, vt dictum est de figura erigenda in meridie. Vt exempli causa uolo erigere figuram cœlestem die 21. Decembris hora 21. horologii primum apto secundam, & tertiam rotam cum linea fiduciæ (ut dictum est superiùs) cera, deinde affigo secundam rotam primæ, & lineam fiduciæ rotulæ zodiacum continentis, postea euoluo lineam fiduciæ ita affixam ad initium horæ 21. conspicio postremum, qui gradus zodiaci sint supra decimam domum, & inuenio grad. 5. ♑. in 11. grad. 22. ♑. in 12. grad 20. ♒ in 1. grad. 10. ♈. in 2. gra. 22. ♉. in 3. gr. 18. ♊, in oppositis verò opposita, quæ sic inuenta exscribas oportet in pagella ad id accommodata, vt dictum est de aliis.

Vt autem inscribas planetas citra laborem; & tam diligenti ratione, quantum ad medicum satis est, sic censeo faciendum, vt inscribas omnes planetas eo modo, quo reperiuntur in ephemeride præter lunam: ob tardiores enim motus aliorum planetarum prudenti medico errori esse non potest, per ☉ autem vide quota hora sit post meridiē in rota, vt docuimus, & pro singulis duabus horis adde gradum vnum loco ☽ in ephemeride reperto, & eo loco in figura colloca ☽. & ita habebis facilè, quod quæsieris.

2 Ne luna sit in oppositione, dominus sextæ vel octauæ domus: dominus. n. octauæ malè affectus, vt docent genethliaci morte minatur, & dominus sextæ morbum si male affectus sit, male afficitur semper vel □ vel ☍ lunæ & luna ab illis: dubitatur hic de quonam domino vel 8. vel 6. dicatur de eo, qui fuit talis in genesi, an in cœlesti figura morbi, quo tum laborat. De figura morbi existimo verba faciat cum velit, ut ipse docet in superioribus, & illis mederi, cuius ortus hora ignoratur: si tamen haberes, & eius genesim, & cœleste thema eius natiuitatis, cum omnia (vt & Ptolemeus cum tota Astrologorum schola sentit) ex illo principio pendeant, & ex illa radice pullulent, utile erit, si effeceris, ne luna à dominis, aut octauæ domus malè afficiatur, vel eos male afficiant una cum iis, quæ in figura morbi sunt.

3 Exponas taurum ad secundam domum, quod dictum est in superioribus de inueniendahora, qua aliquid signum ascendit, idem dictum sit de modo cognoscendi quando perueniunt vel ad secundum, vel ad tertium domum, vel



vel ad alias, vt in ephemeride inuenire debes primum, quod volumus ascēdat in tabulis domorum sub titulo primę domus, sic si vis aliquod signum esse, vel ingredi secundam domum inuenias illud sub titulo secundo domus, & sic intelligatur de reliquis domibus: per nostram autem rotulam sic fiat. Volo hodie, qui dies est ij. Iunij scire, qua hora peruenit, 10. gradus ♉ ad cuspidem secundę domus. Primum ingredior ephemeridem, & quæro locum solis Die 11. Iunij 15 gr. 4. inuenio eum esse in gr. 20: ♊. deinde apto lineam fiduciæ super eundem gradum in minori rotula, in qua distributus est zodiacus. Postea idem pūctus, qui efficitur à linea fiduciæ, & linea eclypticę accommodo super lineam Horizontis in dextera parte, pręterea faciendum est, vt ita permanentibus his tribus partibus, & simul his tribus mouendis, linea fiducię cadat super primam partem primę horę in maioci rota. Postremum firmata linea fiducię uel cera, uel alia ratione super zodiacum, & rota domorum cęli, quę est proximior primę, idest maiori, super ipsum maiorem euoluas; oportet zodiacum cum linea fiducię quoad decimum grad. ♉ quem ad secundam domum peruenire volumus, & tum linea fiducię tibi ostendet in maiori rota horas nostri horologij esse, quę sunt pene sex elapsæ, in secunda autem, quę ostendit horas à meridie uidebis elapsum esse 12. cum dimidia ferè, quando scilicet peruenit gr. 10. ♉ ad cuspidem secundę domus. Hac vtere ratione, & in cęteris signis, & domibus.

4 Sit ☽ aucta numero, & lumine, *pro tironibus, & huius rei explanationem aggrediamur. Quęre in ephemeridæ Antonij Magni iuuenis ornatissimi vel in aliis, locum ☉, & locum, ☽ & considera distantiam ☽ a sole si duplicata hęc distantia est minor semicirculo tunc ☽ est aucta numero, si maior est diminuta, maior inquam semicirculo si numerum gr. 180. excedit: tot enim gradus continet semicirculus.*

Auctus lumine dicitur quilibet planeta dum uel planeta progreditur à Sole, uel ☉ à planeta, ut ☽ dicatur aucta lumine, uel lumine augeri, ex quo reliquit orbem Solis, quem esse diximus iuxta Cardanum gr. 17. vsque ad ☉ ☍. minuta uerò lumine ab ☍ vsque ad coniunctionem.

5 Luna deuoluente, *facta figura cœli, ut supra monuimus, uide in ephemeride, in qua parte zodiaci sit luna, deinde in themate erecto, in qua parte figuræ sit illa zodiaci pars, & eris uoti compos. Nam si ☽ est à decima ad quartam descendit: sin à quarta ad decimam ascendit.*

SVMMA CAP. IIII.

Planeta, qui plures habuerit dignitates in loco ascē. ☉, ☽, domini, ⊗, & domini horæ dicitur almutes


ascen. vel infirmi significator. Domus, in qua fuerit infortunatus, significat partem ægroti affectam si almutes infortunatus est supra terram morbus est in parte dextra, si sub terra in sinistra, si in signo rectæ ascensionis in toto corpore, in signo æqualium ascensionum in corde. in signo paucarum est diminutio membri. Pars infirmitatis est a grad. domini horæ in gradum, ☉ & proijcitur ab initio ♈. Docet quoque sciri morbum posse à sexta domo, eius domino, & planeta, à quo separatur luna. Hæcq; omnia exemplo declarat.



SI cognita tibi fuerit hora, qua ægritudo primum molestauit ægrum, erigatur ea hora thema cœli, vti assolet fieri, dehinc videatur almutes super ascendens, super Solem & Luna & 1 dominum partis fortunæ, 2 & ad dominum horæ, & ipse erit significator infirmi, & secundum statum eius de fortitudine & debilitate, indicatur debilitas & fortitudo infirmi, & videatur in qua domorũ hic 3 almutes infortunatus fuerit. Indicat quod in illo membro est infirmitas, quæ significatur per domum, dando ascendens capiti. Secundam domum, collo. Tertiam, manibus & humeris, vt habitum est in primo tractatu. Et hæc infirmitas erit de natura domus infortunantis, quam scilicet earum meliori aspectu aspexerit. Et si almutes seu significator infortunatus fuerit supra terram, infirmitas est in parte dextra. Sed si infortunatus fuerit sub terra, ægritudo est in parte sinistra. Et si est in signo multarum ascensionum, quæ sunt leo, Virgo, Cancer, sagittarius, scorpio, libra, infirmitas erit in toto corpore. Et si fuerit in signo æqualium ascensionum, infirmitas est in corde. Et si fuerit in signo paucarum ascensionnm, dic quod infirmitas est diminutio membri: pars autem per quam sciatur locus infirmitatis, accipitur à gradu domini horæ in gradum Solis, & proijcitur ab initio signi arietis, & vbi finitur numerus, dic quod infirmitas est in membro

illius

illius ſigni. Aliter ſcietur infirmitas, puto à ſexta domo & eius domino & à planeta à quo ſeparatur Luna. Exemplo rem melius accipies.



Inuaſit quendam corporis ægritudo 1529. die quinto decimo Decembris, poſt meridiem, hora prima, minuto 30. in hora Lunæ, volui ſcire almutem ægrotantis, inſpexi quis ex erraticis ſideribus plures dignitates eſſentiales haberet in aſcendente, loco Solis, locoque Lune &c. Reperique Saturnum habere in Tauro 19. eius gradu, qui oriebatur hora infirmitatis, nullam dignitatem, iouem habere terminum vnde ſibi duas dedi dignitates. Martem ibi habere ſuum exilium, Solem nullam habere dignitatem. Venerem verò comperi habere domum vnde & quinque dignitates aſcripſi, reperi poſt hoc Mercurium nullius dignitatis. Luna poſtremum habebat in tauro exaltationem, vnde quattuor fulcitur dignitatibus, habebat & triplicitatem, quare ſibi tres dedi dignitates, vt ſic Luna haberet ex toto ſeptem dignitates

in

ñ gradu ascendentis. De hinc aspexi ad gradum solis,& reperi Saturnum habere domum, Martem exaltationem, Venerem triplicitatem, Mercurium terminum. Post hæc reperi in loco Lunæ, hoc est in 8. gradu ♋, Iouem habere exaltationem, Venerem triplicitatem, terminum,& faciem, & Lunam habere domum. Aspexi & fortitudines in loco partis fortunæ, quæ cecidit ad 24. gradum ♌. Et reperi Iouem habere terminum, Martem domum, Lunam triplicitatem. Vltimò aspexi dominum horæ scilicet ad Lunam, quæ fuit in 8. gradu ♋, vbi Iupiter habet exaltationem, Venus triplicitatem, terminum,& faciem, & Luna domum. In hoc casu reperi Saturnum habere quinque dignitates, Iouem 12. Martem 9. Venerem 20. Mercurium 2. & Lunam 20. quæ in hoc habebit æquales dignitates cum Venere. Sed quia Venus in angulo septimæ, & domina signi ascendentis, quare eam Lunæ præposui in dominio,& ipsam significatorem, seu almutem ipsius infirmi dixi, quam Saturni astrum oppositis infecit radijs, quod ægrum pati grauiter in corpore, ac satis infirmum ostendit. Et ob Saturnum infortunantem, Venerem ex horoscopo dixi eum pati dolores capitis cò quòd prima domus caput respicit, & propter Saturnum in tauro pati in collo & in ventre, Saturnus enim tauro ventris ægritudines præsagit, vti dictum est in primo tractatu. Et hæ ægritudines proueniunt à causa frigida & humida. Et Venus almutes infectus supra terram, indicat ægritudinem in parte dextra fore. Aspexi etiam ad partem loci infirmitatis,& ipsam comperi in virgine, quæ respicit ventrem cum intestinis, quare & ipsum in his dolere dixi, & hæc est intentio ipsius Hali. Sed communiter accipiuntur ægritudines à sexta domo &c. Et secundum hunc modum propter virginem in sexta patietur similiter in ventre & dominus sextæ. Mercurius in nona domo, & in Capricorno ostendit ipsum pati in epate & coxis, aut ægritudines Mercuriales, de quibus præhabitum est. Iupiter tamen in sexta præsagiet ægrotantem ab omnibus ægritudinibus euadere incolumẽ,

EXPLANATIONES.

1 *De parte fortunæ extrahenda poterunt studiosi consulere, vel Ptolemeum, vel ephemerides, quę penè omnes id docent.*

3 Infortunatus, *Almutes erit infortunatus si nullam habuerit dignitatem in eo loco, vbi est si in detrimento, in casu, si fuerit vel combustus, vel retrogradus, vel in domo cadens, uel in 8. male affectus ab infortunis, vel ambobus vel alterutra coniunctus, vel □ radio, uel ☍ lesus non receptus,& quo plura horum*

ra horum

ra horum incommodorum habuerit eò peiùs erit, sin verò pauciora, minus erit infortunatus, sin nulla adhuc minus. Vt autem faciliùs colligas planetarum dignitates utere tabula, quæ fere in omnibus ephemeridibus reperitur, ne tibi opus sit euoluere omnia ea, quæ dicta sunt de his in superiore libro, quod multum tempus postularet, & nos hic tempus colligimus, quod fugere scimus, & medicorum rationibus consulimus.

2 Et ad dominum horæ.

Ad inueniendum dominum horæ multæ tradi possunt rationes, sed cum studeamus breuitati utere eo instrumento, quo vsus es in superioribus ad erigendum cœleste thema, sed priùs tibi animaduertendum est, in secunda rotula, in qua diximus adesse cœli duodecim domos nonnullas quoque reperiri lineas, quę ex punctis constant, & inscriptas his numeris 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12. quæ duodecim horas planetarias, uel inæquales indicant, ut autem dato tempore aliquo scias quota sit hora ex his, sic priùs constituas oportet rotulas, ut docui superius, idest si uis scire horam inæqualem diei 13 Augusti hora uigesimaprima horologii nostri Italici, idque Venetiis: priùs uide locũ ☉ in ephemeride, qui est gr. 20. ♌ tunc gradum perquire in minori rotula, quę inscripta est zodiaci signis, & super eum coloca lineam fiducię & intersectio facta à linea fiducię super eclipticam, coloca super Horizonta occidens uersus, deinde has duas rotulas cum linea fiducię ita accommodatas euolue, quoad linea fiduciæ cadat super principium primę horæ in maiori rotula, postea firma aliquantulo cerę secundam rotam super primam, & lineam fiduciæ super minimam. & hanc euoluas quoad linea fiduciæ cadant super principium horę 21 in maiori rotula, & ita omnibus firmatis Nadir solis 1. gradus oppositus loco ☉ ostendet tibi horam, quæ est hora 8. & pene dimidia: est igitur tempus nonę horę. ut autem scias eius dominum, sic faciendum est. primum considera qui dies sit hebdomadę. Hic autem est dies lunę, cuius primę horę dominus est ☽ secundę, ♄ tertię ♃, quartę ♂, quintę ☉, sextæ ♀, septimę, ☿ octauæ iterũ ☽, nonę ♄ igitur ♄ est huius horæ dominus: animaduertas pręterea quòd si id facere uolueris noctu, quod locus solis tibi ostẽdet illud, quod diu eius nadir. Per sequentes tabellas faciliùs inuenies hunc dominum, hoc modo ingredere tabulam horarum inęqualium diei, & in fronte perquire horam inuentam per rotulas, quę est hora 9. sinistrorsum uerò diem, qui est lunę in angulo communi adest ♄ horę dominus. sin et horas nocturnas habere uolueris utere tabula horarum inęqualium noctis, & eris uoti compos.

Horæ inæquales diei.

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
	H	H	H	H	H	H	H	H	H	H	H	H
Dominici	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄
Lunæ	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉
Martis	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
Mercurij	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂
Iouis	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿
Veneris	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃
Sabbati	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀

Horæ inæquales noctis.

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
	H	H	H	H	H	H	H	H	H	H	H	H
Dominici	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿
Lunæ	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃
Martis	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀
Mercurij	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄
Iouis	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉
Veneris	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
Sabbati	☿	☽	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽	♄	♃	♂

SVMMA CAP. V.

Plura enumerantur signa, quibus dignoscas vtrum ægrotus morbo liberetur necne, et si liberabitur ci-

tò

tò ne an serò, docetq́; viam, qua cognoscas, quo die, quaq́; hora mortem astra ei significent.

I SI affectas cognoscere, an infirmus euasurus sit infirmitatem, aspice in hora, in qua ipsum inuasit ægritudo, aut in hora quæstionis, Solem, Lunam & almuten ascendentis, & si eos comperies liberos ab infortunijs, & quod nullo aspectu dominum domus mortis aspiciant, certus sis eum euasurum ab ægritudinibus. Et si duo horum sic fuerint dispositi, iterum euadet.

Sed si vnus duorum significatorum saluus fuerit ab infortunijs, & alij duo non habuerint aspectum cum domino domus mortis, similiter euadet. Sed si duo illorum fuerint infortunati per infortunam, quę fuerit domina quartę, aut octauę, vel secundæ domorum, mortem ęger subibit. Si fuerit almutes ascendentis, aut Luna, & maxime si fuerint domina temporis, hoc est, si infirmitas incipit in nocte, quam Lunam gubernat, vel etiam Sol fuerit dominus temporis, iuncti cum infortunijs, aut cum domino domus mortis, aut in malo aspectu ipsius, natus morietur. Luna vel dominus ascendentis iunctus Saturno prolongabitur ægritudo. Dominus ascendentis sub terra, & Luna iuncta planetæ existente in tertia, sexta, nona, vel duodecima, indicat mortem. Dominus ascendentis, iunctus domino octauæ, & Luna impedita. Similiter Luna iuncta domino octauæ, & dominus ascendentis impeditus, haud facilè mortem euadet. Et si dominus ascendentis recipiatur à domino octauæ domus, & dominus ascendentis domum octauæ non recipiet, indicat ægritudinem periculosam, sed non mortalem.

Sed si dominus ascendentis vel Lunæ recipiat dominum octauæ, vix à morte liberabitur.

Si aliquis planeta transferat lumen domini ascendentis ad dominum octauæ, erit timor periclitationis infirmi: poterit tamen liberari per bonam custodiam astantium, & medici.

Dominus ascendentis in octaua, receptus à domino octauæ, nec ipse receptus ab eo, indicat liberationem post desperationem, sed si receperit eum dominus ascendentis, mortem protendit.

Si dominus octauæ fuerit ponderosior domino ascendentis, & fuerint coniuncti, ita quòd dominus ascendentis recipiat dominum octauæ, mortem præsagiet. Et hoc idem erit, si se aliquo aspectu etiam Sextili, aut Trino aspiciunt se.

Dominus ascendentis in aliquo angulorum, indicat mortem, & hoc quando dominus octauæ 2 peruenerit ad gradum ascendentis, hora quæstionis seu infirmitatis, aut quando dominus Octauæ peruenerit ad gradum, in quo steterat dominus ascendentis.

Si dominus ascendentis fuerit dominus octauæ, præfigurat mortem, quando peruenerit ad gradum, in quo fuit dominus octauæ. Dominus octauæ domus in ascendente, & dominus ascendentis, & Luna impediti augmentabitur multũ ægritudo, & æger erit in periculo, sed euadet in bona custodia.

Dominus ascendentis sub terra iunctus domino octauę, in quarta, vel si fuerit supra terram in octaua, iunctus domino octauæ, & eum recipiens mortem indicat, sed si eum non receperit, & dominus ascendentis dñm octauę non receperit, sed dñs octauæ receperit dñm ascendentis grauabit ęgritudo, & æger erit in periculo mortis, sed liberabit.

Si dominus ascendentis, & octauæ se non aspiciunt, sed aliquis planeta transtulit lumen inter eos, & dominus ascendentis fuerit cadens, & dominus octauæ in aliquo angulorum, significat infirmum moriturum. Si dominus ascendentis fuerit vnus de superioribus, & fuerit combustus ante Solem tredecim gradibus vel minus, vel post Solem quatuor gradus, vel minus. Sed si fuerit de inferioribus, & fuerit tres gradus ante Solem vel minus, aut post Solem 14. gradus vel minus, mortem præsagiet, sed si dominus ascendentis fuerit receptus, liberabit eum à morte post desperationem, & infirmus videbitur mortuus: cum tamen non sit. Dominus octauæ in quarta domo infortunatus, mortem indicat. Luna cum Marte in quarta si non tuebitur benigno aliquo mortem. Luna in combustione Solis, mortem. Si in gradu ascendentis, vel propè ad duos gradus fuerit malus signum est mortis, & numerus graduum illius distantiæ, si sint signa mobilia de notat dies, si fixa, menses, aut hebdomodas.

Timor magnus est de infirmo, cum interrogationis hora, aut hora decubitus in lectum, ambo luminaria fuerint sub terra.

Pars fortunę sub terra prope caudam Draconis, ad quatuor gradus, vel in octaua malum. Luna in loco malo, in signo fixo, prolongabitur morbus, in signo mobili, citò sanabitur, in communi sanabitur termino medio, & egredietur de morbo in alium morbum. Malus in ascendente, vel dominus ascendentis malus, significat, quòd infirmus erit mali regiminis, & sibi ipsi nocebit.

Dominus ascendentis, vel dominus sextæ retrogradus, vel combustus, vel in domo mortis, iunctus Marti vel Saturno per malum aspectum, signum est mali, & mortis.

3 Dominus ascendentis, vel Luna, aut pars fortunæ in gradu azemenæ, vel tenebroso, vel puteali, indicat infirmitates radicatas, in gradu lucido recentes, & peiùs significant in ariete, cancro, scorpione, capricorno, & piscibus. Dominus ascendentis iunctus planetæ in quarta, signum mortis, & maximè si talis planeta fuerit infortunatus. Almutes ascendentis in suo casu infortunatus, aut combustus sub radijs, mortem significat.

4 Et necessarium est præscire volenti verè mortem, aut infirmitates, prognosticare natiuitatem ægrotantis, atque dominum natiuitatis cum alijs significatoribus duodecim domorum, & maximè dominum ascendentis. nam si inuenias dominum ascendentis hora interrogationis, aut decubitus ægri in lectum infortunatum à Marte, aut Saturno sexta, aut octaua domo, & dominus ascēdentis hora natiuitatis, seu dominus, & almutes natiuitatis, fuerit eadē hora fortunatus, & benè dispositus, iunctus fortunis, aut in eorum fortunatis aspectibus, non indicabis mortē, sed ægritudines maximas, & periculosas, à quibus æger liberabitur. Luna in principio infirmitatis, si fuerit in loco, in quo fuit Saturnus in natiuitate, & fuerit Saturnus cum ea in eodem loco, vel aspiciat eam forti aspectu, significat fortitudinem infirmitatis cum timore. Sed si Luna fuerit in loco, in quo fuerit Mars in natiuitate, & Mars in eodem loco vel in forti eius aspectu, significat fortitudinē infirmitatis & caloris, & periculum ratione ægritudinis. Si Luna fuerit in loco, in quo fuerit infortuna, & aliqua fortuna fuerit cum ea, & alia infortuna ipsam aspiciat, indicat infirmitatis fortitudinem, & periculum magnum. Luna in principio infirmitatis, in signo sextæ domus natiuitatis, vel in signo quartæ, vel octauę natiuitatis, & fuerit infortuna in loco isto cū Luna, fortem præsagiet infirmitatem. Si fuerit in signo, in quo fuit in natiuitate, & cum ea primus dominus triplicitatis anguli terræ, vel eum forti aspectu aspexerit, & fuerit idem planeta in radice cum eo, vel in eius aspectu, indicat fortem infirmitatem cum periculo, & timore.

An infirmitas sit durabilis. Aspice domum sextam, si comperies in ea signum fixum, figitur infirmitas, & nō mutatur in aliam, & hoc magis fortificatur si dominus sextæ etiam in signo fixo comperitur. Si in sexta fuerit signum mobile, mutabitur ægritudo facilè in aliam. Si fuerit signum commune alleuiabitur infirmitas vna vice, & alia aggrauabitur. Et si Luna separata fuerit à planeta occidentali erit ægritudo antiqua. Et si Luna iungitur planetæ orientali, ægritudo citò curabitur; si occidentali, curatur tardè, & cum grauitate.

5 Si fuerit iuncta planetę veloci cursu, & Luna sit velox cursu, æger

citò liberabitur. Si fuerit iuncta planetæ, retrogrado indicat prolongationem ægritudinis. Sed si fuerit iuncta planetæ tardi cursus prolongabitur, & aggrauatur ægritudo, ita quòd vix euadet infirmus. Et si volueris scire tempus, quo morietur, aspice quot sunt gradus inter applicantem, & cui applicat eorum, qui significauerunt mortem. Et si fuerit in signis mobilibus, pone eos gradus dies, in communibus, menses in signis fixis, annos. Si applicans ille, qui mortem significat, fuerit Saturnus, da cuilibet gradui annum vel mensem. Si fuerit Mars, da cuilibet gradui diem, aut mẽsem. de hoc accipe exemplum in præsenti figura, vbi Mars, qui est dominus partim octauæ domus, ratione signi scorpionis, ponitur in angulo ascendentis distans à gradu ascendentis 31 gradus, quod significat malum, & augmentum ægritudinis cum timore, & periculo mortis. Volui nunc scire quo tempore hoc malum contingeret, dedi cuilibet gradui inter ascendentis angulum, & Martem, diem, aut mensem, quare post 31. dies, aut 31 mẽses, hoc malum nato prefigurabitur, computando ab hora diei quæstionis, aut decubitus ægri in lectum.

EXPLANATIONES.

1 *Hæ uel mortis, uel uitæ ex astris prędictiones ita accipiendæ sunt, ut Hippocratis prædictiones, & aliorum medicorum accipiuntur, ut nullam habeant necessitatem. Nam, qui quatriduanum Lazarum suscitauit à mortuis, & unum licet morbo affectum liberare, ac curare potest, ideo prædicenda est uel uita, uel mors, ut medicum christianum decet, christianumque astrologũ, qui Deum Opt. Max. naturę, ac omnibus rebus dominari certò scit, ac ut peritus alios docere debet.*

2 Peruenerit ad grad. *id facilè deprehendes ex ephemeride.*

3 In gradu Azemene, *hos gradus uide in sequentibus tabellis.*

Gradus Puteales.

♈	6	11	16	22	29	
♉	[illegible]	[illegible]		24	25	
♊	[illegible]	12	[illegible]	26	30	
♋	[illegible]	17	[illegible]	26	30	
♌	6	13	[illegible]	22	23	28
♍	8	13	16	21	25	

♎	1	7	20	30		
♏	9	10	22	23	27	
♐	7	12	15	24	27	30
♑	2	7	17	22	24	29
♒	1	12	17	22	24	29
♓	4	9	24	27	28	

Gradus Azemenæ.

♈	19				
♉	3	15			
♊	11				
♋	1	2	3	4	15
♌	2	5	7	19	
♍	3	14	20		

♎	3	5	21	
♏	7	18	20	
♐	13	20		
♑	12	13	14	20
♒	7	16	17	20
♓	13	20		

Grad. lucidi, vacui, tenebrosi & fumosi.

Aries

Ten.	3	3
Lu.	5	8
Ten.	8	16
Lu.	4	20
Va.	4	24
Lu.	5	29
Va.	1	30

Taurus

Ten.	3	3
Lu.	4	7
Va.	5	12
Lu.	3	15
Va.	5	20
Lu.	8	28
Ten.	2	30

Gemini

Lu.	4	4
Ten.	3	7
Lu.	5	12
Va.	4	16
Lu.	6	22
Ten.	5	27
Va.	3	30

Cancer

Lu.	12	12
Ten.	2	14
Va.	4	18
Fu	2	20
Lu.	8	28
Va.	2	30

Leo

Ten.	10	10
Fu.	10	20
Va.	5	25
Lu.	5	30

Virgo

Ten.	5	5
Lu.	3	8
Va.	2	10
Lu.	6	16
Fu.	6	22
Va.	5	27
Ten.	3	30

Libra

Lu.	5	5
Ten.	5	10
Lu.	8	18
Ten	3	21
Lu.	6	37
Va.	3	30

Scorpio

Ten.	3	3
Lu	5	8
Va.	6	14
Lu.	6	20
Fu.	[illegible]	22
Va.	5	27
Ten.	3	30

Sagitta.			Capric.			Aqua.			Pisces		
Lu.	9	9	Ten.	7	7	Fu.	4	4	Ten.	6	6
Ten.	3	12	Lu.	3	10	Lu.	5	9	Lu.	6	12
Lu.	7	19	Fu.	5	15	Ten.	4	13	Ten.	6	18
Fu.	4	23	Lu.	4	19	Lu.	8	21	Lu.	4	22
Lu.	7	30	Ten.	3	22	Va.	4	25	Va.	3	25
			Va.	3	25	Lu.	5	30	Lu.	3	28
			Lu.	5	30				Ten.	2	30

4 Et necesarium est, *si ea, quæ cognoueris in figura morbi, ut ait auctor, & nos diximus superiùs, coniunxeris cum his, quæ sunt in figura natiuitatis, certiorem iudicium facies.*

5 Planetæ velocis cursu, *cum planeta motu diurno plus progreditur, quàm est illius medius motus tunc dicitur uelox cursu, sin minus dicitur tardus, ut autem id dignoscas, quære motum diurnum planetæ hoc modo, subducas locũ planetæ eius diei, cuius motum diurnum scire uis, ex loco sequentis diei, quod reliquũ erit ex subductione, is erit motu diurnus. illud sit in exemplum die 11. Iunij 1584. Luna est, in gr. 1. M. 20. die 12. est in gr. 16. m. 1. ex quo sic subducendus est locus ☽ die 11.*

D. 10. gr. 16. m. 1. ♌
D. 11. gr. 1. m. 20

Motus diurnus *diei 11. gr. 41. m. 14.*

Motus igitur diurnus ☽ diei 11. est uelox, quòd superat motũ medium ipsius lunæ, qui est tantummodo gr. 12. 11. 27.

Almutes ascendentis, *de hoc est dictum, cap. 4.*

Medij motus planetarum.

	6	m.	21
♄	0	2	0
♃	0	4	59
♂	0	31	27
☉	0	59	8
♀	0	59	8
☿	0	59	8
☽	12	11	27

SVM-

SVMMA CAP. VI.

Docet exemplari manuductione, qualis sit ægrotantis infirmitas, & quo membro corporis, & ex qua causa, & an sit moriturus.

N hac quæstione comperi astra cœli, vti in sequenti themate apparet, hoc habit, quæsiui primum almutes super gradum ascendentis, super Solem, Lunam, partem fortunę, & dominum horæ, & reperi Saturnum, vnde ipsum dixi infirmi significatorem, & ob eius regressum, infirmum satis affectum grauiter, & quia repertus in sextili Martis qui est aspectus imperfectæ amicitię, quare dixi Martem præsagire ægritudinis augmentum, & quòd eius ægritudo

H 10 M 30

Hora ☉

☽ a △ ♂ □ ♄

princi-

principaliter ortum habui ab Epate,& stomacho,& à frigiditate,& humiditate,vti attestatur Mars trinos radios ad cancrum proijciēs,quod est signum frigidum & humidum,& ipse Mars in signo frigido,& humido,in quo respicit ventrem,& quia signum cancri occupauit domū 5.quæ hepar,& stomachum respiciat,sed quantum est ex ratione sextæ domus eiusque domino,ac planetæ,à quo separatur Luna,hoc est Martis à quibus ęgritudo patientis dijudicetur, dicatur, quòd patietur in ventre propter cancrum signum sextæ domus, & propter eius dominam Lunam in leone circa cor,& stomachum, & in fundo eius, & in dyaphragmate, sed propter Martem,a quo Luna seperatur in piscibus etiam ventris passio præfigurabitur vnà cum doloribus pedum. Et quia Mars in signo frigido & humido 5 & 6 domus in signo frigido & humido, octaua & dn̄s octauæ in signo partim frigido,& humido, & horoscopus iuxra Ptole. doctrinam, in signo frigido,& humido, quare huius infirmitatis occasio erit frigiditas & humiditas, & ortum suscepit ab hepate,& stomacho,& inde descendit ad pedes.

De morte autem huius infirmi,aspexi ad significatorem ipsius infirmi,scilicet Saturnum, ipsumque reperi in opposito domini octauę domus, & in quarto aspectu Lunæ, quare dixi infirmum vix euasurum mortem, & hoc affirmat Mars in ascendente in sextili aspectu domini ascendentis, & in oppositione Iouis,qui cum ascendente participat.

Tempus autem mortis cum scire volui, numeraui gradus inter ascēdens,& Martem,reperiq; g.31.quare dedi cuilibet gradu diem, & sic post dies 31. aut prope,dixi natum moriturum, aut grauiter vsque ad mortem fere passurum esse,& si nihil de his post 31. dies sentiat, tunc sibi prospiciat,circa 31.hebdomadas,aut tot menses. Distantia etiam Lunæ inter quadratum Saturni septem graduum, minatur periculum ægrotanti post dies septem,aut hebdomodas septem,aut tot menses. Et iuxta hoc exemplum poteris certificare alias consimiles quæstiones de infirmis, si saltem bene perpendes ea,quæ antea tradidi.

EXPLANATIONES.

Nihil est perfecto in hoc capite,quod non satis sit apertum, si (vt dicit auctor) memoria tenueris, quę superius docuerit.

SUMMA CAP. VII.

Prius utendum esse minoratiuis in medendo docet, ut aperiatur uia ad digestiua. Medicina leni-

tiua

nitiua dicitur, quia membrum durum lenit. Ex his quædam sunt fortia, quædam mediocria, quædam leuia, & quæ sint enumerat.



NTELLECTIS, & cognitis quas ægritudines infirmus patietur & in quo membro, ex quibusque causis & humoribus, sequitur canonicus, & regularis processus habendus in curando egrotos. Et primum dicendo de Lenitiuis. Medicus enim antequam digestiua administrat, priùs necessariũ est vt aperiat vias, & educat materiam, eaque per lenitiua minorat, ne feces, materia communis admisceantur medicinæ, & virtutem eius ingrediantur, & fortitudinem, eius atque operationem debilitant. Et medicina lenitiua cum temperamento calefacit, ita quòd ex operatione sua non multum resoluit, & est eius siccitas æqualis suæ caliditati, & secundum Galenum, quinto simplicium medicinarum 8. ca. Medicina lenitiua, quam rarificantem vocat. Est calidior caliditate membri, & resoluit aliquid de humiditate, non tñ in tantum, vt attrahat subtile, & residuũ exsiccat. Et dr̃ lenitiua, quia lenit aut emollit membrũ durũ, aut materiã induratã. Et quædam sunt lenitiua fortia, & quædam mediocria, & quędam leuia, à quibus primitus inchoandum est: nam leuia magis cibalia, quàm medicinalia sunt, & dantur delicatis. Inter hæc sunt duo, aut tria oua sorbilia cum zuccaro per vnam horam, aut dimidiam ante prandium. Secundum lenitiuum est dare 5. aut 6. pruna damascena ante cęnam. Tertium est dare g. 15. vel M. 1. passularum nigrarum pinguium. Quartum est dare 5. vel 6. ficus recentes, 5 vel 4 Caricas pingues ante cibum, vel decoquantur ficus, & dentur hoc modo. Recipe ficuum albarum partem vnam, aquæ partes decem coquantur lento igne, donec veniat ad statum regulæ, & da de eo constipatis quottidie ℥ 3. vel circiter. Electuarium vtile senibus, habentibus ventrem durum. Recipe Seminis Carthami mundati, Anisi ann. vnc. 2. ficos albos pingues, mundatos 30. numero, tundantur in mortario ligneo tenuissimè. Baurach onc. 3. tere & incorpora omnia cum ficubus, & melle despumato, & si non possunt bene incorporari, misce cum eis aquam decoctionis ficuum quantum sufficit, da mane de eo quantitatem oui.

Aliud lenitiuum. Est brodium pinguis pulli, vel gallinæ, si per horam ante prandium detur. Aliud brodium cicerum, brodium caulium, quod ita fit. Recipe Caules de mane, antequam ros ab eis remo

K ueatur,

ueatur, & coquantur bene,& brodium datum valet pro rusticis. Potest dari decoctio maluarum, vel rubearum violarum, scutella plena, & hoc semper per horam ante cibum. Pro delicatis autem recipe scutellam vnam de brodio aliquo prædicto,& dulcoretur cum vnc.5.zuccari rubei, aut taberset, aut penidiarum.

Lenitiua Mediocria
- Aqua lactis; Serum Caprinum — exhibendo ℥ 4. aut quinque
- Aqua ordei excorticati vnc. 3. & s. sed non excorticatum est abstersiuum, vt in acutis febribus.

Lenitiua mediocria
- Sebesten 5. aut 6. ante prandinum
- Ius galli decrepiti, bene verberati confert dolori ventris & colicæ.
- Iulep violarum; Zuccarum violarum — ℥ 1 & s. ante prandium.
- Cassia fistola; Manna — vnc. 15. vsque ad 2.
- Tereniabin, Siracosi, sunt species mannæ dantur ab vnc. 1. vsque ad 2.

Olea.

Oleum Amigdalinum, Sisaminum, oleum Oliuarum maturarum, est vltimum in induratione ventris Solent tamen nonnunquam patientes ex asumptione oleorum incurrere nauseam, & vomitum, quare securiùs dentur in clisterijs, rarò quis appetit bibere oleum.

Fortiora lenitiua
- Dyacatholicon; Dyamusti Nicolai — vnc. 3. vsq; ad 6. vel ad ℥. 1.
- Electis de Spodio montegrani vnc. 5. vsque vnc. 1.
- Electis de Epithimo, quod non multum est in vsu.
- Pillulæ Alephanginæ
- Pillulæ Hieræ simplicis
- Pillulæ aggregatiuæ in robustis in parua dosi non trahunt à longinquis, sed solum ducunt à vijs ductuum.

Ista

Ista dantur ante veram purgationem, vt cum per ea corporis dispositio in lenitate siue facilitate sit cognita, sciamus exhibere verum solutiuum: nam si lenitiuum debile euacuat patientem, certus sis dare verum laxatiuum in parua quantitate. Hanc cautelam bene notare debent noui Tirones medicę artis, qui cum dosim minorare velint, semper stare debent in media dosi ab auctoribus descripta.

EXPLANATIONES.

Prudens medicus ad hęc ea omnia accommodet, quæ ex Galeno Hippocrate, & alijs tam veteribus, quàm recentibus probatis auctoribus traduntur. Hęc enim perito futuro medico non satis esse arbitror. At cum hic Astrologica tantum interpretemur hęc medica missa faciamus:

SVMMA CAP. VIII.

Definit vomitum esse motum subitum nec impetuosum, quo mouetur ad expellendam rem nociuam in stomachi fundo existentem, & eandem eijcit. Et quindecim enumerat modos, quibus vomitus mouetur. Prætereà vult, vt ☽ sit in signis ruminantibus, cum vis alicui vomitum mouere, quæ sunt ♉ ♈ ♑, & si hoc tempus expectari non potest, idem faciendum est cum horum aliquis est in horoscopo. Dominus ascen. in M.C. aut in exalt. &c.



VOMITVS, est Stomachi motus non subitus, nec impetuosus, quo mouetur ad expellendam rem nociuam, in fundo suo existentem, & cum hoc eam ad extra propellit. Et sunt vomitiua in quintuplici differentia. Sunt enim quædam simplicia, quædam composita, quędam leuia, aliqua fortia, & vltimo mediocria. Et à leuioribus semper regulariter inchoandum est. Si vis prouocare vo-

mitum, eligas signa ruminantia (vt sunt Aries, Taurus, Capricornus) & vt Luna sit in eis, aut quòd vnum ex his signis sit in Horoscopo hora vomitus, dominusque ascendentis 2 in medio cœli, aut in exaltatione sua, & quod signum, in quo comperitur Luna, sit fortunatum, & quod planeta bonus sit in eo, aut bono aspectu aspiciens, & bonum est esse Lunam diminutam lumine in Tauro, & descendentem, aut quòd sit ea, & dominus ascẽdentis in cancro, Leone, aut in Virgine, & Luna applicans fortunis Et caueas quadraturam Iouis, maxime in Ariete.

Vomitiua simplicia. Aqua simplex tepida, aqua ordei tepida, data per se vnc. 4. aut 5. aut cum vnctuosis, vt Recipe aquæ ordei tepidæ vnc. 3. olei communis, vel zizamini vnc. 1. s. & da tepidè. Sed magis incitat penna intincta in oleo Sizamino, & intromissa in guttur. Commestio multa ficuum recentium vomitum incitat.

Composita Leuia:
- Sirupus acetosus, Oximel, Hydromel — dando vnc. 3.
- Mellicratum & sirupi de prædictis
- Sirupi acetosi compositi vnc. 1. s., Aquæ ordei vnc. 3. misce. — da post cibũ

Vomiturus verò aliquandiu stet, dum vomitiuum cum cibo, & materia in stomacho existente, bene possit misceri, & tunc vomet: si non, adiuua cum digito, vel penna vnctuosa, vt supra.

Hæc omnia habent sua vnctuositate stomachum relaxare, retentiuamque eius debilitare, ideoque ad nauseam prouocant.

Vomitiua mediocria:
- Anetum, flos eius
- Atriplex semen, & radix eius,
- Nasturtium
- Semen raparum
- Eruca
- Semen melonum & radix
- Cucumer cum seminibus.

Decoquantur hæc in aqua cum unctuosis supra dictis, scilicet oleo communi, zizamino, &c. combinando plura simul, vel vnum tantum, ut in

vt in exemplo. Recipe florum Aneti, attriplicis,ana manip.5.seminũ raparum ʒ. 5. ana. decoquantur ad consumptionem quartæ partis: de colatura accipe vnc.3.cum vnctuositate aquæ.

Inter composita est oximel scylliticum, quod est valde incisiuum, datur vnc. 1.s.cum decoctione dicta.

Ista Vomitiua mediocria, magis habent grauare stomachum ratione cuius grauedinis incitatur natura ad expellendum, sicut contingit in his, qui sumunt cibum in quantitate superflua, vnde grauatur stomachus eorum, & incitatur natura ad eijciendum quicquid potest.

In gradu autem forti, vomitiua sunt quædam simplicia, & quædam composita, quæ sunt duplicia. Nam quædam faciunt hoc pungendo & grauando, vt radix raphani, & semen eius, & decoctio raphani, Cepæ & semina eius, bulbi & semina eius, Sal Indi, Baurach. Quędam faciũt hoc irritando & trahendo materiam ad stomachum, sicut Baccara & eius decoctio, succus Baccare, Tapsia, cataputia maior, & minor, radixque eius cum decoctione

Prouocat Vomitum {
- Nux vomica
- Helleborus vterque, eiusque decoctio
- Succus interioris corticis Sambuci scilicet viridis coloris
- Succus Esul
- Succus brioniæ
- Calamentum montanum.

Et hæc per se prouocant vomitum, aut cũ commixtione præcedentium, vt recipe. Decoctionis atriplicis vnc. 2. decoctionis Hellebori aut raphani vnc. 5. misce & propina subito, vomitiuum optimum. Recipe Squillæ vnc. 2. seminis atriplicis quartam, 1. raphani vnc. ʒ. aceti vnc. 2. aquæ quantum sufficit, recipe decoctionis ad lib. 5. priùs tamen commedat vnam vel duas rotundas rotulas raphani, deinde bibat de prædicta coctione vnc. 2. cum vnc. 1. olei, & post modicum temporis vomat. Et si dare volueris fortia vomitiua, humecta antea corpus multis cibis bonis, & potibus. Solus enim cibus sine cuiuslibet rei additamento, naturaliter humectat substantialia membra corporis, vti habet Constantinus super Aphorismo Hippocratis, si vis Elleborum purgare, &c. Aqua autem si bibatur, substantialia corporis membra inde non humectantur. Et prouocetur vomitus tempore æstatis, iuxta Hippocratis mentem, cum dicit purgare quidem æstate superiora, hyeme verò inferiora. Hæc pro nouis Tironibus, de vomitu sufficiunt.

EXPLA-

EXPLANATIONES.

1 Eligas signa ruminantia, *dicturus est auctor in sequentibus, quòd si ęgrotus pharmacum ebiberit, aut comederit ☽ existentem in signis ruminantib. quod eijciet pharmacum: cum vis igitur, vt euomat hęc eligas signa oporteti quando autem ☽ sit in his signis ex ephemeride elicies.*

2 In medio cęli, *facta figura cęli, ut docuimus superiùs non solum scies, qua hora illud signum ascendat, quod desideras: verum etiam vtrum dominus ascen. sit in medio cœli necne, & tandem cętera omnia cognosces, quę huic traduntur de vomitus electione.*

SVMMA CAP. IX.

Quæ inferiùs euacuant in duplici genere versantur, sunt vel suppositoria, vel clisteria: suppositoria autem vel naturalia, vel artificialia, & naturalia sunt vel leuia, vel fortia, vel mediocria, quæ autem sint hæc docet. Artificialia sunt quadruplicia, & hæc tradit.



OSTQVAM dictum est de his quæ superiùs euacuant, nunc dicendum est de his, quæ inferiùs administrata leniunt, & euacuant simul, sicuti sunt Suppositoria, & Clisteria. Et à suppositorijs incipiendo, dico duplicia esse Suppositoria, Naturalia, & Artificialia. Naturalia sunt in triplici gradu. Leui scilicet, Forti, & mediocri. De Leuibus est Blitis, Caulis, mercurialis, tam radices quàm tyrsi, & stipites, quæ formentur ad modum suppositorij, & inungantur melle. Aliud fit ex lardo tam dulci, quàm salito, sed plus laudatur salitum, nam ratione pinguedinis lenit, & ratione salis incitat expulsiuam. Aliud fit ex caseo salito, quod ratione lactis lenit, & salis incitat virtutem. Posset etiam fieri ex caseo non salito, inuncto cum melle, valetque in vermibus. Aliud fit stercore Muris, quod multum incitat virtutem, tam in pueris, quàm in adultis, Sanguis humanus ex-

siccatus

ſiccatus,formatus ad modum ſupppſitorij valet. Penidiæ tandem ſuppoſitæ in patientibus, contra vermes multum valet,ſed eſt magis artificiale,quàm naturale.

Mediocria ſuppoſitoria non artificialia, ſunt aut de melle ſolo,aut de melle &ſale,& de hoc nota Regulam,quod ad vnc. 1. mellis ponitur ſalis ʒ 1. aut 5. & ad ignem bene decoquantur,& ſcribatur ſic. Recipe mellis vnc. 1. ſalis ʒ 1. buliat mel dum ſit coctum ad ſpiſsitudinem, potes tamen plus aut minus,ſecundum quid vis acuere,accipere de ſale,& funde ſuper lapideam tabulam,aut aſſerem politum, & fac ſuppoſitoria in longitudine digiti minoris. Poſſunt etiam fieri ſuppoſitoria ex uitello oui,& ſale, & modico croco in panno lineo. Aut ex ſapone albo cum axungia,& hoc eſt vnum de fortibus. Alia fiunt ex ſale Gemma,aut Alumine,vel ex radice cucumeris aſinini, & his vltimis vtimur in morbis magnis.

Artificialia ſuppoſitoria ſunt quadruplicia. Quædam enim componuntur ex melle & pulueribus magiſtralibus & ſale communi, quædam ex melle & alijs pulueribus fortibus & ſale communi, quædam ex melle & liquoribus,quædam ex melle & ſale non communi. Exemplum primi. Recipe mellis,pulueris Hieræ ſimplicis,aut Hierepicræ, quæ dicuntur ſpecies magiſtrales,& eſt de hoc Regula cõmunis, quod ad vnc. 1. mellis ponitur ʒ 1. aut 5. ſpecierum. Secunda regula, quod de ſale cum hoc ponitur ʒ 1 aut 5. ſecundum quod vis acuere,& incitare naturam expulſiuam, vt in exemplo.

Recipe { Mellis vnc. 1.
Specierum Hyerepicræ ʒ. 1.
Salis communis ʒ. 5.

Decoquatur mel,& cum coctum fuerit,imponantur ſpecies,& ſal, & fiat ſuppoſitorium. Et ne ponas pulueres ad mellis decoctionem, ne virtus earum per decoctionem reſoluatur, ſed poſt mellis decoctionem.

Exemplum ſecundi, quod fit ex melle & ſale communi, & pulueribus fortibus,ſicuti ex puluere Hellebori albi,Euforbij, & huiuſmodi. Et eſt regula communis,quod ad vnc. 1. mellis,ponitur de puluere illo ℈. 5. grad. v. & ſalis ʒ. 1. aut 5. vt recipe mellis vnc. 2. coque & miſce Euforbij ℈. 1. ſalis ʒ 2. fiat ſuppoſitorium.

Exemplum tertij quod fit de ſuccis & liquoribus melle & ſale communi, vt eſt ſuccus Tithimalli felle, & precipuè taurinum.

Et

Et est regula, quod ad vnc. 1. mellis ponatur de succis ℈ 5. aut gr. 6. vt recipe, mellis vnc. 1. fellis tauri ℈ 1. potest addi de sale parum, fiat decoctio pro suppositorio.

Exemplum quarti, quod fit de sale non communi, sed de Indo sale nigro, Baurach, amoniaco, & de sale nitri, & de melle. Et est regula quod ad vnc. 1. mellis, ponantur grana v. aut ℈ 5 de salibus, & formatur suppositorium.

An mel sit satis decoctum sic agnoscatur. Si ponatur cum spatula super lapidem, aut asserem politum, & non fluat & stet, tunc satis coctum censebitur, si fluit, decoquatur amplius. Et suppositoria debent reseruari in oleo, aut in pinguedine aliqua maximè porci castrati, vt meliùs intromittantur in anum.

Regula summe notanda. Si expertus medicus fortificare voluerit expulsiuam virtutem, administrat suppositoria Luna existente in signis frigidis & humidis, vt in Cancro, Scorpione, & Piscibus.

EXPLANATIONES.

Medicam solum rem continet.

SVMMA CAP. X.

Docet tempus idoneum ad clisteria administranda, hocq; esse dum luna est in primis 19. grad. ♎ & in ♏ præterquam in primis tribus grad. ita tamen quod ☽ sit in aspectu vel △, vel ✶ ad ♃, vel ad ♀. non sit tamen iuncta neque ♃, neque ♀. clisteriorum tandem diuersa genera numerat vnà cum rebus, ex quibus conficiuntur, & rerum ponderibus.



CLISTERIA debent administrari in bonis, & fortunatis cœli constellationibus; quoniam tunc complebitur operatio eorum perfectè, quare aduertat medicus in hoc Lunam fortunatam in primis 19. gradibus Libræ existentem, similiter & in scorpione, præterquàm in tribus primis gradibus scorpionis.

Et sit Luna in Trino vel sextili aspectu ad Iouem, aut Venerem, in

hoc

hoc tamen laudabilior est aspectus Lunæ ad Venerem, quàm ad Iouem.

Caueat tamen medicus ne Clisteria administret Luna existente in coniunctione cum Ioue, aut cum Venere, ne abbreuietur opus medicinæ nimis laxando, aut debilitando corpus, & ne boni humores cum malis extrahantur. Dicit enim Ptolemeus in Centiloquio. Si quis purgatorium acceperit Luna cum Ioue existente, abbreuiabitur opus eius, & effectus eius minuetur.


Et Clister capitur communiter, vt non distinguatur ab Enemate, Sed proprie Clister est instrumentum, & Enema liquor, qui cum illo instrumento in anum inijcitur. Et sunt Clisteria quędam Lenia, quędam fortia, & quædam mediocria. Lenia vero tripartiuntur. Primum lene est aqua hordei, & hoc in febribus, & ordeum excorticatum est plus alteratiuum, non excorticatum autem plus abstersiuum, & est quantitas eius lib. 1. vel 1. & 5. & imponimus cum oleo violato.

Secundum Clisterium lene ex brodio pulli vel galline, aut aliarum carnium vel pisorum, & fac brodium pingue vbi plus velis linire, aut non pingue si magis cupis lauare coctum cum sale lib. 1. 5. Et potest addi vnc. 5. zuccari boni, & valet pręgnantibus, puellis, decrepitis, & debilibus. Et volunt quidam si quis per os nequeat recipere nutrimentum, dicta clisteria administrata de brodijs, ipsum longo tempore enutrire.

Tertium Clisterium lene, fit ex lacte, vt recipe lib. 1. lactis, cui addatur aliquid de zuccaro, vel de melle, quando non sit febris, vnc. 5. conuenit vermibus puerorum, Regula in præsentia vermium, vel timore eorum nunquàm per inferius ponenda sunt amara, licet sint apropriata vermibus, vt Lupini, aloe, gentiana, diptamus, centaurea &c. quia fugarent vermes sursum, sed talia dantur per os, vt cogant vermes deorsum descendere, Et per inferiùs dulcia sunt exhibenda allicientia eos. Neque in pueris, qui vermes patiuntur, oleum ad clisteria imponatur, quia oleum sua proprietate vermibus inimicatur, vermes verò sunt de natura veneni, sic ipsum oleum fugerent & sursum ascendent, detur ergo eis oleum per os.


Mediocria Clisteria fiunt ex decoctionibus, & rebus ingrediẽtibus. De decoctionibus sunt tales intentiones, vel intendis meliùs linire, vel alterare, vel abstergere aut restringere, aliquando etiam membra appropriata respicere, aliquando ea consolidare.

L Leni-



Lenitiua mollificatiua:
- Malua
- Althea
- Maluauiscus
- Branca vrsina
- Atriplex
- Semen lini
- Semen psilij
- Semen fenu græci

(Malua, Althea, Maluauiscus, Branca vrsina, Atriplex:) radices & semina eorum



Lenitiua alteratiua:
- Viola
- Lactuca
- Portulaca
- Spinachia

Abstersiua:
- Decoctio bliti
- Decoctio ordei
- Mercurialis
- Furfuris

Subtiliatiua:
- Capilli Veneris
- Lupulus
- Cuscutę
- Parietaria
- Milium Solis
- Camedreos
- Camepiteos
- Senecion
- Radix bruscij
- Radix asparagi & semina
- Anisi
- Feniculi
- Petroselini.

Subtiliatiua & resolutiua ventositatis. Decoctio Camomillæ, Melliloti, Aneti, Rutæ, similiter semen Anisi, Carui, Amcos, Siselcos.

Con-

Constrictiua
- Corrigiola
- Plantago
- Bursa pastoris
- Cupulæ glandium
- Cortices castanearum
- Lambrusca
- Lapatium domesticum
- Semen acetosæ
- Semen Portulacæ
- Seta combusta
- Vitelli ouorum combusti
- Sanguis Draconis
- Terra sigillata
- Acatia
- Bolus armena
- Ipoquistis

De alijs medicinis, Consolidatiuis, Maturatiuis, Incisiuis, Corrosiuis &c. vbique in auctoribus conscripta comperies, quare hic breuitatis causa eas dimisi.

Regula generalis pro decoctionibus. Recipe quantitatem placitam aquæ, vt lib. 3. vel. 4. buliant in ea res usque ad consumptionem medietatis uel tertiæ partis, deinde coletur per pannum spissum cum expressione, dehinc recipe huius colaturæ in adultis lib. 1.5. usque ad 2. In pueris & infantibus lib. 5. usque ad 1.

Exemplum ubi uis lenire & cum hoc abstergere. Recipe Maluæ, altcæ, Mercurialis, ana manip. 1. buliant in lib. 3. aquæ usque ad consumptionem medietatis, coletur: recipe de colatura lib. 1.5. tepidam cum drag. 3. salis. Et si uis, adde de laxatiuis iuxta exigentiam ponendo vnc. 1. usque ad vnc. 1.5. aut 2. cassia fistula, pro euacuatione coleræ, & flegmatis addatur benedicta laxatiua, uel dyacartami aut diasiniconis. Sed euacuãdo Melancholiam, adde dyasenę, dyacatholiconis, & sic de alijs, sic adde olea plus calida aut frigida secundũ materiam peccantem. Et si uolueris resoluere uentositates accipe carminantia ventositatum, vt recipe Camomillæ, Melliloti, Rutæ, Aneti ana manip. 1. Carui, Cimini, Baccarum lauri, ana drag. 2. buliant in lib. 3. aut 4. aquæ secundum sufficientiam vsque ad consumptionem medietatis, aut tertię partis, coletur. Recipe huius colaturæ lib. 1. 5. &c. deinde ponantur olea vel succi, aut oua, & sal incitans,

Et Oleorum quædam leniunt,& soluunt,sicuti oleum amigdalarum dulcium, oleum commune , & sisaminum , hoc idem faciunt medullæ ossium,pinguedines,& butyrum non salitum .

Quædam resoluunt,vt camomillinum,anetinum,absintij,sambuci, & laurinum. Alia Alteratiua, vt Violarum.

Succi sunt blitis, Mercurialis,alteę,maluæ &c.Dosis oleum communis, est vnc.1.vsque ad 4.Est tamen communis regula , quod ad lib. 1. 5. decoctionis ponantur vnc.3. vel 4. olei & 3 1 vel 15. vel.ʒ 2.salis. Exemplum pro Clistere lenitiuo,Recipe maluæ blitis,Mercurialis ana manip. 1.ficuum pinguium numero 11.seminis Anisi,Feniculi,Cimini,ana drag.3. fiat decoctio vsque ad consumptionem medietatis , de qua dissolue casiefistulæ, mellis rosati , ana drag.3. olei violati vnc.3. salis communis 35.

Incitantia , sunt Sal indi,communi, & Baurach , Dosis fortium salium est drag.15.vsq; ad 2.De sale cõmuni drag.3.ad vnc. 5. Interdum ponimus etiam alia, vt zuccarum rubeum, Taberzet, zuccarum violarum,vt in febribus,vel mel rosatum,colatum gratia abstersionis,& ponitur de his onc.1. vel 4. Aliquando ponantur 2. vel 3. vitelli ouorum quia habent lenire,& confortare intestina,& vt adhereat Clistere partibus intestinorum .

Regula generalis, quod manipuli duo herbarum requirunt unam libram aquæ. Scribunt tamen communiter practicantes. Recipe maluæ,bismaluæ,Parietariæ,& cetera.decoquantur in sufficienti aqua.&c.

EXPLANATIONES.


Quæcunque dicuntur de tempore ad clisteria accommodata,facilè ex sola ephemeride deprehendi poßunt.

SVMMA CAP. XI.

Definit digestionem esse præparationem humorũ expellendorum , & hanc conuenire tantum morbis incipientibus à materia cruda , eligatur tempus idoneum ad roborandas vires,quodq; sit hoc tempus docet:tradit medendi regulas, & omnia dige

stiua

stiua enumerat unà cum ijs, quæ ingrediuntur ea, & simplicia medicamenta dicuntur; & eorum pondera, & mensuras docet.



HACTENVS de Clisterijs, nunc cõsequenter ad digestionem materierum procedendum est, iuxta Hippocratis dicta.

Digesta medicari & mouere non cruda: Et est digestio præparatio humorum expellendorum, & hæc conuenit in morbis materialibus, id est, incipientibus a materia cruda, nec conuenit morbis immaterialib. vbi non reperitur peccatum humorum, sed hi morbi sunt solum alterandi. Et morbus materialis, vel humor peccans, si est corrigibilis, & reducibilis ad benignũ, tunc non conuenit ei euacuatio, neque digestio, cum ipsa præparet ad expulsionem, sed conueniunt alteratiua, per quę reducitur ad benignũ. Si autem non est corrigibilis, tunc primò conuenit digestio, & post euacuatio, & eradicatio eius, regulariter operando iuxta Hippocratem. Digesta medicari &c. dicitur regulariter operando, quia coactè in materia multa furiosa, aut venenosa, euacuamus non præcedente digestione, vti habetur in dicto Aphorismo Hippocratis. Vnde malefaciunt medici, à principio euacuantes, quia sępe morbus redditur incurabilis. Male etiam operantur, dantes digestiua, & euacuatiua in sanis corporibus, secundo Aphorismorum. Sana habentes corpora, pharmacijs purgari exsoluuntur.

Regula summe notanda. Si volueris roborare digestiuam virtutem, sit Luna in Geminis, in prima medietate Libræ, & in Aquario iuncta Ioui bono aspectu, præcipue cum Iupiter fuerit in signis consimilibus Lunæ, & si Luna sit in signo calido & humido, quod tunc Iupiter etiam fuerit in signo huius naturæ Et sunt tres humores digerendi, aut euacuandi, puto Melancholicus, Colericus, & Flegmaticus, de quibus primum respicit stella Saturni, quare cum purgare volueris humorem Melancholicum, 2 sit Saturnus debilis, cadens, 3 nec sit in hora Saturni, sed in hora Iouis, & quod Iupiter sit fortunatus. Secundum humorem colericum respicit Mars, quare si hunc humorem euacuare volueris, sit Mars debilis nec in hora eius sed in hora Veneris fortificata Venere. Si autem phlegmaticum humorem curare intendimus, sit Luna debiliter disposita, nec in hora eius, sed in hora Solis, Sole fortificato. Nam si Luna quæ respicit humorem phlegmaticum,

esset

esset fortis, tunc fortificaret, & augmentaret phlegma, quo augmentato, resisteret sua fortitudine ipsi medicinæ, & eius frustraret operationem, & hoc intelligendum est de alijs planetis. Et humor peccans, aliquando peccat sua grossitie, aliquando viscositate, aliquando subtilitate. Et ideo grossus digeritur per calida, & subtiliatiua. Viscosus cum incidentibus. Subtilis cum ingrossantibus. Exhibentur digestiuæ medicinæ duplici forma, scilicet siruporum, & aquarum. Sirupi quidem sunt magistrales, quidam vsuales siue consueti. Et aquarum quædam distillatæ, quædam ex herbis decoctæ. Sirupi autem, & aquæ apropriatæ cuilibet humori in sequentibus apparebunt, de quibus nota regulas sequentes.

PRIMA Regula. Quia morbus in quo vis digerere humores, vel est per communitatem, vel per essentiam. Si per communitatem, tunc primo intende ad digestionem, & remotionem materiæ membri mandantis. Si verò per essentiam, vel est morbus appropriatus vni membro, aut est communis pluribus membris. Si primum, tunc dabis digestiua illi membro tantum appropriata. Si secundum vel materia est vna tantum, vel diuersa, primo modo vnum dabis digestiuum. Secundo modo, dabis digerentia aggregata ad diuersas intentiones.

SECVNDA Regula. Sirupus vsualis de per se solus non datur, sed per commixtionem aquarum, primò ne suam ob dulcedinem nauseam inferret. Secundò redditur enim per aquam liquidior, & subtilior ad sumendum. Tertiò, quia per aquam datur sirupo penetratio ad membra distantia. Quartò, quia aqua per se habet virtutem digestiuã, & sic se mutuò iuuant in digerendo.

TERTIA Regula est, quòd omnis dosis Siruporum est vnc. 1. ß. aut plus in modico valde ne nauseam afferat assumenti.

Dosis autem aquarum est communiter vnc. 3. Sed quando aqua datur seorsum dosis pro vna vice est vnc. 4.

Quarta regula, Medicus in clarificatione siruporum, vt efficiantur magis delectabiles assumenti, debet sumere subduplam quantitatem, vltra prædictam, vt facta clarificatione per ignem, & resolutionem, maneat in dicta dosi, & ita de aqua dicendum. Etiam si voluerit aromatizare vsualem sirupum, vel aquas augeat dosim.

Quinta regula. Melius est dare sirupos non clarificatos, quia melius operantur, maxime in materia acuta.

Sexta regula. Medicus semper in suis receptis debet ponere aliqua confortantia stomachum, de quibus infra.

Septima regula. In omni sirupo ponantur Cordialia, sicut Melissa, Borago, Buglossa, vel aquæ eorum.

Octaua

Octaua regula. Medicus volens ordinare sirupum vsualem debet sumere aquam appropriatam membro, cui proportionatur sirupus, vnde aquarum, & siruporum aliqua respiciunt caput, alia pectus, alia stomachum, vt infra dicetur, verbi gratia. In morbo simplici stomachali frigido, dabit sirupum de Absinthio vel de mentha in dosi vnc. 1.5. cum aqua absinthij vnc. 3. Sed in morbo composito diuides sirupum, ita tamen, quòd maior quantitas respiciat deteriorem ægritudinem, & minor quãtitas minorem, vel faciet, quòd sirupus respiciat vnam, & aqua aliam. Et vt hæc melius intelligantur, limitemus exemplum in vnaquaque parte corporis, tã in materia calida, quàm frigida, pręterquàm in sanguine: in sanguine enim non conuenit digestio vel euacuatio cũ medicinis, sed separatio malorum humorum à sanguine. Exemplum in digerendo phlegma, pro quattuor vicibus dandis, & hoc est quando potiones digestiuæ mittuntur ad extranea loca, vbi non sunt apothecæ. Recipe sirupi de Isopo, Oximellis simplicis, ana vnc. 2.5. Oximelis compositi, vnc. 1. aquarum feniculi, petrosilini, ana vnc. 4. aquarum graminis apij, ana vnc. 2. misce pro quattuor vicibus.

Sirupi digerentes Phlegma

Sirupus de { Calamento, Mentha, Absinthio, Liquiritia, Isopo, Prasio, Eupatorio, Sticados, Acoro, Arthemesia, Mel rosatum colatum, Oximel simplex, Oximel compositum, Oximel squilliticum, Bisancijs }

Aquæ digerentes Phlegma

Aqua { Menthæ, apij, Calamenti, Arthemisiæ, Abrotani, Graminis, Feniculi, Petroselini, Enulæ campanæ, Brioniæ, Eufragię, Isopi, Saluiæ, Maioranę, Rorismarini, Lauendulæ, Origani }

Nota

Nota, sirupus de absinthio, nunquàm debet dari in primis digestiuis.

Sirupi digeren. Melancholiam

Sirupi de { Pomis, Fumo terræ, Epithymo, Thymo, Acetosus compositus, Bisantijs, Boragine, Buglossa, Ozizacara composita, Oximel squiliticum, Sticados & scolopendria }

Aquæ digeren. Melãcho.

Aquæ { Sambuci, Tamarisci, Boraginis, Buglossæ, Azari, Eupatorij, Scolopendriæ, Fumi terræ, Lupulorum, Mellissæ, Cuscutæ }

Et cum dictis sirupis, & aquis, ponimus etiã directiua, vt gratia exẽpli, recipe sirupi de Pomis compositi, sirupi de Epithymo, ana vnc. 5. aquarum, scolopendriæ, Fumi terræ, & buglossæ, ana vnc. 1. aromatiza, vt supra dicetur de digerentibus choleram cum drag. 5. nucis muscatę, fiat sirupus pro vna vice.

Sirupus pro quattuor vicibus. Recipe sirupi de Epithymo, fumiterræ, ana vnc. 2. sirupi de bisancijs, de boragine ana vnciam vnam, aquarum sambuci, boraginis, buglossæ, ana vnc. 3. aquarum scolopendriæ, thamarisci, ana vnc. 1. s. misce pro quatuor vicibus.

Pro siruporum compositione, ex simplicibus præpone, quæ maiori indigent decoctione his, quæ minori, verbi gratia primo radices, secundo herbas, tertio fructus, quarto semina, quinto flores. Exemplum pro cholera.

Recipe
Radicum accori
Enulæ campanæ
Apij vnc. 2.
Herbarum
Mentæ
Mellissæ
Isopi ana manip. 1.
Prunorum Damas. nu. 12.

Sem-

Seminis anisi
Feniculi
Cimini ana vnc. 2. vel 3.
Florum
Anthos
Boraginis
Sambuci
ana drag. 3. vel. vnc. 5.

NOTA quòd in receptis radices ordinantur ad pondus, herbę ad manipulos, fructus ad numerum, flores, & semina ad pondus. Et vbi voluerimus facere sirupum ad perfectionem ponimus pro libra 1. decoctionis, vel succi lib. 1. zuccari in coquendo ad consumptionem liquoris, aut sirupi. Et maximè fiunt tales sirupi, cum eos ad plures dies seruare voluerimus. Est alius sirupus, qui dicitur longus, siue paruæ decoctionis, ita quòd post illius decoctionem remanet cum zuccaro de decoctione tantum, sicut de zuccaro, vel duplum, aut minus, secundum arbitrium tuum.

Fiet decoctio vsque ad consumptionem medietatis aquæ, de qua recipe lib. vnam, & cum zuccari lib. 1. fiet sirupus ad perfectionem decoctus. vel cum 1. lib. zuccari & media mellis lib. 5.

Digestiuum ex decoctione propria, de quo poteris vti loco aquarũ cum sirupis appropriatis. Exemplum pro Cholera. Fiet decoctio in sufficienti quantitate aquæ, ad consumptionem medietatis, & in decoctione libræ vnius, permisce sirupi Endiuiæ, acetosi simplicis, ana quartam vnam, misce pro quattuor vicibus mane, & sero. nam vides quod in prędicto digestiuo est. de decoctione duplum respectu sirupo rum. Sunt autem nonnulli, qui prædictę decoctioni non addunt sirupos, sed solum dictam decoctionem dulcorant cum zuccaro.

Recipe vtriusque hepaticæ
Endiuiæ
Lactucæ
Acetosæ
Portulacæ ana manip. 5.
Prunorum damasce. nume. 12.
Quattuor semina frigida maiora, & minora ana vnc. 1.
Trium florum communium, scilicet
Violarum

M Bora-

Boraginis
Buglossæ ana ʒ.1.s.

IVLEB, vtimur quandoque loco sirupi, qui fit ex aquis distillatis, aut coquendo ad perfectionem aut longum, vt dictum est de Sirupis. Exemplum pro febre tertiana. Recipe aquarum endiuiæ, portulacæ ana vnc. 5. ana lib. 5. faciat iuleb, ad lib. 1. aut vnc. 10. Et est iuleb aliquando res simplex tantum, aliquando composita ex multis, & solũ fit cum zuccaro & non melle, & maiorem requirit decoctionem quàm sirupus, & in hoc differt à sirupo.

SIRVPI DIGERENTES CHOLERAM.

Sirupus:
- Endiuiæ
- de Agresta
- Rosarum
- Papaueris
- Citoniorum
- Violarum
- Iulep violatum
- De berberis
- Iuiubarum

Sirupus:
- Acetosus simplex
- de Portulaca
- Nenufaris
- Acetositatis citri
- Mirtinus
- Oxisacara simplex
- Dyarhodon
- de Ribes

Sirupus Endiuiæ est duplex, simplex, qui fit ex succo endiuiæ, & zuccaro decoctis ad inuicem, & isto modo vtuntur in principio febrium acutarum. Alius est compositus, qui fit diureticus, secundum gentilem, & isto modo vtimur in fine febrium.

Aquæ digerentes choleram.

Aqua:
- Endiuiæ
- Cicoreæ
- Portulacæ
- Nenufaris
- Acetosæ
- Cucurbitę
- Scabiosæ
- Lactucæ
- Rosarum
- Violarum
- Lupuli
- Papaueris rubei

Isti

Isti ergo sirupi,& aquæ sunt pro digestione choleræ siue peccat in capite,aut alio quocumque membro: Si vis vt eorum virtus veniat ad caput, oportet ponere aliquid quod defferat virtutem eorum ad cerebrum. Et hoc fit multis modis. Primus, est quod ipsi dantur per horas duas post cœnam,dum fumi eleuantur à cibo,& perueniunt ad cerebrum,ducant secum virtutem, sirupi, modus iste à paucis laudatur. Secundus modus, vt cum dictis rebus frigidis admisceamus aliquod cerebrale calidum,in pauca tamen dosi, ita vt tantum deferat ad caput, verbi gratia,ponendo sticados vel maioranam,ad aliquod de dictis sirupis,& simplicibus, vt Recipe sirupi de endiuia vnc.1. sirupi violati vnc.5.aquæ acetosę endiuiæ,ana vnc. 1.

Tertius modus est, vt aromatizetur cum aromatibus respicientibus illud membrum,& hoc multipliciter. Primò, quando conficitur sirupus magistralis,& cum confectus fuerit, tunc in fine ponantur aromata respicientia cerebrum, sicut nuces muscatæ, sticados &c.Secundo, quando capias sirupos & aquas in simul,& in eis infundas ℈ 1.5.aut 2. nucis muscatæ, vel alterius cerebralis,per se aut in pecia ad 3.aut quattuor horas, & postea cola ab eis. Tertiò fit infundendo in ipsis aquis per se,vel in pecia 4.horis, deinde cola & da, vt Recipe sirupi violati & rosati ana vnc. 1.s.vel drag.6.aquarum endiuiæ,rosarum, ana vnc. 1.s. infunde in aquis ℈ 2.nucis muscatæ,per 4.horas, deinde cola & misce cum sirupis.

Notandum in dando vnum haustum digestium vnc.1.5. siruporum, requirit vncias tres aquarum, vt in dirigendo Choleram:Exemplum. Recipe sirupi Endiuiæ vnciam 1.acetosi simplicis vnc.5.aquarum endiuiæ, cicoreæ, ana vnc.1.5.Si autem volueris dare potum pro quattuor vicibus,quadruplabis,vt recipe sirupi endiuiæ acetosi simplicis,& oxizacaræ simplicis,ana vnc.2.aquarum endiuiæ circoreæ acetosæ,& portulacæ ana vncias tres. Ecce habes hic 4.haustus,& quilibet continet vnc. 1.s.siruporum,& vnc.3.aquarum

Regula. Si aromatizare sirupum volueris, ponatur pro qualibet lib.1.decoctionis de aromatibus drag.2.

Sequuntur digestiua materiam in membris spiritualibus, & primo materiæ cholericæ pectoris. Et sunt

Sirupus	Violatus & Iuleb	Aquæ
	Rosatus & Iuleb	Endiuiæ
	Iuiubarum in pleuresi	Capillorum Veneris
	Portulacæ in cholera subtili	Violata
	Myrtinus in sputo sanguinis	Rosarum
	Papaueris in cholera subtili	Hordei

M 2 Aqua

Aqua solatri, quæ valet pro digerenda cholera, in principio est mirabilis operationis, & si diceres aqua solatri est frigida, & stiptica, ergo impedit sputum, quare non valet in pleuresi, hoc soluit Auicenna quarta primi de apostematibus, cum dicit. Et Solatrum habet proprietates resoluendi apostemata occulta, calida, & hoc non facit qualitate manifesta, sed occulta.

Et inter sirupos prædictos violatus, & de iuiubis communiter applicantur in principio pleuresis, eo quòd remittunt febrem, atque acuitatem humorum. In ruptura venarum, in principio pleuresis. Recipe sirupi violarum vnc. 1. Iuiubarum, vnc. 5. aquæ decoctionis vel sublimationis ordei, violarum, & capillorum veneris ana vnc. 1. misce pro una vice.

Sirupi in materia Phlegmatica pectoris.

Sirupus de { Liquiritia, Isopo, Prasio } aperiunt, subtiliant, & confortant

Oximel simplex & compo. / Oximel squiliticum } sunt incisiua

Aquę ad idem liquiritiæ, capillorum veneris, isopi, prasij, enulæ campanæ, buglossæ, scabiosæ, farfariæ. Scabiosa enim a proprietate habet aperire apostemata, & maximè in pectore. Et omnes illæ aquæ, & sirupi sunt pectorales. Sed ubi essent sirupi, & aquæ non appropriatę, oporteret ponere digerentia ad pectus, aut eos aromatizare, & sunt digerentia pectus.


Digerentia pectus {
- Capillus veneris
- Amidum
- Ficus siccę, pineę
- Liquiricia, zuccarum
- Isopus, mel
- Squilla, sebesten
- Dactilus, ireos
- Lilium, prasium
- Pulmo vulpis
- Dragantum
- Crocus

De

De omnibus istis aquis poteris facere aquam pectoralem, qua communiter vtimur vt sic. Recipe ficuum siccarum, dactilorum, sebesten, ana 4. numero, capillorum veneris, passulæ, liquiritiæ ana vnc. 5. Iuiubarum, numero 10. buliant in aqua ad consumptionem tertiæ partis, in fine adde zuccari quantum sufficit pro dulcoratione. Aliqui vltra hoc addunt Cinamomi, Isopi, Feniculi ana vnciam vnam, quando volunt magis resoluere ventositatem in pectore.

Digerendo materiam Melancholicam in pectore. Recipe, sirupos digerentes melancholiã, vt sic, recipe sirupi de Epithymo, de pomis, ana drag. 6. aquæ farfaræ, Isopi, ana vnc. 1. s. misce, aromatiza cũ modico cinamomi, & liquiritiæ. Sed rarissimè melãcholia peccat in pectore.

Nota. Nullus sirupus, in quo est acetum, debet poni in passionibus pectoris, nisi in Asthmate, vbi materia est multum viscosa, & pauca potest digeri materia cum Oximelle squillitico. Et si materiæ calidæ contineantur in pectore, digerantur cum decoctione lactucarum, florum nenufaris, sem. melonum, citrulli, cucurbitæ, cassiæ fist. floribus violarum recentium, ordeo, & passulis enucleatis.


Digestiua cordis in materia calida

Sirupus { Violatus, Rosatus } & Iuleb; Endiuiæ compo. & simp.; Acetositatis cirti; de Piris; de Pomis

Aquæ eis correspondentes

Aqua { Violarum; Rosarum; Endiuiæ; Acetosæ; Nenufaris; Cicoreæ; Buglossæ; Boraginis

Et licet vltimæ duæ aquæ Buglossæ, & Boraginis, sũt quasi tẽperatæ, vergentes ad caliditatẽ: vtimur tamen sirupis de citro in febri pestilentiali cum aqua acetosæ, rosarum, & buglossæ, aut damus aquas per se, vnc. 4. aut v.

In materia phlegmatica cordis.

Mel rosatum quod geleniabin, vel hidromel dicitur
Oximel simplex & com.
Sirupus dinari idest,
Sirupus de bisancijs & de radicibus

Aquæ ad idem

Aqua { Enulæ; Scabiosæ; Ozimi; Feniculi; Melissæ; Boraginis; Buglossæ } has aquas misce cum sir.

Dige-

Digestiua melancholiæ in corde.

Sirupus de:
- Pomis
- Epithymo
- Fumoterrę
- Bisancijs
- Oximel

Aquę ad idem

Aqua:
- Fumiterræ
- Lupulorum
- Mellissæ
- Boraginis
- Buglossę
- Cuscutæ, epithymi
- Camedreos

Ex his aquis, & sirupis forma sirupos secundum modum sępe dictũ, & si vis aromatisa cum speciebus cordialibus calidis.

Species calidæ cordiales
- Vinum aromaticum
- Crocus
- Ambra
- Muscus
- Nux muscata
- Cinamomum
- Ozimum
- Gariosilatum
- Zinziber
- Zeduaria
- Zeta combusta, seyden
- Doronici

Species frigidæ Cordiales
- Os de corde cerui
- Margaritę
- Corallus
- Camphora
- Spodium
- Sandali
- Rubinus, & oẽs Gẽmæ præciosæ
- Violæ
- Omnes rosæ
- Flos citri
- Acetosa
- Vinum granati

Digestiua cholorę hepatis

Sirupus:
- Acetosus simplex
- Endiuiæ simp. & comp.
- Violatus
- Rosatus

Aquæ ad idem

Aqua:
- Endiuię
- Cicoreæ
- Lupuli, hepaticę, portulacæ, acetosę.

Species temperatę cordis
- Folia & flores Boraginis & Buglossæ
- Aurum
- De his omnibus rebus possunt fieri Epithyma cordialia

Dige-

Digerentia phlegma in hepate

Sirupus:
Mel rosatum
Oximel, de radicibus,
de Absinthio
de Eupatorio
de Bisancijs
Acetosus comp.

Aquæ ad idem
Aqua absinthij
Eupatorij
Endiuiæ, quę appropriate confortant hepar in omni causa calida & frigida, aqua feniculi

Et in sirupis, qui non sunt apropriati, ponantur directiua aromatica, sicuti spicanardi, squinantum, spodium, sandali, absinthium, camedryos, cinamomi, eupatorium.
Dicti autem sirupi non solum digerunt phlegma in ephate, verum & melancholiam, cum apponuntur directiua appropriata.

Quinque radices communes:
Feniculi
Petroselini
Apij
Brusti
Asparagi
Et endiuia inter eas non ponitur, licet computatur in eis,

Mundificatiua lenitiua
Casia fistula
Rhabarbarum
Syracost
Species mannæ

Mundificatiua non lenitiua.
Fumus terræ
Aqua lactis
Capillus veneris
Absinthium asfodilus, & succus eius.

Digestiua in materia calida stomachi.

Sirupus:
Acetosus simpl. oxisacara, miua simp. de mirto,
Rosatus, violatus,
Endiuiæ, de ribes,

Notandum hic, quod Miua tantũ valet sicut Confortatio, quia fit ex succis habentibus confortare stomachũ, & componitur miua tripliciter, s. ex succo citoniorum, zuccaro vel melle & additur aliquid de aceto, vnde dicitur miua simp. acetosa, vt hic, & adduntur

adduntur aromatica calida, quæ dicitur miua aromatica.

Sirupus quoque de Ribes multum prohibet fluxum humorum ad stomachum, valet tempore æstatis multum.

Aquę ad idem in materia calida stomachi

Aqua { Rosarum, Solatri, Plantaginis, Lupulorum, Endiuiæ cũ stipticitate. Ex his & cum sirupis fiat digestiuum

Digestiua phlegmatis in stomacho

Sirupus { Mel rosatum, Mentha, Absinthio, Radicibus, Bisancijs, Calamento, Eupatorio, Oximel, Miua aromatica

Aquæ correspondentes.

Aqua de { Menthæ, Absinthi, Eupatorij, Camomillæ in dolore stomachi

Raro reperitur melancholia in stomacho, nisi per defluxum eius à splene. Ideo si reperitur, pone digestiua melancholiæ sæpiùs dicta.

Hic vero non indigemus digerentibus ad stomachum, eo quòd omnis medicina recipitur in stomachum, & egemus retinentibus & confortantibus ipsum. Numquàm fuit lenta stomacho succurrere mentha.

Res calidæ confortantes stomachum.

Mentha
Absinthium
Mastix
Olibanum
Thus masculus

Digestiua melancholiæ Splenis

Sirupus de { Fumoterræ, Epithymo de quinq; radi. Sticados

Nux

Nux muscata
Calamus aromaticus
Lignum aloes
Lignum Balsami
Gariophylla
Cinamomum
Spica, squinantum

Aquæ ad idem
Aqua { Buglossæ, Fumiterræ, Scolopendriæ, Mellissæ, Tamarisci, Cuscutæ }

Et nota, quòd omnia talia sunt apropriata, vltra illa sunt ponenda quædam directiua, qualia sunt scordium, scolopendria, cappares Tamarisci, fraxinus, buglossa, quæ buliant cum dictis. Aqua enim extremitatum fraxini, est mirabilis operationis in spleneticis à proprietate. Et hic non ponantur alia digestiua nisi melancholiæ, eo quòd splen est proprium receptaculum eius.

Frigida confortantia stomachum
Rosæ
Lambrusca
Morus
Corallus
Coriandrũ præparatũ
Citonia
Vinum granatorum

Digerentia renes & vesicam, calida
Saxifragia
Milium solis
Squinantum
Spica
Philipendula
Petroselinum
Eruca
Senacion
Vrtica
Parietaria
Brodium cicerum
Iuniperi
Radices quinque

Digerentia matricem calida
Arthemesia
Ruta
Pulegium
Matricaria
Iuniperi
Mentastrum
Origanum
Calamentum
Serpillum
Mellissa

Digerẽtia renes & vesicam frigida
Portulaca
Endiuia
Papauer
Virga pastoris
Semina communia fri

Frigida ad idem
Solatrum
Semper uiua
Mirtus
Aqua ros.
Psillium, Bolus armenus. Terra sigilla.

Frigida ad matricem, sunt ea, quæ ad renes ducunt, sicut saxifragę, milium solis &c.

Calida respicientia iuncturas
Hermodactilus
Azarum, ypericon
Origanum
Calamentum, nasturtium,
Artetica, serapinum, saluia, camomilla, euforbium, amoniacum.

EXPLANATIONES.

1 Iupiter in signis, *in ♋ ♒ ♓. Nam sunt frigida, & humida, ut est ♋.*

2 Saturnus debilis cadens, *cadens vel ratione signi: nam cadit in ♈, sed hoc rarò accidit (peruenit enim ad ♈ nisi quolibet trigesimo anno) non fieri potest, vt de hoc casu loquatur auctor; vel ratione domorum in figura cœli: hoc modo quilibet planeta in quatuor domibus cadit. 3. 6. 9. 12. curandum igitur, vt ♄ sit in aliqua harum quatuor domorum.*

3 Nec sit in hora Saturni, *docuimus superiùs quomodo planetarum horæ inueniantur.*

SVMMA CAP. XII.

Sirupus magistralis est compositus ex varijs medicinis respicientibus diuersos morbos: hic autem est aut digestiuus, aut solutiuus, aut restauratiuus, quidam decoquitur ad perfectionem, quidã non: quo modo quilibet fiat, docet.



SIRVPVS magistralis est sirupus compositus ex varijs medicinis respicientibus diuersas ægritudines, vt sirupus compositus ex absinthio, & sticados magistralis dicitur, conueniens stomacho propter absinthium, & capiti, propter sticados, præcipue si sumatur in eadem dosi. Sed largè capiendo sirupus factus ex multis rebus, etiam eidem membro correspondentibus, magistralis dicitur. Et in ægritudinibus cõpositis nil melius est medico, quàm componere sirupum magistralem: nam per eũ habebit plures intentiones, de hoc accipe exemplum. Si mulier patitur malam dispositionem frigidam matricis ex phlegmate, & stomachi ex causa calida, tunc ex absinthio & matricaria resultabit medicina conueniens ambabus dispositionibus: tamen in hoc est cautela talis. Si facis sirupum ad duas vel plures passiones, quarum vna est intensior, & deterior alia, debes ponere quantitatem maiorem medicinarum respicientium debiliorem, exempli gratia. Aliquis patitur dolorem stomachi & capitis, & dolor stomachi

est intensior, tunc medicinæ stomachicæ debent in maiori quantitate poni, & hoc tenet veritatem, posita parilitate in nobilitate membrorum.

Siruporum Magistralium quidam sunt {
Digestiui
Solutiui
Restauratiui
Decoquuntur ad perfectionem
Quidam non

Digestiua fiunt duobus modis. Primo ex decoctione herbarum, radicum, florum, seminum, corticum, lignorum, cum zuccaro, vel melle, & dicuntur sirupi magistrales absolutè, aliquando acetosiantur, & dicuntur tunc sirupi magistrales acetosi.

Secundo conficiuntur ex succis, zuccaro, vel melle, & dicuntur succosati, de hoc ponitur talis regula pro eorum compositione, primo decoquendo sirupum ex herbis, meliùs est capere herbas virides, seu recentes, in siccis enim virtus aliqualiter exhausta est.

Secunda regula, coquendo radices primo contundantur, & ponantur in decoctione modicum ante alias res, quia maior indigent decoctione, dehinc ponantur herbæ, & decoquantur donec dimittant viriditatem, dehinc ponantur semina, pulueres, tandem flores, dehinc quiescat donec decoctio tepesiat, exprimatur, & coletur per pannum, & hanc colaturam serua, & vtere.

Clarificando autem sirupum, recipe albumina ouorũ duo vel tria, bene agitata in aqua, & malaxata impone, & dimitte facere paruam ebulitionem, & iterum cola per pannum bene lotum, & erit clarificatus. Et si vis dare eum potabilem, tunc impone in fine de zuccaro, vel melle, & in hoc talis est regula, quòd ad lib. vnam aquæ ponantur vnc. 4. vel v. zuccari. Si autem coquatur ad perfectionem, vt sine putrefactione præseruetur, tunc pro 3. lib. aquæ decoctionis, ponatur lib. 1. zuccari vel mellis, & reduc ad ignem lentum, & buli ad sufficientiam, ita vt faciat spumam, quod pars grossa ascendat, deinde iterum cola per pannum rarum, & sic est sirupus clarificatus, hoc facto, iterum buli ad ignem, donec sit coctus perfectè. Signum decoctionis est, cùm se retinet ad spatulam sic buliendo. Aliud signum est, si positus super vnguem non defluat. Aliud, si tractaueris inter digitos, & adhæret, bene coctus est.

Si volueris reddere sirupum acetosum, recipe ad lib. 4. sirupi decocti

lib. vnam aceti, sed hoc stat in arbitrio medici, secundum quod plus, aut minus acetosare voluerit.

Exemplum prædictorum in materia frigida stomachi.

Recipe menthæ viridis, manip. 2. absinthij, eupatorij, ana manip. 1. buliant in aqua aliquantulum appone seminis citrulli, vnc. 5. drag. 3. calamiaronci, masticheș ana drag. 1. deinde appone rosarum, labrusceana pugillum vnum buliant adhuc parum, postea depone, vt coctio tepefiat, exprime, & cola, & si placet clarificare, clarifica cum albumine oui, erit tamen fortior, si non clarificetur. Et si volueris habere sirupum potabilem, recipe de prædicta decoctione lib. 1. dulcoretur cum despumato, vel melle rosato quantum sufficit, vel pone sirupum de mētha in dosi vnc. 3. vel 4. fiat sirupus potabilis, Si autem vis decoquere ad perfectionem, tunc decoctione clarificata iterū buliat vt pars grossa ascendat post appositionem mellis, & zuccari, & iterum cola, deinde buliat ad perfectionem. Exemplum, in materia frigida stomachi, & capitis. Recipe menthæ, absinthij, ana manip. 1. s. saluiæ, Betonicæ, maioranę, ana manip. 5. sticados, pugillum vnū buliant in aqua, secundum modum dictum, & appone zuccarum, vel mel pro sirupo.

Regula de sirupis solutiuis.

Facta decoctione dictarum rerum, & antequàm decoctio sit perfecta, tunc impone in libram vnam decoctionis, de laxatiuis vel solutiuis vnc. 2. sicut de turbit, agarici, rhabarbari, senæ, polypodij cū suis correctiuis, & tunc decoquatur sufficienter. Et si vis cum sirupum potabilem, da vnc. 3. cum dulcoratione, aut si vis ad perfectionem, da vnc. 1. s. & scribe sic, recipe illius sirupi ad perfectionem decocti vnc. 1. s. aquarum menthę, vnc. 3. misce, & efficaciùs operantur aquę decoctionis, quàm sublimationis, quare meliùs est dare eas.

Sirupi restauratiui sic fiunt, ponantur herbæ in decoctione, aut loco earum pulueres vel aliæ res, & capiamus pro lib. vna aquæ vnc. 2. pulueris, & fiat decoctio, post coletur, addaturque in fine zuccari, vel mellis, verbi gratia ponimus pulueris electuarij de gemmis vnc. 1. vel 2. exēplum specierum tria sandali, aromatici, rosati, ana vnc. 1. spodij, vnc. 5. Ros, violarum, vnc. 5. florum buglossę, boraginis ana drag. 1. buli in li. 2. vel 3. aquæ, cola & reduc ad ignem, & appone zuccari lib. 1. & iterum buli vt pars grossa ascendat, & abijciatur, tunc cola, & serua.

Sirupi

Sirupi ex ſuccis ſic fiunt. Nam ex quolibet ſucco de herbis, floribus, aut radicibus expreſſo, poteſt conſtrui ſirupus dupliciter. Primò capiatur ſuccus clarificatus, & non clarificatus, deinde addatur zuccarum clarificatum, & ſimul buliant, verbi gratia. Recipe ſucci lib. 3. zuccari clarificati cum albumine ouorum lib. 1. buliant ſufficienter ad igem, & fiat ſirupus.

Secundo, accipe ſuccum expreſſum à dictis herbis cum parte groſſa, & ſubtili in doſi lib. 3. & impone zuccari lib. 1. clarifica cum albumine oui, malaxato bene, coque in ſimul, deinde cola, & fiet ſirupus, & hic modus melior eſt primo, quia clarificatur zuccarum, & ſuccus ſimul, & maiorem accipiet virtutem.

EXPLANATIONES.

Aſtronomi operam nihil eſt, quod poſtulet.

SVMMA CAP. XIII.

Medicinarum ſolutiuarum quædam ſunt vomitiuæ, de quibus dictū eſt, aliæ per ſeceſſum purgantes, quarum aliæ operantur diſſoluendo, aliæ comprimendo, aliæ lenificando, aliæ lubrificando: ex his autem aliæ atram, aliæ flauā bilem, aliæ phlegma, aliæ aquam citrinam purgant: quædam ſunt ſimplices, quædam compoſitæ, quædam caput, quædam cætera membra reſpiciunt: Hæ autem, quæ ſint vnà cum earū ponderib. & menſuris tradit.



DICTVM eſt de digeſtiuis, reſtat modo dicere de Laxatiuis, & ſolutiuis, quarum quædam ſunt Vomitiuæ, de quibus antea dictum eſt. Aliæ ſunt ſeceſsiuæ, & per ventrem ducentes de quibus hic tractabitur, & hæ medicinæ quadrupliciter operantur. Aliquæ ſoluunt diſſoluendo cum ſua proprietate, ſicut ſcamonea, turbit, agaricus. Aliquæ comprimendo, ſicut mirobalani. Aliquæ lenificando

ficando, sicut cassiafistola & Manna. Aliquæ lubrificando, sicut Mucilago psilij, pruna, Violæ.

Medicinæ autem euacuantes electiuæ seu soluentes, quædam soluunt choleram, quædam phlegma, quædam melancholiam, quædam vero aquam citrinam, quędam sunt simplices, quędam compositæ, quædam respiciunt caput, & ab eo principaliter trahunt, quędam ab alijs membris. Et inchoandum est primum ab his, quæ Choleram à capite euacuant, siue sint simplicia, siue composita.

Euacuantia à capite Choleram simplicia.

Aloe lota à drag. 1. ad 2.

Reubarbarum à drag. 1. ad ℈ 4. vel drag. 2. in substantia. in decoctione drag. 2. mirobalani citrini, vt de rabarbaro

Cassiafistula à vnc. 1. ad 2.
Manna
Tamarindi à vnc. 1. ad 2.
Succus rosarum
Violæ, rosæ
Absinthium
Eupatorium
Lupulus
Fumus terræ
Pruna
Psilium, Dyagradij a gra. 7. ad 12.

Exemplum purgando choleram. Recipe endiuiæ, acetosæ, & fiat decoctio, in qua dissoluatur cassiæfistolæ vnc. 1. Reubarbari electi ʒ. 1. spicanardi scrup. 1. misce fiat potus, reubarbari, mirabola. corriguntur addendo tertiam partem spicanardi. Aloe cum tertia parte masti.

Exemplum quando datur laxatiuum in decoctione vel infusione. Recipe mirabolanorum citrinorum ʒ. 1. 5 infundantur in aqua decoctionis passularum, vel endiuiæ, vel sero caprino quantum sufficit, & permaneat duodecim horis in infusione, deinde fortis fiat expresio, cui adde cassiafistula ʒ. 6. & cũ decoctione propria in quantitate sufficienti, vel aquis fiat potus. Similiter facere poteris cum Rabarbaro, vel adde his decoctionibus vnc. 1. Siru. violati. Nota Mirobalani sępe numero ponuntur in decoctione, rabarbarum autem nunquàm, ne eius virtus per decoctionem resoluatur, sed potius ponitur in infusione diagridium solummodo dissoluitur in potione, ita quòd non decoquitur, neque infunditur.

Aliud

Aliud exemplum decoctionis laxatiui, pro purgando choleram. Recipe endiuiæ, lupuli, cicoreę, ana. manip. 5. 4. Sem. frigidorũ maiorum ana vnc. 1. prunorum damaſ. numero 7. trium florum cõmunium ana drag. 5. hordei vnc. 2. fiat decoctio in ſufficienti quantitate aquę ſcilicet ad conſumptionem medietatis aquæ, & in quantitate ſufficienti, infunde reubarbari electi & mirobala citrinorum ana drag. 1. ſpicænardi ℈ 2. & permaneant in dicta decoctione horas 12. deinde ſiat fortis expreſsio, cui adde caſsiæ fiſt. recenter extractæ, & thamarindorum ana drag. 3. ſirupi violati vnc. 1. vel drag. 6.

Exemplum aliud in ſubſtantia. Recipe reubarbari, corticum mirobа. citrinorum ana ℈ 2. ſpicænardi ℈ 1. electuarij de ſuccoroſ. drag. 2. caſsię fiſt. recenter extractæ, drag 6. aquarum endiuiæ, ciroreæ, Boraginis, ſcabioſæ, ana quantum ſufficit, miſce.

Notandum, quòd in æſtate vt plurimum mirobalani, & Reubarbarum infunduntur in aqua endiuię, vel ſero caprino. In Hyeme, in vino albo. In medijs temporibus, in vtriſque ſimul mixtis

Cõpoſita ſoluentia cholerã à capite varijs modis dari poſſunt. Primo in pillulis, vt ſunt pillulæ euacuantes choleram à capite, communes ſiue peſtilentiales. De aloe lota, Azaiaret, pilulæ de quinque generibus miroba. Pillulæ aureę de Rabarbaro. Doſis communis pillularum eradicatiuę eſt drag. 1. in adultis, minoratiuę ℈ 2. Exceptis pillulis de mezereon, quæ valent in Hydropiſi, & de cucumero aſinino, quarum doſis eſt minor. In pueris datur doſis media, & hoc ſecundum diuerſitatem regionis.

Modus exhibitionis, pillularum.

Voluãtur in hoſtia madida, vel melle, vel aliquo ſirupo appropriato, aut pomo aſſato, vel ſumantur cum vino, vel aliquo liquore. Et iuxta mentem principis, in euacuando caput, dantur pillulę groſſæ poſt paruam cœnam per duas horas, vt vapores à cibo eleuati ad caput ſecum ducant virtutem pillularum. Sed ſi à toto uis euacuare, da de mane, ſi ab inferioribus, da per horam ante cibum: nam ſic comprimuntur pillulæ à cibo, vt virtus ſola ad inferiora tranſeat. Multi tamen adminiſtrant pillulas circa medium noctis.

Aduertatur tamen ſemper velocitas, & tarditas operationis pillularum: nam quæ tardè operantur, citò & in introitu in lectum aſſumi debent, quarum vero operatio velox eſt aſſumantur circa, aut poſt noctis medium, & quando incipiunt operari, ſurgat patiens & paulatim hinc-

inde

inde deambulet, donec suam operationem perficient, & ante hoc nihil commedat, sed accipiet brodium pisorum sine sale pro ablutione, dehinc post horam commedat, potest etiam accipere post operationem pillularum hoc laxatiuum, brodium pulli, aut aquam ordei cum zuccaro in quantitate vnc. 6.

De acuatione pillularum. Communiter acuuntur pillulæ cum 3. 5. vel 7. gr. pulpæ coloquintidæ in phlegmate, aut dyagridij in cholera gr. 2. aut 3. Sed pillulæ, quę respiciunt iuncturas, & neruos, debent acui cum puluere bdellij.

Notandum etiam, quòd quandocunque fiant pillulæ, debent formari cum puluere apropriato loco, vnde queritur euacuatio, sicut si à capite cum pulueribus nucis muscatę, ab oculis, cum pulueribus maratri, à pectore, cum pulueribus liquiritiæ, à stomacho cum pulueribus cinamoni, à neruis & iuncturis, cum puluere Zengibaris.

Pillulæ fortes, vt ieræ ruffini, Ieralogodion, nō detur nisi robustis. Similiter & pillulę de elleboro, & pillulæ democriti, dantur namque istæ pillulæ ad eradicandum humores difficilis eradicationis, vt in Lepra, morphea, & verucis.

Pillulæ de mezereon, & aliæ pillulæ multum fortes, quæ euacuant aquam citrinam, nunquàm deben acui, & non dentur nisi ad drag. 1. vel circiter & sunt appropriatę hydropisi. Cochiæ pillulæ sunt fortes, quare in debilibus bene operantur sine acumine. Aureæ pillulæ sunt propinquæ fortitudine, sed in robustis, & fortibus nil faciunt sine acumine, & valent ad caput, & ad materias in anteriori parte capitis & neruis.

Pillulæ de euforbio sunt satis fortes, valent ad passiones neruorum & ad paralysim. Aliæ autem omnes pillulæ, quæ communiter dantur, sunt debiles sicuti.

Pillulæ {
- Lucis, valent ad oculos
- Agarici, ad pulmonem, pectus ex humore frigido
- Stomathicæ
- Masticinæ
- Sine quib. esse nolo
- Hierepicræ

} Stomathicæ … Hierepicræ: omnes sunt ad vicia stomachi, & intestinorum

Hiera picra, multum de se est debilis, & vt plurimum per se non operatur nisi in multum debilibus. Et sic hiera, licet iuxta descriptionem, debeat esse in forma opiatę vel dissoluta, potest tamen dari in potione,

sed

sed propter amaritudinem detur in pillulis, quàmuis in potione melius & fortius operatur. Et datur in potione securè ad vnc. 5.

Pillulæ pestilentiales, de aloe, mirra & croco, non oportet propter eas manere in domo, nec à cibo, & potu abstinere, & possunt sumi de mane, & si non euacuant, noli terreri: nam intus remanentes habent præseruare massam humoris à putrefactione, & corruptione. Pillulæ ante cibum, & post non habent custodiam, & sunt ad vicia stomachi.

Pillulæ arteticæ, & de hermodactilis, sunt ad vicia iuncturarum de frigida causa, si humores sunt grosi, sunt vtiliores pillulæ fetidæ, quæ etiam valent ad paralasim ex humore grosso.

Pillulæ de Fumo terræ valent in scabie, & in infectionibus cutis, sunt debiles valde.

Pillulæ de quinque generibus mirobalanorum, valent in ægritudinibus capitis, ex humoribus calidis, maximè si communicet stomacho, vel hepati,

Pillulæ de reubarbaro, euacuant cholerã à capite, & hepate, sed sunt debiles valde.

Secundus modus soluendi choleram à capite.

Fit in forma pulueris, vt recipe rabarbari drag. 2. spice gr. 4. fiat puluis subtilis, detur cum brodio, aut decoctione maioranę.

Aloe autem propter amaritudinem in pluere non sumitur, & nõ lotũ nocet hepati, quia aperit venas, sicut dicit Princeps capitulo de Hydropisi. Ideo in Hydropisi non datur nisi lota cum aqua endiuiæ: nocet etiam in omni fluxu sanguinis siue sit apostemalis, hæmoroidalis, intestinalis, vel pectoralis, eo quòd habet aperire orificia venarum, sicut dicit Mesue, quare caueant tunc medici dare medicinas aloeticas.

Tertius modus soluendi choleram à capite.

Fit in forma infusionis, vt recipe drag. 2. reubarbari vel vnc. 5. mirobalani citrini, infundantur in aqua lactis per noctem, & mane datur patienti.

Quartus modus fit in forma electuariorum de psilio, succo ros. dia prunis & diacatholiconis, dosis cõmunis in adultis, est drag. 4. aut vnc. 5. & datur vel in forma boli, aut dactili, vt recipe electuarij de succo ros. laxa drag. 5. fiat bolus cum zuccaro, & potest deaurari, vel in forma potionis cum aliqua aqua appropriata, dictam dosim dando, vel faciendo

decoctionem ad hoc, vt recipe mirobalani citrini drag. 2. Tamarindi drag. 1. prunorum numero 10. buliant in duabus ciathis aquæ illius decoctionis accipe vnc. 2. dicatholiconis drag. 6. descripta pro haustu, & potest acui si expedit.

Exemplum de bolo in cholera.

Recipe electuarij de succo ros. dyaprunis laxati. ana drag. 2. zuccari, quantum sufficit fiat bolus. Et potest addi de conseruis aliquid, vel de pulueribus, & electuarijs appropriatis, potest & dari boli pondus vnc. 1. & non excedat vnc. 2.

Aliud exemplum in cholera: Recipe casiæ fistulæ recenter extractę drag. 6. elect. de succo ros, drag. 3. rabarbari electi drag. 1. spicæ ℈ 1. sirupi violati quantum sufficit, fiat bolus.

Pro phlegmate, recipe dyacarthami drag. 3. agarici trociscati, Turbit electi ana drag. s. ʒʒ. scru. 5. aquæ feniculi quantum sufficit, fiat bolus.

Pro melancholia. Recipe casiæ fistulæ recenter extractæ drag. 6. confectionis hamech, Senæ pulerizatæ, ana drag. 2. s. boraginis vnc. 1. s. zuccari quantum sufficit. fiat bolus.

Euacuantia phlegma à capite.

Simplicia {
- Rebuli
- Turbit eius correctiuum zinziber
- Agaricus eius correctiuum drag. 3. vel sal gemmę vel
- Mastix
- coloquintida cuius correctiuū. Mastix postea ʒʒ. gariof.
- Polipodium, cartamus.

Simplicia {
- Emblicia mirabolani semper debent dari cum zuccaro aut passul.
- Bellirici & tereniabin.
- Sticados, been
- Hermodactili, correctiuum. ʒʒ. aut mentha dosis in pillulis drag. 1. in puluere ℈ 2 debet exhiberi mane:

Con-

Composita sunt primo { Pillulæ alesanginæ. Agregatiuæ stomachicæ Alhandi. Cochiæ de sarcocolla. Arteticæ de hiera simp. & comp. de Hiera cum agarico

Pillulæ de hiera simplici, fiunt capiendo species hieræ simplicis Galeni faciendo ex eis pillulas. Sed de hiera comp. fiunt ex hierapicra Nicolai, & ad quamlibet vnc. 1. specierum hieræ additur drag. 1. Scamoneæ. Sed pillulæ de hiera cum agrico, sunt magistrales, & sic fiunt. Recipe hieræ simplicis partes tres. Agarici trociscati & non trociscati partem vnam, fiant pillulæ cum sirupo de sticados, & purgant instrumenta sensuum à phlegmate, & appropriate exsiccant phlegma à stomacho. Et hoc idem faciunt pillulæ lucis, & sine quibus esse nolo. Secundo, sunt pulueres cum solutiuis dictis, ponendo sua correctiua. Et quilibet scrup. solutim habet gra. 1. correctiui, vt recipe turbit drag. 1. ʒʒ. gra. 3. aut drag. 3. masticis piperis ana gra. 1. fiat puluis. Si vis dare agaricum da trociscatum in dosi drag. 1. vel drag. 1. 5.

Tertiò, sunt infusiones, vt infundendo agarici drag. 2. per 10. horas cum suo correctiuo, postea exprime, cola & da, vt recipe agarici drag. 2. vel ʒ 2 5. ʒʒ. salis gemmę an a scrup. 1. infunde in aqua saluiæ, & maioranæ ana vnc. 1. 5. per 12. horas, deinde exprime, cola, & da, & potest parum dulcorari cum sirupo sticados.

Correctiuum agarici, iuxta aliquos, debet esse subtriplum quo ad agaricum, vt recipe agarici drag. 1. salis gemme, scrup. 1. cinamomi parum misce, fiant pillulæ.

Si autem agaricus detur in forma liquida, est eius correctiuum oximel, vel sal gemmi, Si detur in pillulis, eius correctiuum est oximel & sal gemmæ simul, & semper debet misceri cum eo medicina stomachalis, vt cinamomum, gariofi. aut calamus aro. aut mastix.

Coloquintida laudatur maxime in apoplexia & paralisi, quare in his nequaquàm obmittatur. Eius correctiuum verum, est mastix, postea ʒʒ. gariofili, & cinamomum, & nunquàm debet dari sine medicina cordiali, quoniam de sua proprietate lædit cor. Etiam ladanum, bedellium, & dragantum, corrigunt coloquintidam, lapis lazuli, buglossa, ossa de corde cerui, cortices citri. Dosis pillu. drag. 1. pulueris drag. 1.

vſque ad drag. 1.ſcrup.1. lapis armenus lotus detur ſemper cum medicina cordiali, epithimus corrigitur cũ modico pipere, & ſalis gemmæ, puta gran. vnum detur mane. Doſis in forma pulueris drag. 3. in decoctione drag. 4. in pillulis drag. 1.

Sena detur cum brodio gallinæ, aut carnium, aut vino ſubtili, aut ſalis gemmæ, doſis drag. vi. aut cum ʒʒ. ſena cum fumo terræ educit choleram rubeam ſi datur cum ſero, vel Violis cum epithimo melancholiam, & choleram aduſtam, cum cartamo & ſemine vrticæ, purgat phlegmam.

Helleborus detur cum pipere, dauco, petroſelino, aniſo, origano, calamento. Doſis ſcup. 1. 5. pillulæ ſcrup. 1.

Hermodactilos corrigunt mirobalani, roſæ, ciminum, maſtix, piper, aniſum. Maſtix eius ſuperfluam humiditatem corrigit, ʒʒ. vero & piper, corrigunt eius ventoſitatem. Mirobalani corrigunt eius tardam ſolutionem, & ad remouendum nocumentum ſtomachi addatur tantundem de ʒʒ. & croco. Sed additio aniſi ʒʒ. maſticis, faciunt ad confortationem ſtomachi, per ſe cum datur. Doſis eſt drag. 1. 5. ſi datur cum alijs medicinis eſt drag. 1.

Turbit correctiuum, eſt ʒʒ. & iuxta mentem principis, dentur in æquali pondere. Meſue autem ponit ʒʒ. duas partes, & turbit vnam, & zuccari quantum de omnibus. Alij ponunt turbit duas partes, & ʒʒ. vnam. Turbit in infuſione, iuxta Meſue detur à drag. 1. vſque ad 2. in decoctione vſque ad 4.

Quartò ſunt decoctiones, vt recipe mirobala. citrinorum drag. 3. ſticados drag. 1. 5. buliant in aqua communi, aut appropriata ad conſumptionem tertiæ partis, cola, & da patienti, vel diſtempera in ea electuaria infraſcripta in doſi drag. 1. 5. vel ʒ. v. vt electuarium indum, dia finiconis, hiera ſimplex Galeni, hiera picra, hiera logodiõ, hiera Hermetis. In forma confectionis ſunt diaturbith, diacartamum, diaſinicon, & ſunt in ſolida doſis drag. 4. vel v.

Differunt { Electuaria, ſunt res liquidæ ex zuccaro, & melle.
Confectiones, ſunt res ſolidæ ex zuccaro tantum.

Exemplum quando datur laxatiuum in decoctione pro purganda phlegma. Recipe radicum apij, feniculi, ana vnc. 1. mentæ, abrotani, capilli veneris, ana tertiam partem manip. ſeminis aniſi, feniculi ana drag. 1. paſſularum, liquiritiæ, roſæ ana drag. 3. ordei vnc. 1. fiat deco-

ctio

ctio ad consumptionem medietatis aquæ, & in quantitate sufficienti, infunde turbit electi interiùs, & exteriùs rasi agarici ana scrup. 4. ʒʒ. scrup. 1. Salis gemmæ gra. 7. permaneant in infusione horis 10. deinde fiat fortis expressio, cui adde cassiæ fistu. recenter extractæ drag. 6. vel vnc. 1. mellis ros. & Oximel. squilitici ana vnc. 5. fiat potus. Aliqui priùs turbit confricant cum oleo amigdalarum dulcium, ad remouendum siccitatem suam.

Soluentia choleram nigram, seu melancholiam à capite.

Simplicia:
- Senę vnc. 5. cum ʒ, 5. ʒʒ. vel cinamomi, sal gemmæ gra. v. in decoctione passularum.
- Epithymi vnc. 5. cum decocti. passula. & grad. 8. salis gemmæ.
- Lapis lazuli a. ʒ. 1. vsq; ad 2. extinguatur, & lauetur decies in aqua rosarum.

Simplicia:
- Lapis armenus à drag. 1. ad 2. & lapis hic detur cum diaboraginato.
- Mirobalani indi vnc. 5.
- Fumus terræ.

Exemplum quando datur laxatiuum.

In decoctione pro purgãdo melancholiam, recipe radicum bruscij, sparagij, thamarisci ana vnc. 5. boraginis, buglossę, ana manip. 5. senæ Epithymi ana drag. 1. vel 2. passularum vnc. 5. prunorum damas. numero 7. fiet decoctio vsque ad consumptionem medietatis aquæ, & in quãtitate sufficienti, dissolue cassię fistu. drag. v. confect. hamech drag. 3. sirupi violati vnc. 1. fiat potus.

Nota. Epithymum non debet poni nisi in fine decoctionis. Declaratio recepti. Ponitur radix brusci, sparagi, thamarisci, borago, buglossa, quia melancholiam respiciunt. Sena, epithymum eo quòd euacuant humorem melancholicum, ponuntur passulæ, & pruna, ad remouendam eorum siccitatem, & ad linitionem pariter sirupus violarum, additur confectio Hamech, quia est citæ operationis. Et melius est quòd sena, vel epithymum dentur cum alijs medicinis laxatiuis, quàm sola, ne fieret potio abhominabilis, loco sirupi violati possis addere mel rosatum, vel alium sirupum appropriatum.

Sed

Sed inter composita euacuantia melancholiam sunt. Primo pillulæ indę, de lapide lazuli, de lapide armeno, & pillulæ de fumo terræ, quæ tamen magis valent in cura scabiei: si tamen ponantur directiua ad caput, erunt ad propositum: Secundò sunt pulueres dictorum simplicium, vt recipe folliculorum senæ lib. 5. carthami vnc. 5. salis gemme drag. 1. macis drag. 5. ʒ ʒ. garioff. scrup. 1. recipe de puluere drag. 2. vsque ad 4. cum aquis, vel vino appropriato a' iqui præparant. Senam solum cum ʒ ʒ. & sale gemma, vt dictum est.

Tertiò sunt infusiones, vel decoctiones, vt recipe senę vnc. 5. epithymi, drag. 2. mirobala: ind. 4. numero, infunde per noctem in aqua, mane cola & da, vel potius decoque vsque ad consumptionem medietatis, & da vnc. 3. istius decoctionis, vel distemperata in ea electuaria infra dicenda. vt diacassia, dyacatholico, aut dyasene.

Quartò sunt electuaria, vt elect. de epithymo. Hamech. vel dantur electuaria in forma dactyli, vel boli, vt recipe electuarij hamech vnc. 5. cum zuccaro fiat bolus deauratus. inter hieras, est hieralogodion in dosi vnc. 1. 5. hiera hermetis in dosi drag. 2. vsq; ad 25. Sed quia non omnia solutiua habent respectum ad caput, imo aliqua in differentia sunt ad omnia membra, ideo bonum erit cum eis ponere directiua. In stomacho vero eodem modo, & cum eiusdem medicinis euacuamus humores spectantes cum appropriatis dictis simplicibus, & compositis, & non oportet ponere directiua, quia de se medicina venit ad stomachum.

De alijs membris à prædictis. In hepate autem, & splene euacuamus cum dictis medicinis appropriatis ad humores; tamen cum eorum digerentibus, verbi gratia. In hepate cum decoctione appropriata, vt recipe miroba: indorum sandalorum rubeorum, ana drag. 1. 5. spodij. scrup. 1. miroba: citri drag. 1. buliant in 6. lib. aquæ, vsque ad decoctionem medietatis, deinde accipe electu. de succo rosvnc. 5. distempera in decoctione, & da in causa calida hepatis. In splene, recipe tamarisci manip. 5. corticum capparis, scolopen. lupuli ana manip. 5. buliant vt supra, postea in vnc. 2. decoctionis distēpera dyalenę vnc. 5. vel dyacatholico. 3. 6. cum drag. 1. confectio Hamech, euacuat ab eo melancholiam, in alijs membris pariter faciemus ponendo directiua. In renibus est medicina appropriata, vt benedicta laxatiua, & pillulæ de benedicta.

Exemplum pro hepate in causa frigida.

Recipe specierum dyarodon abbatis, dialacę maioris ana drag. 5. succi eupatorij, ligni aloes, seminis apij, ana scrup. 1.

Ali-

Aliquando etiam additur de conseruis, vt sic, conseruæ acori, corticis citri conditi, ana scrup. 2. vel drag. 1. zuccari in aqua feniculi dissoluti quantum sufficit fiat electuarium in tabulis.

Nota. Pro vnc. 1. pulueris, zuccari, li. 5 Et pro vnc. 5. pulueris zuccari vnc. 3. in forma solida, vel liquida, vt vis. Attamen in forma liquida oporteret pro bona quantitate augere pondera materialium, non autem in solida: nam in istis zucca: occupat magnum locum: nam pro vnc. 1. specierum ponitur lib. 1. zuccari, vel vnc. 8. in liquida autem sufficit vnc. 3. zuccari pro vnc. 1. specierum, & vt plurimum in forma liquida fiunt cum aliquo sirupo, vt in exemplo pro hepate calido, recipe specierum triasandali, dyamargariton sine speciebus calidis ana drag. 1. ros. rubea, spodij, seminis acetosæ ana drag. 1. 5. conseruæ cicoreæ, boraginis, violarum, ana drag. 1. sirupi endiuiæ vnc. 3. vel melius quantum sufficit, fiat electua. in forma liquida. Et de conseruis potes ponere in maiori pondere in electuarijs in substantia liquida, sed in paruo pondere in alijs scilicet alteratiuis, vt possit meliùs electuarium ad formam solidam reduci.

Nota de electuarijs laxatiuis.

Electuaria laxatiua cõponi possunt eisdem rebus, cũ quibus electuaria alteratiua fiunt, addendo de laxatiuis cum suis correctiuis magis, vel minus de illis ponendo secundum quod volueris per talia laxatiua magis vel minus euacuare, & possunt fieri in solida, vel liquida substantia, vt de alteratiuis dictum est. Aduerte pro vnc. 1. pulueris vnc. 3. zuccari, vel sirupi in liquidis electuarijs ponitur.

Exemplum pro cholera.

Recipe specierum tria sandali vnc. 1. Specierum dyarodon abbatis dra. 5. conseruæ nenuffaris vnc. 1. 5. Rhabarbari electi drag. 3. spicænardi drag. 5. corticum mirobalanorũ citrinorum drag. 3. diagridij scrup. 1. zuccari in aqua endiuiæ dissoluti vnc. 2. 5. vel quantum sufficit, fiat electuarium in forma liquida dosis est vnc. 5. nam in qualibet vnc. 5. intrat de mirabolanis, & reubarbaro drag. 1. & de diagridij circa gra. 4. ideo erit laxatiuum sine violentia. Sed si vis magis fortificare, adde de electuario, de succo rosarum, vel alio euacuante choleram.

Exemplum pro phlegmate.

Recipe specierum diaisopi diacimini ana drag. 5. specierum diagalãgæ, masticis, gariofilorum, ana scrup. 1. elect. dyacartami, dyafinicon, ana vnc. 5. agarici trociscati drag. 2. Conseruæ acori vnc. 5. Sirupi de mentha vnc. 1. 5. vel quãtum sufficit misce, dosis est vnc. 5. & est fortius precedente, tamen sine violentia. Quod si voles acuere, adde dyagridij gra. 2. 3. vel 4.

Exem-

Exemplum pro melancholia.

Recipe specierum electuarij capparis, diacurcumę, ana drag. 5. conseruæ buglossæ drag. 1. confectionis hamech, diasenæ ana drag. v. lapidis armeni loti scrup. 4. folliculorum senæ drag. 3. sirupi de fumoterræ quantum sufficit misce dosis vnc. 5. vel drag. v. potes tamen augere, vel minuere secundum discretionem tuam augendo, vel minuendo laxatiua.

Electuaria in solida substantia, eodem modo fiunt, vt alteratiua electuaria, additis laxatiuis.

Exemplum pro cholera.

Recipe specierum triasandali drag. 5. reubarbari electi 3. 1. 5. mirobа. citrinorum drag. 2. spicænardi scrup. 2. diagridij, gra. 4. zuccari in aqua acetosæ dissoluti quantum sufficit, fiat electuarium solidum in tabulis, dosis drag. v. vel vnc. 5.

Modus retinendi medicinam.

Primus est, vt odoret odorifera, imò nares constringat patiens, ne odorem medicinæ sentiat. Secundo capiatur pecia infusa in aqua frigida, & circumligetur, vel saltem applicetur collo anteriùs, simul proijciatur aqua frigida in faciem. Tertio, detur in ore aliquod, sicut pomum aut simile, aut ponatur pecia panis vsti ante os, & nares. Vltimo, ponatur ventosa cum igne supra stomachum, & retinetur medicina. Quando somnus post ventris solutionem fuerit multus, demōstrabit, quòd euacuatio iam perfectè mundauit corpus, & contulit.

Signa perfectæ euacuationis, sunt quādo euacuat sine dolore, & torsione. Secundò, si post euacuationem sequitur iucunditas, lenitas, & quies. Tertiò, si sequitur sitis non propter humorem euacuatum, neque caliditatem, & siccitatem medicinæ, sed quando venit propter & post perfectionem digestionis, & consumptionis medicinæ, tunc sitis est bona, & conueniens: de hoc est aphorismus quartę particulæ, Quicumque in pharmacijs non sitiunt cum purgentur, non quiescunt donec sitiant.

Remouentia nocumentum inductum, vel per ventositatem aut medicinas: Si vides nocumentum, da die sequenti mane patienti drag. 15. de optimo mitridato, vel theriaca in optimo vino electo, quia sic ventositas derelicta, remouetur. Aut recipe theriacæ veteris drag. 2. zuccari rosati drag. 1. 5. & da patienti in mane stomacho vacuo, vel si est multum calidus da aquam rosatam solum.

EXPLANATIONES.

Res tota medica est, & ad medicum pertinens.

SVM-

SVMMA CAP. XIIII.

Laxatiuæ medicinæ minimè dandæ sunt temporibus neque calidißimis, neque frigidißimis, superiora æstate, inferiora hyeme purganda sunt. pueris, & senioribus minimè pharmaca danda sunt. Iuuenes rarò medicinas sumant, senes effugiant: Diuersæ medicinæ diuersa postulant tempora. & quæ sint enumerat, signa Zodiaci influunt suas uires in simplicia medicamenta.

♄ Regit humorem peccantem in quartana.

♃ Regit sinochum, & sinocham.

♂ Regit tertianas.

☉ Regit ethicam, ☿ ephimeram.

His sortibus non debet inchoari cura illorum morborum quibus præsunt. obseruanda sunt etiam signa, & ☽ quasi ætatem virtutibus quoq; corporis præsunt tam planetæ, quàm signa, & quæ, quibus virtutibus, quiq; planetæ tradit.



OTANDVM quod in vsu medicinæ laxatiuæ, duo principaliter consideratur. Primum tempus in exhibitione medicinæ laxatiuæ. In diebus enim calidissimis, & frigidissimis, minime dari debet: sub cane enim & ante canem molestæ sunt purgationes, & medicamentorum vsus difficilis. Hipocra. particula quarta aphorismo quinto.

1 Et conuenit plus tempore autumni, & veris, quàm æstatis, & hyemis: dicit enim Hippocr. part. 6. Aphor. 46. Qui medicamento purgan-

di sunt,his verno tempore medicamentum exhibendum est. In æstate enim propter calorem fit ebulitio humorum,qui per discursum eorum in corpus nocumentum causant. Tempus tamen hyemis plus eligit Hipocra.quàm æstatis, in hoc,quod dicit parti.4.Aphor.4.Purgare quidem æstate superiora,hyeme verò inferiora,vbi vult,quòd tempore æstatis,si necesse fuerit,debet prouocari vomitus,tempore vero hyemis,vti debemus pharmacijs. Graciles enim,sicuti sunt cholerici,& facilè vomentes,oportet purgare superiùs timentes hyemem,id est preterquàm in hyeme. Difficilè verò vomentes, sicut melancholicos, phlegmaticos, & mediocriter carnosos, inferiùs timentes æstatem. Secundò, in pharmacijs seu medicinis laxatiuis dandis, attendi debet ætas:pueri enim,& decrepiti ad pharmacandũ inepti sunt,iuxta Aphorismum 12 Arnoldi de villa noua, cum dicit. In pueris,& decrepitis verendum est pharmacare. Iuuenibus quoque suspectum est crebro sumere medicinam. Quicumque in iuuentute sępius pharmacantur, citò deflebunt incommoda senectutis.

Tertiò attendi debet modus exhibendi medicinam laxatiuam, & quibus exhiberi debeat. Sana enim habentes corpora,medicina laxatiua uti non debent,vti inquit Hipocra.parti.2.Apho.36.

Est & sciendum,quòd tempora electa pharmacorum capiuntur penes motum lunæ,in signis aquaticis, quæ sunt cancer, scorpio, pisces, libra,& aquarius.

In { Cancro valet dare medicinam in electuarijs.
Scorpione valet in potionibus.
Piscibus dentur pillulæ.
Libra,& aquario,da quæcunque volueris. }

Inter hæc signa melius scorpio,deterius cancer.

De Regulis, & conditionibus attendendis in Medicina Laxatiua.

Prima regula. In administrando medicinam laxatiuam cauendum est, ne Luna sit in signis ruminantibus,quę sunt Aries,Taurus,Capricornus: nam hæc significant medicinæ euomitionem. Et hoc est quod dicit Hermes propositione 84. Luna existente in signis ruminantibus, vel iuncta planetæ retrogrado nó est bonum purgationibus vti: hæc enim vomitum inferunt,vel alias læsiones.

Secun-

Secunda regula. Ne detur pharmacum in malis aspectibus Lunæ
3 ad infortunatos. Saturnus enim medicinæ opus impedit, & frustrat, humores ingrossando, & inspissando, & poros claudendo: Saturnus enim frigidus est. Frigidi autem proprium est constringere. Mars autem suam ob caliditatem, & siccitatem effrenat humores, eos exacuendo, vsque ad deductionem aliquando sanguinis, maximè si medicina fortis fuerit.

Tertia regula. Cauendum est ne Luna sit iuncta Ioui: quoniam opera abreuiabit medicinæ. Dicit enim Ptolemeus propositione 19. Centiloquij. Si quis purgatorium cœperit, Luna cum Ioue existente, abbreuiabitur eius opus, & effectus ipsius minuetur. Ratio huius. Iupiter enim est amicus naturæ, & vitæ viuentium accomodus: est enim calidus, & humidus, in quo viuentium vita consistit, quando igitur medicina contra naturam semouebit, fit natura fortis ratione Iouis, & prohibet operationem ipsius medicinæ, & eius effectum.

Quarta regula. Laudabile est dare medicinã Luna in Scorpione, vel Piscibus, & cum dominus ascendentis iunctus fuerit planetæ sub terra per coniunctionem, vel laudabilem aspectum. Si vero iunctus fuerit dominus ascendentis planetæ existenti in medio cœli, patietur nauseam, & vometur medicina, & in eo non morabitur. Hæc Ptole. verbo 21. sui Centiloquij.

4 Quinta regula. Splen si purgare velis, videas ne Saturnus sit fortificatus in cœlo, sed curabis in hora Iouis, cum ipse fortificatus fuerit.

Sexta regula. Hepar ne purgabis in hora Iouis ipso fortificato in cęlo, sed purgabis splenem.

Septima regula. Cor ne purgabis in hora Solis, & cum Sol fortificetur, sed si Sol fuerit in ascendente, aut in medio cœli, aut in angulo septimæ bonum est dare cordialem medicinam confortatiuam, non autem laxatiuam, seu purgatiuam.

Octaua, Pulmonem in hora Mercurij non euacuabis, ipsoque in cœlo fortificato.

Nona regula. Fel, & renes noli mederi in hora Martis, ipso bene disposito.

Decima regula. Testiculi ne purgentur in hora Veneris, & in eius bona dispositione.

Vndecima regula. Cerebrum purgare malum est in hora Lunæ, Luna ipsa fortificata in cœlo.

Duodecima regula. Si des laxatiuam, præuideas ne Leo sit ascendens hac hora, ne nauseam æger capiat, & euomet medicinam.

Possumus tamen in horis planetarum ipsis fortificatis in cœlo præ-

parare, & disponere humorem ad expulsionem, similiter & medicinam, excepta hora Martis, & Saturni: aduertendum tamen est in omnibus his, vt videatur si infortuna sit domina natiuitatis illius, qui medicinā recipere debeat: nam illi talis infortuna prodesse poterit, vbi alij nocumentum prȩstabit: mali enim suos iuuant.

Notandum etiam, quod sicut se habent planetæ in comparatione ad humores nostri corporis euacuãdum, sic & signa cœli: nam in euacuando humorem vitanda erit influentia, & fortitudo planetæ, simbolum habentis, vel virtutem influendi super talem humorem: secus autem dicetur de signis. Nam euacuando humorem aliquem eligatur signum simbolum habens cum illo humore, ita quòd sit tale signum ascendens aut Luna in eo, excepto signo Arietis, Tauri, Leonis, Capricorni, & vltima medietate libræ, quæ est via combusta, & primis tribus gradibus Scorpionis.

In cura oculorũ, & capitis, sit Iupiter in ascendente fortunatus, vel in 11. 10. aut 9. domo cœli.

In cura malefici, vel dæmoniaci, sit Mercurius in suo termino, vel alijs dignitatibus, aut in primis septem gradibus virginis, & sit Luna in principio curæ in signo mobili, aut communi.

Notandum diligenter. Quod sicut signa, & planetæ influunt super corpus humanum, ita & super medicinas tam simplices, quàm compositas.

♈ ♉ ♊ Influunt super hieram picram, quæ habet singularem vim à capite, collo, & pectore euacuandi, & non ab inferioribus membris. Si ergo ipsam administrare volueris, sit Luna in illis signis bene disposita.

♈ Habet etiam aloem hepaticam, & mirobalanos, quæ euacuant à capite.

Cancer ♌ ♍ Habent diasenæ, agaricum, quæ euacuant à pectore habent similiter diairis, cassiæ fistulas, mirobalanos, quæ euacuant à stomacho.

♍ & principium ♎ Habent elect. de succo rosa. Fumum terrȩ, euacuantia hepar.

Finis ♍ & principium ♎ Habent pillulas indicas, senen adiasenȩ, fumum terræ, euacuantia à splene.

♎ ♏ Habent benedictam, saxifragiam, euacuantia à renibus, & coloquintidam cum benedicta, euacuantia matricem.

♓ Coloquintida, hermodactilos, quæ purgant pedes.

Aegritudines, & febres acutæ dicuntur, quæ generantur à duobus calidis humoribus, & reguntur à Luna. Chronicæ dicuntur, quæ generantur

rantur à frigidis humoribus, & maxime à melancholia, & reguntur à Sole.

♄ Regit humorem peccantem in febre quartana.

♃ Regit sinochum & sinocham.

♂ Regit tertianas & alias quascunque ratione choleræ, corpori inexistentes

☉ Regit hecticam.

☿ Ephimeram.

Illis planetis fortificatis, non debet inchoari cura, nec debet eligi tempus dominationis ipsorum, aut tempus inchoationis curæ, aut propinationis medicinæ.

Considerandum est, quod temporis aptitudo ad pharmacandum in signis attenditur aquaticis per præsentiam Lunæ, vt dictum est. Luna enim cum reperitur in signo aquatico vacua cursu, iudicemus pharmatiam mediocrem. Mediocris autem pharmacia est cum tot testimonia planetarum fortunatorum sunt sicut infortunatorum.

Aspectus:
- □ ♃ aut ♀ ad Lunam bona erit pharma.
- ✱ ☉ vel ♂ vel △ eorum ad ☽.
- ✱ ♃ vel △ ad ☽ similiter, & ♀ Venere non combusta, optima erit pharmacia.
- □ ☉ vel ♂ aut ♄ ad ☽ vel ☌ aut ☍ eorum ad ☽ prohibet dar e pharmacum.

Notanda est etiam regula Ptolemei verbo 56. sui centiloquij, & ipsius Hali. Quòd humores in prima & tertia septimana, recedunt de interioribus ad exteriora, in secunda autem, & quarta, ab exãterioribus ad interiora. Et ideo prima, & tertia septimana vtendum est euacuationibus exterioribus, vt phlebotomia. In tertia, & quarta interioribus, vt pharmacia. Et rationem huius regulæ ponit Haly, cum dicit. Quod humiditates corporum ab hora coniunctionis Solis, & Lunæ, vsque ad quartum aspectum accedunt, quia exeunt ab interioribus suis, vt appareant, & erunt sicut flumina, quorum aquæ crescunt, & dicitur illud incrementum accessio. Et ab aspectu quarto vsque ad prçuentionem, seu oppositionem contrahuntur ab extremitatibus corporum ad corũ interiora, & sunt sicut flumina, quorum aquæ recedunt. Et à præuentione vsque ad quartum aspectum secundum, sicut in quarta prima, & ab aspectu quarto secundo vsque ad coniunctionem recedunt, secundum proportionem secundæ quartæ.

De

LIBER

De Virtutibus corroborandis.

Virtutes corporis sunt duplices, principales, quæ subdiuiduntur: nam vna est, quæ conseruat species in esse, & hæc viget in membris generatiuis, & regitur à Venere.

Aliæ sunt conseruatiuæ indiuidui, & sunt tres, scilicet Vitalis, quæ residet in corde, & à Sole gubernatur. Naturalis, quæ in hepate consistit, & regitur à Ioue. Et animalis, quam Mercurius gubernat. Mercurij enim varia applicatio ad planetas diuersimodè animum variat iam obtundendo, iam acuendo, & corroborando mirificè ingenium. Aliæ sunt virtutes minus principales, seu administrantes, scilicet attractiua, digestiua, &c. vt sequitur.

Virtutem	Attractiuam	Gubernat, & confortat	☉
	Digestiuam		♃
	Retentiuam		♄
	Expulsiuam		☽

Sic simili modo signa has virtutes regunt.

♈ ♐ Attractiuam.
♉ ♍ Retentiuam.
♊ ♎ Prima medietas.
♒ Digestiuam.
♋ ♏ ♓ Expulsiuam.

Et si volueris confortare virtutem attractiuam, quæ viget caliditate, & siccitate, sicuti ☉, fiat hoc Luna existente in signo calido, & sicco, vt in ♈ & ♐, Leo in hoc malum est.

Aut conforta quando fuerit ♈ aut ♐ si Lunam expectare non posses. Et sic de alijs virtutibus,

De his virtutibus locutus, est Ptole. 86. propositione sui centiloquij in hoc, quod dicit Sol est origo virtutis vitalis, quæ est cordis, vt infra.

☉ Est Origo virtutis vitalis, quæ est Cordis.
☽ Est Origo virtutis naturalis hepatis.
♄ Est Origo virtutis receptiuæ
♃ Est Origo virtutis crescentis & vegetantis
♂ Virtutis irascibilis, & attractiuæ.
♀ Virtutis concupiscibilis, & appetitiuæ.
☿ Virtutis imaginantis, phantasticæ, & cogitantis,

EXPLANATIONES.

1 Et conuenit, *De quatuor anni temporibus aliter iudicant astrologi, aliter medici: astrologi incipiunt ver ab ingressu solis in primum gradum ♈, æstatem ab ingressu in primum gradum ♋, autumnum ab ingressu in primum gradum ♎, & hyemem in primum gradum ♑: aliter sentiunt medici, cum autem auctor confirmet suam sententiam auctoritate* Hippocra. *existimo debere medicum videre, quid de hac re sentiat tum* Hippocra. *tum eius sectatores, & iuxta eorum sententias tempora diuidenda.*

2 Ne ☽ sit in signis, *supra dixit ☽ sit in signis ruminantibus cum uomitum vis mouere.*

3 Ad infortunatos, *i. ad infortunas, qui sunt ♄, & ♂, vt ipse affirmat. aliàs infortunati omnes planetæ esse possunt, vt dictum est superiùs.*

4 Quinta regula, *vniuersalis regula hinc colligi potest, quòd medici nunquàm debent purgare illud membrum, cuius planeta dominus fortis est, neque in eiusdem hora, quod tamen contra se habet in signis membris dominantibus. bonum enim est si tale signum ascendit, aut luna in eo sit. excepto ♈ ♉ ♌ ♑, & ultima medietate ♎.*

Vacua cursu, *de hoc uide in tract. primo cap. 7.*

SVMMA CAP. XV.

In sanguinis diminutione quatuor animaduertenda sunt, anni tempus: diebus enim calidissimis, & frigidissimis fieri non conuenit: secundo pueri nati nondum ann. 14. & senes post 60. aut 70. ann. tertiò consuetudo animaduertetur, quartò corporis vis, atque robur. Cum autem venam secare vis, id fiat apto tempore: idq; quod sit docet, vnà cum omnium venarum, ex quibus sanguis extrahitur, descriptione, quoq; modo sanguinis affectio dignoscatur.

IN

LIBER



N phlebotomia est euacuatio vniuersalis, quæ multitudinem humorum euacuat, qui augmentantur super æqualitatem ipsorum in venis, vti profitetur Auicena quarta primi, capite 20. de phlebotomia, sunt attendenda quattuor. Primo tempus. In diebus enim calidissimis, & frigidissimis minutiones sunt timendæ. Dicit enim Hippocrates particu. quarta, Aphorismo quinto. Sub cane, & ante canem molestæ sunt purgationes. Et huius tres sunt causæ. Primo ex parte dispositionis virtutis corporis, quia præcessit magna resolutio, & pharmacum seu minutio addit resolutioni. Secunda sumitur ex inflammatione spirituum, & humorum cum pharmacum inflammat humores:

Tertiò, quia aer iste assimilatur balneo trahente humores à centro ad circumferentiam: medicina autem trahit à circumferentia ad centrum, quare causatur quædam contrarietas debilitans virtutem, & inflammans spiritus perducendo ad febres:

Secundò debet attendi ætas phlebotomandorum ante 14. annum, & post 60. aut 70. non valet minutio, primò propter gracilitatem venarum in iuuenibus, secundò propter virtutis debilitatem in senibus, nisi senes essent carnosi, sanguine pleni, & vigorosi.

Tertiò debet attendi consuetudo, quia senes, & inconsueti non minuant, ne incurrant ægritudinem, nisi in magna necessitate.

Quarta attendatur virtus, quia fortes minuant, debiles verò nequaquàm.

Notandum, quòd duplex est tempus minutionis. Quoddam necessitatis, cum scilicet morbus exigit minutionem, sicuti in Squinantia, minutio cephalicæ, vel vena sub lingua multum prodest, licet tempus non sit electum ex cœlo. Squinantia enim est morbus peracutus, qui non patitur moram, quia citissimè interficit, & de hoc tempore minuendi, nihil ad propositum, eo quòd necessitas legem non habet.

Aliud est tempus electum, quod secundum sapientes astrorum à loco Lunæ accipitur, in signis zodiaci, & vario aspectu planetarum Lunæ ad Solem, & alios planetas, vt infra.

Quo ad signa phlegmatici minuere debent in ♈ aut ♐, excipitur in ♈ caput, in ♐ coxæ, in quibus non valet minutio, vt in figura.

Minuant:
- Phlegmatici in
  - ♈ Præter Caput
  - ♐ Præter Coxas
- Melancholici
  - ♎ In primis 15. gradi. præter nates
  - ♒ Pręter Crura
- Cholerici in
  - ♋ Præter pectus
  - ♌ Præter verẽdaĩ initio mediocris
  - ♓ Præter pedes.

In Leone minutio prohibetur, quia Leo est domus Solis, Sol autem in natura omnino contrariatur Lunæ.

In geminis ideo prohibetur minutio: nam communiter fit minutio in brachijs, & manibus, quæ gemini respiciunt. Tangere autem membro ferro Luna existente in signo respiciente illud membrum timendum, hoc idem dicit Almansor in lib. 150. Capitulorum, cap. 24. Non erit bona sanguinis minutio Luna in geminis, nec erit conueniens vt ventosis Luna in Tauro. Etiam ideo excipiuntur gemini, & vltima medietas Libræ, quia per ea transit galaxia, in qua sunt multæ stellæ de natura Martis, quare & Luna in illis signis dicitur combusta, quare tunc phlebotomia vitatur. Multi etiam reijcunt Scorpionem in minutione fienda, eo quòd opponitur Tauro, in quo Luna exaltabitur, etiam quia Scorpio est domus Martis, qui plus contrariatur Lunæ quàm Soli, quare minutio in eo prohibetur, Sed Luna cum pertranseat primos 12. gradus scorpionis, per quos transit galaxia, minutio mediocris erit. In alijs autem terreis signis, puta in ♉ ♍ ♑ minutio nequaquam valet.

Sequuntur aspectus, qui minutionem impediunt.

In his prohibetur Minutio:
- ☌ ☉ ☽ Impedit tres dies ante, & post, Luna tunc combusta dicitur ad minus distare debent per 30. gradus.
- ☌ ☽ ♄ Impedit vno die ante & post.
- ☌ ☽ ♂ Impedit per vnum diem ante & post.
- ☌ ☽ ☿ Impedit si ☿ fuerit combustus.
- ☌ ☽ ♂ Impedit si venus est combusta.
- ☍ ☉ ☽ Impedit diem ante, & post.
- ☍ ad ♄ ♂ Impedit per diem ante & post
- □ ☽ ad ☉ ♂ & ☿ Similiter eorum coniunctio. Impediunt minutionem, nisi fuerit distantia inter eos sex gradus, hoc est per dimi-

Q dium

dium diem: cautius tamen est eadem die minutionem relinquere.

In sequentibus applicationibus, & aspectibus securè minuas.

☌ △ ✶ Iouis, & Lunæ optimam faciunt minutionem, hoc idem intelligatur de ♀ si non fuerit combusta.

□ ☍ ♃ ☽ ♀ minut. faciunt bonam, dato etiam quòd Luna sit in signo mediocri.

△ ✶ ☽ ☉ ♂ minutionem faciunt electam, sed si tunc Luna reperitur in signo mediocri, minus diceretur bona, & nō electa. Oportet etiam medicum habere respectum ad ætates, nam à ☌ vsque ad 1. quadram, valet pro iuuenili ætate. A quadra 1. vsque ad ☍ valet minutio pro iuuenili, & virili.

Ab ☍ vsque ad secundam □, valet pro virili, & senili.

A secunda □ vsque in finem mensis, valet pro senili ætate tantum.

Luna vetus veteres, iuuenes noua Luna requirit.

In prima quadra sunt minuendi sanguinei, iuxta aliquos.

In { Secunda cholerici
Tertia phlegmatici
Quarta melancholici.

Et similiter si euacuare uoluerimus sanguinem purum, fiat in prima quarta. Si cholericum, in secunda. Si phlegmaticum, in tertia, si melancholicum, in quarta, & hoc arbitrātur fieri iuxta simbolum cum quartis Lunæ, sed iuxta hanc eorum intentionem, me iudice, phlegmatici deberent minuere sanguinem in vltima quadra, quę est frigida, & humida, sicut phlegmatici sunt. Et melancholici in tertia quadra, quę est frigida, & sicca sicut sunt melancholici: attamē si conspiciamus proprias qualitates, & non appropriatas, tunc bene loquuti sunt. Et propter mutationem lucis Lunæ fiunt quattuor status. Primus est ætati pueritiæ similis, & tempori veris, quod est calidum, & humidum, & sicuti sunt sanguinei. Secundus est similis ætati iuuentutis, & tempori æstiuali, quod est calidum & siccum, sicuti cholerici. Tertius status est similis ætati senectutis, & tempori autumnali, quod est tempus frigidum, & siccum, sicuti sunt Saturnini, & melancholici. Quartus status est similis ætati decrepitę, & tempori hyemali, quod est frigidum, & humidum, sicuti sunt phlegmatici, & secundum hos status bene locuti sunt, qui dicunt minuendum esse phlegmaticis in vltima quadra Lunæ.

Luna in { Prima quadra à Sole, est calida, & humida sicut ver.
Secunda calida, & sicca sicut æstas.
Tertia frigida, & sicca sicut autumnus.
Quarta frigida, & humida sicut hyems.

Minutio, iuxta doctrinam medicorum. Aliquando fit per metathesim: quæ dicitur fieri quando, ex ea parte, in qua est ægritudo, sanguis extrahitur, vt si est dolor in sinistro latere. fiat minutio in sinistra parte corporis. Aliquando per antispasim. Antispasis per contrarium vocatur, quòd si passio fiat in sinistro latere, minutio fiet in dextro.

Et si dolor est nouus, fiat minutio per antispasim. Si inueteratus per metathesim. Dicit Galenus in micratechgni. Si quis habet stomachum debilem, & defectuosum, debet cauere à phlebotomia, & maximè de venis, quę sunt in plicatura brachij. Similiter se abstineant à phlebotomia qui habent hepar defectuosum, & quibus frigiditas dominatur, nisi fuerit morbus periculosus, sicut squinantia, pleuresis, peripneumonia, & similia.

Notandum de venis, quæ, vt plurimum aperiantur, inter quas primum occurrit cephalica, quæ est in parte superiori ipsius brachij, & in ea minuenda minus est periculum, quia sub ea non est neruus, nec arteria notabilis, ex quorum tactu per phlebotomiam posset imminere periculum, & incisio huius venæ valet contra fluxum oculorum, & contra omnes dolores capitis, & contra morbum caducum. Et respicit hæc vena partes superiores corporis, & in eius defectu capiatur vena, saluatela, quæ est in radice pollicis.

Basilica, est in parte inferiori brachij. dicitur, & hepatica, aperitur in passionibus hepatis, & splenis, & hoc perfectiùs in manu sinistra. Et sub hac vena est arteria magna, ideo apertura basilicæ, non debet esse profunda ne tangatur arteria, & loco basilicæ si bene haberi non potest, aperiatur scylen, quæ est inter auricularem, & medicum, sed est aperienda cum timore, quia sub ea est neruus, & ponatur manus in aqua calida, vt vena magis appareat, & sanguis subtilietur, & liberiùs exeat, & hæc vena euacuat à partibus inferioribus corporis. Et basilica in dextro brachio dicitur vena hepatis, & in sinistro, vena splenis, quia de istis membris sanguinem educunt. Et iuxta doctrinam multorum, scylen, & saluatella vna est vena:

Vena communis seu media, dicitur, & vena cordis, matricis. Nigra, purpurea. Dicitur communis eo quòd ducit sanguinem à superioribus, & inferioribus. Cordis, quia à corde, & pectoralibus directè euacuat, matricis, eo quòd à matrice sanguinem diuertit. Dicitur mediana, quia media est inter cephalicam, & basilicam, & conflata de ramis amborum. Dicitur nigra purpurea, quia color eius plus vergit ad istos colores.

Venæ quidegi. Sunt duę venæ magnæ in collo, vna à dextris, alia

à sinistris, valent ad constrictionem anhelitus, ad inceptionem lepræ, impetiginem, serpiginem, ad ægritudinem, quæ comedit carnes, quę vocatur, noli me tangere, aut ad cancrum corrosiuum.

Duæ venæ post aures. Phlebotomantur ad hemicraneam, catarrhum antiquum. Et sunt hæ venæ in loco concauo post aúres, & bene apparent cum gala stringitur, aperiantur parum in longitudine.

Duæ venæ temporum, phlebotomantur ad dolorem antiquum capitis, & ad apostemata palpebrarum, & oculorum, & ad omnes superfluitates currentes ad oculos.

Vena in medio frontis, inter duo supercilia minuitur propter infirmitates antiquas faciei, & turpia vlcera, & ad dolorē posteriorem capitis, & contra apostemata oculorum, contra phrenesin, & nouã leprã.

Nota. Omnes venæ capitis post commestionem sunt minuendæ, excepta vena sub mento.

Vena in buto nasi, seu sumitate, valet ad phrenesim, febres acutas, dolorem capitis antiquum, & antiquam rubedinem faciei, & nimium fluxum oculorum.

Venæ in angulis oculorum, valent ad clarificandum visum, ad rubedinem oculorum, & ad omnes fluxus, & maculas, ad albulam, & nebulam oculorum, & ad inuersionem palpebrarum, & debet fieri minutio aduersus nasum.

Vena labij inferioris, valet ad apostemata oris, & vlcera mala, quæ fiũt in naso, & ad corrosionem, & rupturam gingiuarum, & fissuras earum.

Duæ venæ sub lingua valent ad apostemata gulæ, & oris, & squinantiam specialiter, & contra dolores dentium, reuma capitis, contra apostemata gutturis, & contra omnia vitia oris.

In pede sunt tres venæ, scilicet sciatica, saphena, & quædam vena quæ est inter policem pedis & digitum primum. Et sciatica phlebotomatur propter pasionem sciaticam. Saphena verò ad pasionem matricis, & testiculorum ad antiquam scabiem, phlegma salsum. Ad idem valet incisio venæ, quæ est inter policem, & digitum primum, & hæc venarum incisio fieri debet communiter post prandium.

Vena sub vtroque genu, valet incisa contra apostemata, & dolores renum, & lumborum coxarum, & vesicæ, arteticas pasiones mirabiliter curat.

Vena in vtroq; pede, supra pedicam maiorem, valet contra ophthalmiam, & contra faciei pustulas, menstruorumque retentiones, contra conceptionem, & pustulas crurium.

Vena super minimam pedicam in vtroque pede, valet ad choleram, duæ venæ interiores, sub talis in vtroque pede, valet contra arenam, & calcu-

calculum, & mulieribus post partum non bene purgatis valet, & illis quæ non sunt bene dispositę ad recipiendum semen.

Et apertio venarum, quæ sunt in brachio, debet fieri secundum longum, & quæ sunt in angulis oculorum similiter, & in medio frontis secundum transuersum.

In vere, & æstate fiet phlebotomia in parte dextra. In autumno, & hyeme, in sinistra.

De iudicio cruoris, & eius inspectione.

Sanguis ex venis emissus, vel egrediens, tangendus est, qui si frigidus fuerit, statim restringatur. Similiter si inueniatur calidus, & subtilis, ne phlebotomandus sincopizet.

Item ponatur vna gutta sanguinis super vnguem, si fluit, est aquosus multum, quare restringatur, sed si stat, est nimis grossus, & parum est extrahendum donec subtiliatur.

Et si grossiciem, & aquositatē cruoris, seu sanguinis dignoscere volueris, proijciatur vna gutta in aquam, si ad fundum descenderit, grossus dijudicetur, sed si supernatet, aquosus estimabitur, sed si medio modo se habet, bonum est.

Sanguis nigri coloris in fundo scutellæ residens, super melancholiā attestatur, & timiditatem, talis cuius is fuerit sanguis, vtatur mundificantibus sanguinem, & multiplicantibus sanguinem bonum.

Albedo mucilaginosa, insipida, similis albugini oui, si est in sanguine post melancholicum sanguinem, & in nimia quantitate, phlegma dominari significat.

Sanguis purus, purpureus, ruffus, aut subruffus, in magna quantitate, sanguinem indicat.

Spuma sanguinis, si est crocei coloris vergentis ad scintillantem rubedinem in minori quantitate, quàm sanguis, indicat choleram.

Aquosa substantia, quę supernatat in sanguine coagulato, sicut serum in lacte, cum coagulatum est, & apparet aquositas similis vrinæ sani hominis, bonum signum est, & quanto illa aquositas à sanguine perfectius separatur, tanto melior digestio in hepate significatur, & contra. Vnde non est bonum sanguinem esse totaliter priuatum tali aquositate vrinali: nam ex hoc iudicatur siccitas, & grossicies sanguinis. Et talis priuatio aquositatis solet esse in sanguine illorum, qui multum ieiunant, & vigilant, & cibis vtuntur siccis, & calidis, & qui multum exercentur, & student, similiter in conualescentibus,

Sed si hæc humiditas vrinalis est nimia, defectum digestionis significat, debilitatemque corporis.

Et communiter habent stomachum & hepar frigidum, & talis sanguis

guis est illorum, qui cibis frigidis, & humidis vtuntur, & multum crapulis, & bibitionibus dediti sunt, & se parum exercent.

Carnosa substantia in sanguine declinans ad albedinem in multa quantitate, indicat bonam digestionem venarum, & obedientiam sanguinis ad conuersionem in membris, & specialiter si talis substantia est tractabilis manibus, nec in ea apparent contenta magna, nec ad tactum dura, & quæ digitis fricata quasi puluerisentur. Ex hoc enim significatur dispositio propinqua ad lepram.

Aqua in sanguine si est inferiùs, & superiùs, significat hydropisim.

Sanguis aut Cruor:
- Spissus malum circa pectus
- Flauus, malum circa splenem
- Glaucum, malum iecoris
- Ruffus cum nigro circulo, debilitatem capitis
- Ruffus, niger, durus, coagulatus, paralysim.
- Niger, aquosus nimis, febres quattanas.
- Purpureus, rubeus, non obscurus, bonum.
- Color stintillaris rubedinis, & croceus, cholericum significat.
- Albus, liuidus, si sanguis sit viscosus, phlegma significat.
- Viridis, attestatur adustionem, & specialiter choleræ
- Niger valde liuidus, melancholiam ex adustione
- Insipidus arguit super phlegma
- Amarus, choleram
- Ponticus seu acetosus, melancholia, aut phlegma acetosum.
- Salsus, phlegma salsum, & adustionem humorum.

De grossitie, & subtilitate saguinis.

Sanguis, qui citò coagulatur nimis, grossus dicetur: Qui vero tardè, arguitur subtilitatis, & indigestionis.

Item incidatur sanguis cum cultello: si enim non resistat, sed incisioni faciliter obediat, subtilis dicitur: Si autem contra difficulter incidatur, & diuidatur, grossus, & viscosus dicitur.

Sed si sanguis nullo modo sustineat incisionem, sicut apparet in aqua, & oleo, quę faciliter diuiduntur, sed non inciduntur talis sanguis nimis subtilis est, & indigestionem significat.

Si sanguis defacil perforatur satis conuenienter, sed non inciditur, viscosus, & phlegmaticus dicetur.

Remedium contra inflationem Venarum.


Post phlebotomiam, recipe rutam, absinthium, hordeum, & contunde, in patellaque calida confice ex illis ad modum emplastri, & liga super tumorem, & sanabitur. Et hæc de phlebotomia, pro nouis medicinæ tironibus sufficiunt.

EXPLANATIONES.

Quos adspectus in hoc capite enumerat, ij facile ex ephemeride colligi possunt.

SVMMA CAP. XVI.

Epithema est quoddam aggregatum ex succis, vel aquis distillatis, & pulueribus positis super membrum cum panno lineo, vel laneo eis infuso, quod apponitur materia existente digesta, & in morbi declinatione, quod ab embrocatione differt, quia hæc fit ex rebus in aqua vel vino bulitis: tradit deinde res ex quibus conficitur vnà cum ponderibus, & mensuris, cordi, hepati, testibus accommodatis.



PITHEMA proprie sumptum est quoddam aggregatum ex succis, vel aquis distillatis, & pulueribus positis supra membrum, mediante panno lineo, vel laneo in eis infuso, & debet applicari epithematis, materia existente digesta, & in statu declinationis, & non in principio morbi, & conueniunt maximè in febribus de causa calida, & minus in febre de causa frigida. Et differt epithemam ab embrocha, quia embrochatio fit ex rebus bulitis in aqua, & vino,

no,& non ex succis,vel aquis distillatis,sicuti epithema. Et erit sermo de epithemate cordis,hepatis,cerebri,testium,eo quòd etiam sint principalia membra,circa quæ fit epithema.

Regula pro vno epithemate.

Ad lib.vnam aquæ capiatur de speciebus drag.1.5.vsque ad 2.aut 3. Alij capiunt lib.1.5.aquarum,& drag.1.5.specierum.

Exemplum pro confortatione cordis.

Recipe aquarũ rosa Buglossæ,ana lib.5.Sandali citrini, corticis citri, zeduariæ,ana ℈.1.terantur,& cum aquis prædictis misceantur. Et fit epithema cordiale ex aquis cordialibus,& speciebus,vel pulueribus cordialibus,sicuti species electuarij de gemmis,diambræ,diamusci in lapsu multum frigido.

Nota,quòd in epithemate cordis, nunquàm debet medicus obmittere, quin ponat ibi parum maluatici vini,aut muscatelli, aut parum croci, & medici semper imponunt crocum: tamen in epithemate hepatis non debet poni crocus,propter caliditatem,vt vult Auice.sed ibi ponatur aliquid aceti,gratia facilioris penetrationis.

Dosis vini maluatici ad lib.1.est vnc.1. sed croci ponatur parum, puta gra.2.aut 3.& hoc ad confortandum,aliquando ad remittendum frigiditatem.

Exemplum prædictorum ad faciendum epithema,hepati febrientis febræ cholerica. Recipe aquarum endiuiæ,hepaticæ, cicoreæ,solatri, ana vnc.3.aceti vnc.5.triasandali, ana drag.1.fiet epit.

Exemplum pro hepate. Recipe aquæ cicoreæ, vnc.5. succi apij vnc.4. specierum dialaccæ maioris,drag.5. absinthij succi scrup.2. terantur,& misce.

Epithema Splenis.

Recipe aquarum scolopendriæ,fumiterræ,ana lib.5. corticum radicum caparis,thamarisci,ana scrup.2.terantur,& misce.

Notandum,epithema hepatis fieri debet cum succis,vel aquis hepatis,& pulueribus,etiam speciebus respicientibus hepar,vt triasandali in lapsu calido diarodon,vel diaciminum in lapsu frigido, & sic de splene dicendum erit.

Item si patiens disponetur ad sudores,aut actu sudat,non debet poni epithema,ne impediatur crisis.

Item in febribus non acutis hora ponendi epithema est ante cibũ, & tepidum. Sed in acutis pestilentialibus febribus non est determinanda hora, imò in eis debet continuari,in quibus etiam maximè iuuat,& hoc fit coactè.

Epithemate etiam testiculorum vtimur præcipue cum videmus sanguinem

guinem fluere è naribus, aut per alia loca taliter, vt restringi non possit, tunc fiet epithema frigidum ad testiculos ex speciebus frigidis, & aquis appropriatis frigidis, vt aqua communi cum pauco aceto. Aliquando etiam fiant epithemata in febre cum dolore capitis, de aquis, & speciebus appropriatis. Exemplum, in lapsu calido, recipe aquarum ros. nenuffaris, solatri, ana drag. 4. triasandali drag. 2.

Modus vtendi epithemate. Intingantur pannus lineus, vel laneus in aquis appropriatis tepidis, & exprimatur parum, & lenitur nec dimittas refrigari, & applica iuxta necessitatem ter vel qua ter.

EXPLANATIONES.

Res tota medica est.

SVMMA CAP. XVII.

Embrocatio siue fomentatio est aggregatum ex decoctione herbarum, siue aliarum rerum in aqua, vel vino cum applicatione ad membrum mediante spongia vel filtro. fomentationum aliæ sunt stomachales, aliæ hepaticæ, aliæ capitales, & quomodo fiant docet.

NOTA, quòd fomentatio propriè dicta est, quæ fit ex decoctione herbarum, vel in aqua, vel in vino, licet talis communiter vocetur embrocatio, cum tamen propriè loquendo embrocatio dicatur cum fit casus illius decoctionis ab alto.

Est igitur fomentatio siue embrocatio, aggregatum ex decoctione herbarum, siue aliarum rerum, puta radicum, seminum, florum, aut similium in aqua, vel vino cum application e ad membrum, mediante spongia, vel filtro: dicitur primò est aggregatum &c. ad differentiam epithematis, quod fit per sublimationem, & non decoctionem.

Dicitur mediante spongia, vel filtro, ad differentiam epithematis, quod cum panno ponitur.

Dicitur cum vino,vel aqua. Nam aliquando vtimur aqua commu ni fluuiali,aliquando aqua cisternæ,& hæc aqua est melior,quia magis depurata,dehinc melior fluuialis,vltimo pluuialis.

Notandum,quòd fomentationũ quędam sunt stomachales,quia circa stomachum factæ,quædam hepaticæ, quædam capitales.

Stomachales fiunt ex rebus stomachicis. Epaticæ, ex hepaticis, & sic in alijs membris ex rebus appropriatis.

Regula pro compositione earum est, quòd lib. 1. aquæ requirit manip. 2. herbarum. Exemplum. Recipe violarum manip. 2. capilli Veneris,melliloti, an. manip. 1. seminis fenugreci vnc. 5. buliant in aquę lib. 2. Et debet buliri res vsque ad consumptionem medietatis, aut tertiæ partis ad minus, infunde spongiam, & sic tepidè applica pectori quater,vel circiter,lenit,resoluit, & dolorem mitigat. Sed in materia grossiori addendo anetum,& huiusmodi.

Stomachalis fomentatio in lapsu frigido.

Recipe menthæ,absinthij,camomillæ ana manip. 1. florũ lambruscę anethi ana drag. 5. buliant in lib. 2. aquæ ad medietatem.

In hepate post febrem fit ex endiuia,acetosa,solatro,& Nenuff.

In splene, ex buglossa, scolopendria,tamarisci,capparibus, & ibi in decoctione ponatur medietas vini,aut aceti,& medietas aquæ.

Ad vermes.

Recipe absinthij,foliorum persicorum, ana manip. 1. menthæ, manip. 5. diptami,gentianę, sementinæ, id est seminis sancti, fisticorum, aloes ana drag. 5. buliant in aqua, & post formentationem abstergatur locus cum panno,& ipsam debet sequi linitio vel inunctio si expedit: nam pori per ipsam fomentationem aperiuntur,& sic virtus vnguenti melius penetrat. Et embrocatio communiter est sumenda post epithema,quia est fortioris operationis cum fiat ex aqua decocta,quę fortior est aqua sublimationis, vinum pariter est fortius. Ex his elicitur quòd causa administrationis embrocæ vel fomentationis est duplex. Prima, quia embroca est fortior medicina,quàm epithema, vbi igitur non sufficit epithema,fiet embroca. Secunda, quia non vbique præparatæ reperiuntur aquæ sublimatæ, de quibus fit epithema, quo casu facimus embrocam ex decoctione rerum.

Et vsus embrocationis,maximè conuenit in sedando dolore, à causa calida vel frigida, respectu aliarum medicinarum,& maximè artetico,& cholico: & embroca debet applicari in statu declinationis. Et fomentatio stomachalis,cordialis,hepatica capitalis,tutiùs administratur ante cibum,reliquæ vero indifferenter.

EXPLA-

EXPLANATIONES.

Verba per se satis nota sunt.

SVMMA CAP. XVIII.

Vnguentum est aggregatum ex liquoribus, & cera, aut gumis cum subtilibus pulueribus superadditis ad subtilitatem redactis, ob id differt à cerotis. cuius dosis hic traditur. Linimentum fit ex ijsdem rebus cum modica tamen cera, vt linimentum sit vnguentum molle, & qua ratione id fiat ostendit.



SCIENDVM quod vnguentum est aggregatum ex liquoribus, & cera, aut gumis, subtilibus pulueribus superadditis, ad subtilitatem redactis.

Liquores sunt olea, pinguedines, & succi. Dicitur cera ad differentiam ceroti, quod communiter fit cum resina: loco tamen ceræ in vnguento ponitur quandoque serapinum, amoniacum, & huiusmodi, ideo additur, aut gumis: Dicitur ad subtilitatem redactis.

In hoc differt ab emplastro: quia in vnguento componentia reducũtur ad subtilitatem vel mediocritatem. In emplastro autem ad grossiciem, & duriciem: Dicitur vltimò in diffinitione, & pulueribus additis hoc intelligitur, vt plurimum: quia vnguentum fieri potest ex solis liquoribus & cera, ut exemplum in pleuresi. Recipe olei violarũ vnc. 1. olei camomillæ, butiri loti ana vnc. 5. cum modico ceræ, fiat vnguentum, & vngatur locus dolens facta embrocatione. Vel in materia grossa, recipe oleum anethi, liliorum alborum, & ireos, ana drag. 5. pulueres de vrtica drag. 5. ceræ drag. 5. fiat vnguentum.

Pro compositione vnguentorum.

Nota quod simplicia componentia vnguentum antequàm ad formam vngenti reducantur, debent pulierizari seorsum, & p one cũ m- quore, & cera liquefacta.

 Regula

Regula talium est, quod quælibet vnc. 1. liquoris exigit drag. 1. vsque ad drag. 1. 5. pulueris.

De cera non datur bene regula, quia si volumus facere vngentum molle, dicatur & ceræ modicum, si grossum dicatur & ceræ tantũ, quod ad grossitiem reducatur. Verum tamen est quod communiter pro 2. vnc. liquoris, capitur vnc. 5. ceræ, sed communiter scribentes relinquũt in arbitrio apothecarij, ideo scribimus ceræ quantum sufficit. Et hi pulueres sunt ponendi in vnguentis, qui sunt appropriati membro vngendo. Et cera est quadruplex, scilicet alba, citrina, viridis, rubea.

Alba est frigidior, ideo in vnguentis febrientium ponitur. Sed rubea est calidior, & iterum viridis propter viride æris, de quo componitur.

Olea frigida		Olea calida	
	Violarum		Anethinum
	Mirthinum		Liliorum alborum
	Nenuffaris		Laurinum
	Rosarum		Camomillæ
	de Papauere		Absinthij

Olea frigida		Olea calida	
	de Hyoscyamo		Rutæ, & hæc olea cõueniunt in omnibus membris.
	de Cucurbita		

Sed specialiter ad curam stomachi sunt olea frigida, mirtinum, rosarum, citoniorum. Et calida sunt oleum de absinthio, de mentha, de spica, & masttichinum.

Exemplum ex lapsu frigido stomachi. Recipe olei de absinthio, de spica, ana. vn. 1. gariof. Calami aromatci, cinamomi, ana ℈. 2. ceræ quã tum sufficit, vel vnc. 5. terantur omnia per se, fiat vnguentum. Et si velles eo vti contra vermes, loco dictorum pulucrum, pone diptami, gentianæ, lupulorum, sementinæ, & aloes ana, ℈. 1.

Exemplum in lapsu calido hepatis, sicuti post febrem. Recipe olei rosarum viola. an. vnc. 5. olei nenuffa. drag. 3. olei absint. drag. 2. pulueris triasandali, drag. 1. cum modico ceræ, fiet vngentum. Potest apponi de succo endiuiæ, & isopo, & possunt vngi renes vsque ad spatulam, siue sandali, & hoc vt refrigeretur vena caua, & arteria aorti, quibus infrigidatis infrigidatur totum, quia portant sanguinem toti corpori.

Dosis communis vnguenti magistralis, est vnc. 1. vel 5. vel vnc. 2.

Lini-

Linimentum fit ex eisdem rebus, cum modica tamen cera, ita quòd linimentum est vngentum molle: oportet autem quòd cera, & liquores ponantur ad ignem lentum, & dissoluantur, & buliant, postea addantur species, & dimittantur congelari. Et si vis habere citam congelationem, pone vrceolum in aqua frigida. Hora applicandi vnguenta est melior post vniuersales euacuationes, & præcipuè post embrocationem poris apertis. Sed particularis hora est omnis hora indifferenter: ita tamen quòd inter vnam applicationem, & aliam, mediat tempus trium horarum, hoc addito, quod applicentur calida, vel tepida præterquàm in vulneribus.

Regula communis ferè omnium practicantium est, vt pro 1. vnc. olei, ponatur drag. 1. pulueris, & tantundem ceræ, vt in exemplo pro confortatione stomachi. Recipe olei masticis, menthæ, absinthij, ana vnc. 1. maior, siccæ, isopi, ana. drag. 1. nucis muscatæ, gariofi. piperis longi ana. ℈. 1. ceræ drag. 3. fiat vngentum. Si vis habere vngentum in forma satis dura, pone pro vnc. 1. olei specierum drag. 3. ceræ drag. 2. 5. Si verò molle, pone pro vnc. 1. olei drag. 2. ceræ, & drag. specierum.

EXPLANATIONES.

Verba per se satis nota sunt.


SVMMA CAP. XIX.

Cerotum est aggregatum ex liquoribus, & pulueribus grossis cum resina, aut cera ad formam solidam, & densam redactum. Cerotorum autem aliud est stomachale, aliud cerebrale, aliud matricale, aliud spleneticum, aliud hepaticum; tradit horum formam, ac pondera vnà cum ordine, quem habent inter se vnguentum, cerotum, ac emplastrum. tradit quoque modum, quo cerotis medici vti debent.

CERO-


EROTVM est aggregatum ex liquoribus, & pulueribus grossis cum resina, aut cera ad formam solidam, & densam redactam. In hoc, quod dicitur pulueribus grossis, differt ab vngento quod cum subtilibus componitur. In hoc, quod dicitur ad formam solidam, est, quia vngentum ad subtilitatem reducitur, & quia cũ cera non duceretur ad formã solidam, ideo additur cũresina.

Circa hoc notandum, quòd cerotorum quoddam est stomachale, quod ex rebus stomachicis cõficitur, quoddam hepaticum, quoddam cordiale, quoddam matricale, quorum quodcumque ex appropriatis conficitur, sed differunt in forma ex parte membrorum quibus applicantur, vnde stomachale fit ad formam scuti



Regula. Pro qualibet vnc. 1. liquoris requiritur drag. 1. vel drag. 1. 5. pulueris in cerotis, recipe olei citoniorum de Mirtho ana vnc. 1. gariofilorum, masticis ana drag. 1. fiat cerotum cum resina. Et dosis cerotorum non est limitata, eo quòd magnificatur, & minoratur secundum intentionem medici, & membri, cui applicatur. Notandum secundò, quòd ita se habent per ordinem scilicet, vngentum, cerotum, & emplastrum. Fortioris enim est operationis cerotum, quàm vnguentum, & adhuc fortioris emplastrum, quamuis ægrotantibus minus tediosum. Primò igitur sapientes medici incipiunt cum vnguento, deinde cum non sufficit descendunt ad cerotum, & tantundem ad empla-

pla-

plastrum. In passionibus autem stomachi cerotum inter alias medicinas miram facit operationem.

¶ Cerotum capiti applicandum valens contra decursum catarrhi mirabiliter super commissura coronæ. Primò radendo capillos, & fricando bene donec rubeat. Secundò ponendo ventosam sine scarificatione. Vltimo applicando cerotum, recipe laudani, gumi elemi, sandaracæ, olibani, storacis liquidæ, & siccæ, resinæ, ana, misce fiat cerotum capitale.

EXPLANATIONES.

Verba satis aperta sunt.

SVMMA CAP. XX.

Emplastrum est aggregatum ex herbis, radicibus, floribus, & pulueribus grosso modo pulueriZatis cum liquoribus simul mixtis, vel bulitis. Huius dosim, quam dicunt medici, vel ponderum iuxtam mensuram, unà cum modo conficiendi tribus regulis complectitur. necnon enumerat ea, ex quibus emplastra confici solent. & quo modo sint cor poribus nostris admouenda tradit, & alia recenset, quæ extrinsicus admoueri solet.



MPLASTRVM est aggregatum ex herbis, radicibus, floribus, & pulueribus, grosso modo puluerizatis, cum liquoribus simul mixtis vel bulitis. Per hoc, quod dicitur grosso modo puluerizatis, differt ab vnguento, vnde medicinę puluerizandæ pro vnguēto debent subtilius puluerizari, quàm pro emplastro vel ceroto, ideo in fine vnguenti dicunt communiter practicantes puluerizanda pulue rizentur subtiliter, quod non dicunt in fine ceroti vel emplastri, etiam factis de rebus siccis. Emplastrum quoddam fit ex rebus frigidis, quoddam ex siccis.

De compositione emplastrorum.

Nota quòd ordinando vnguentum vel emplastrum, medici tenent communiter hanc differentiam: quia in vnguento priùs nominant liquores,

quores,postea ponunt pulueres, & ceram. In emplastro è contra, licet de hoc non sit curandum, quod priùs nominetur.

Regula prima.

Herbæ, & flores debent per manip. nominari. Radices per vnc. aut ʒ. similiter pulueres, & farinæ.

Regula secunda.

Manipulus vnus dictarum rerum exigit de liquore vnc. 1. aut 1. & 5. iuxta mentem medici

Regula tertia.

Medicus ordinando emplastrum ex herbis viridibus, & radicib. non debet dicere, & eas facere puluerizari, sed buliri, & hoc donec veniant ad spissitudinem, quibus bulitis, additur liquor, verbi gratia. Adeps porci, axungia, butirum, aut olea, iuxta mentem medici, de resoluendo, vel maturando.

Exemplum maturatiui. Recipe maluæ manip. 1. radicis altheæ minutim incisæ manip. 5. vel vnc. 1. buliant in aqua vsque ad spissitudinem, dehinc adde pinguedinis gallinæ vnc. 2. vel. 1. 5. buli iterum, fiat emplastrum.

Exemplum resolutiui. Recipe florum camomillæ, melli, aneti, ana manip. 5. buli vt supra, deinde accipe olei camomillæ, liliorum alborum ana vnc. 1. 5. buli pro emplastro.

Alia regula ad sciendum exemplum, cum melle pro libra 1. mellis sumi debent vnc. 4. specierum.

Si autem de rebus siccis, quæ puluerizari possunt, cupis emplastrũ, non debent subtiliter puluerizari, sed grosso modo. vel solum contundi, & sume pro drag. 1. pulueris vnc. 1. liquoris, aut paulo plus, vel minus, iuxta necessitatem, siue sint plures ex herbis, radicibus, aut seminibus, siue de farinis. &c.

Exemplum, recipe farinæ seminis lini, fenugræci ana ma. 5. olei sisamini, axũgiæ gallinæ an. quantum sufficit. fac vt buliat parum, & fac emplastrum. Si autem aromatarius non esset peritus, tunc pone pondus de liquoribus, iuxta regulam præcedentem.

Modus applicandi emplastrum.

Postquàm emplastrum est confectum, ponatur super panno, & tũc assit lapis calefactus, super quo calefiet, & tunc supponatur membro, nequaquàm frigide applicetur.

Sunt & aliæ locales medicinæ, vt cataplasma, quod fit de herbis viridibus contusis, vel siccis bulitis, & simul supra positis. Et encathisma, quod est balneum particulare, vsque ad vmbilicum super herbis appropriatis, & bulitis.

EXPLA-

EXPLANATIONES.

Satis apertè locutus est auctor.

SVMMA CAP. XXI.

Confectio fit ex saccharo, & in formã solidam redactio. Electuarium ex saccharo vel melle, aut sirupo, confectionum quædam vsualis, & quædam magistralis, harum autem quædam cordi, quædam cerebro, quædam stomacho, prosunt magistralium quædam sunt laxatiuæ, quædam confortatiuæ, & alteratiuæ, & horum omnium pondera tradit, vnà cum modo conficiendi.



SCIENDVM quod ad compositionẽ confectionem, & electuariorum essentialiter ingrediuntur pulueres, vel species appropriatæ, & aquæ cum zuccaro, & melle, sed tamen differunt: nam confectio fit tantum ex zuccaro, & in formam solidam reducitur. Sed electuarium ex zuccaro, vel melle, aut sirupo: vltra tamen hæc essentialia aliquando intrant alia, vt pulpæ, caponum, aut semina, vt fistici, pineæ, vuæ passæ, semina communia frigida. Et confectionum quædam magistralis. Vsualis, in apothecis reperitur, & quædam cordi appropriatur, sicut confectio de gemmis, læticia Galeni. Quędam cerebro, vt pliris arcoticum, diambra Quædam stomacho, vt diagalanga, & quædam hepati sicut triasandali. Sed de magistralibus, quædam sunt laxatiua scilicet quæ ex rebus laxatiuis componantur, sicuti diaturbit, diasenæ, de quibus dictum est. Sed non laxatiuæ ex non laxatiuis fiunt, & talium quædam sunt confortatiuæ, quædam alteratiuæ, quædam confortatiuæ, & alteratiuæ simul.

Prima regula.

Sequuntur regulæ.

Quòd pro vice vna raró transimus, drag. 3. vel 4. pulueris, aut specie

rum, vel conficiendo confectionem, vel electuarium magistrale.

Secunda regula.

Quod drag. 1. pulueris aut specierum, exigit vnc. 2. zuccari in confectione, quia debet reduci ad formam solidam, sed in electuario sufficit vnc. 1. vel 1.5. zuccari, mellis, vel sirupi, ad drag. 1. pulueribus, quia id est minus solidum, & durum. Sed de aquis non datur regula, sed ponitur quantum sufficit. Sed in conficiendo morsellas rubeas lib. 1. zuccari exigit vnc. 1. specierum, & vnc. 1. sandali rubei.

Exemplum de confectione stomachali.

Recipe specierum diacinamomi drag. 1. specierum aromatici rosati drag. 5. ecce drag. 1.5. requirit vnc. 3. zuccari, & fit confectio cum aqua menthæ, aut absinthij quantum sufficit, & fiunt rotulæ, aut morselli, dosis communis drag. 3. aut 4.

Confectio cordalis. Recipe specierum electuarij de gemmis drag. 5. specierum diamusci dulcis, electuarij regum ana scrup. 1. zuccari boni vnc. 2. confice cum aqua Buglossæ. Et possum facere de puluere rerum appropriatarum stomacho, de calamo aromatico, gariofo. rosa rubea an. drag. 5. zuccari vnc. 4. conficiatur cum aqua absinthij. Eodem modo de corde sicut margaritis, osse de corde cerui, & sic de alijs. Et suo modo etiam in hepate videlicet de spodio, sandalis, spica, aut cum speciebus triasandali, vel diarodon, & aqua absinthij, vel endiuiæ iuxta exigentiam dispositionis, & infirmitatis. Et ita in capite de speciebus diambræ cum aqua maioranæ, vel saluiæ. Sed si iam dictis voluerimus facere additamenta, tunc regula est. Pulueres, & pulpæ simul commisceantur, & tunc pro vnc. vna pulueris, & pulparum simul mixtorum, pone de zuccaro vnc. 3. aut minus prout vis delicatam magis, aut minus habere confectionem.

Exemplum. Recipe pulparum caponum, perdicum ana. vnc. 3. fisticorum infusorum in aqua rosata, seminum communium frigidorum maiorum mundatorum ana vnc. 5. & ex toto sunt vnc. 8. specierum electuarij de gemmis drag. 1. zuccari opti. lib. 1. vel. 1. & 5. vel dicatur zuc. quantum sufficit, fiat confectio in morsellis cum aqua boragi.

Laxatiuæ autem confectiones eodem modo conficiuntur sicut non laxatiuæ, vt recipe agarici præparati drag. 1. Turbit drag. 5. 33. electi, gr. 3. Zuccari optimi vnc. 3. fiat confectio in rotulis magnis ita, quòd dosis potest esse drag. 4. aut. v.

Et quemadmodum datæ sunt regulæ de modo componendi confectiones, ita eodem modo seruari debet de compositione electuarij, hoc solum attento, quòd ad drag. 1. specierum sufficit vnc. 1. vel 1.5. zuccari, mellis, vel sirupi, vti dictum est, quia in forma liquida conficiuntur

ciuntur

ciūtur. Et dantur confectiones communiter per duas horas ante prandium, vel duas horas ante cœnam &c.

SVMMA CAP. XXII.

Mixtura fit ex rebus iam confectis in propria forma, in quo differt à cōfectione, et electuario, quòd hæc conficiuntur ex pulueribus simplicibus, vel speciebus. idem sunt conditum, conserua, mixtura, & electuarium, sed differunt ratione.



IXTVRA differt ab electuarijs, & confectionibus, quia mixura semper fit ex rebus iam confectis in propria forma. Sed confectio vel electuarium, ex pulueribus simplicibus, aut speciebus, vt faciendo mixturam dico, recipe cōseruæ boraginis, rosſ.ana, misce, uel sic. Recipe conseruæ rosarū vnc. 2. specierum electua. de gemmis drag. 1. fiat mixtura cum zuccaro uel sirupo rosato, & deauretur, ualet in febribus arsiuis. De dosi non ponitur regula, sed datur ad placitum, & fit mixtura cum sirupo rosarum, uel de agresta, aut alijs, & potest deaurari.

Et idem sunt conditum, conserua, mixtura, & electuarium, differunt solum ratione.

SVMMA CAP. XXIII.

Loch à lambendo dicta sunt. Hæ differunt in modo substantiæ, & modo operationis: vtimur loch in affectionibus pectoris, pulmonis, & in eis, quæ sunt in meri. Loch quædam euacuant humiditates ex pectore tam ibi genitas, quàm si quæ à capite defluxerunt, quædam pulmonem mundificant, quædam quæ subtilia sunt crassiora reddunt, do-

sis est quanta est auellana, vel castanea, hora sumendi semper est apta, præter quàm statim post cibum, sumatur ita, vt teneatur in ore donec liquefiat.



LAMBENDO loch dicta sunt, quorũ quædam sunt delectabilia, quædam gustu displicibilia, & sunt de speciebus amaris quodammodo, vnde nota, quod vna, & eadem descriptio si fiat cum zuccaro, potest reduci ad formam confectionis electuarij, vel loch: differunt tamen in modo substantiæ, & quodammodo in modo operationis: nam per multam vel minorem decoctionem, & admixtionem quorundam viscosorum, fit in eis variatio sensibilis, ac mixtura manifesta. Requiritur enim ad confectionem construendam maior decoctio zuccari, vt per eam induretur, ad electuarium autem minor. Sed in loch multum minor ambobus: nam ipsum coquitur modico plusquàm Iuleb, & minus, quàm electuarium, & in ipso etiam quędam plurima viscosa intrant, quatenus gulæ adhęrentiam faciunt, plura autem loch fiunt cum melle, quàm cum zuccaro, eo quòd fortiùs abstergit, aperit, adhæret, & calefacit. Vtimur autem loch solum in passionibus pectoris, pulmonis, & in eis, quæ sunt in meri, sed confectionibus, & electuarijs, in omnibus passionibus omnium membrorum, loch quædam euacuant humiditates grossas pectorales, & plurimas catarrhales, vt loch sanum, & quædam adhuc grossiores, & viscosiores, vt loch de squila, quædam valent in vlcere pulmonis mundificando humiditates ibi existentes, vt loch de pino. Et quædam ingrossant materiam subtilem fluentem à capite ad partes spirituales exasperantes, & tussim siccam facientes, vt loch de papauere.

Dosis loch, est quantitas auellanæ, vel castaneæ. Hora sumendi est indifferenter, diu, noctuque, ante cibum, vel post: non tamen in mediate post, ne cibum sursum euaporare faciet: melior tamen hora est, vacuo stomacho, præterquàm in loch de papauere, cum per ipsum quęrimus somni prouocationem, vel materierum subtilium in capite ingrossationem, quia sic meliùs datur vna hora post cœnam eundo ad lectum.

Modus sumendi est lambendo in ore tenendo donec liquefiat, & sic caput anteriùs inclinando paulatim deglutiendo, & sic per poros. Me

ri virtus loch transpirat, & resudat ad partes cannæ, & pectoris, & propterea non debet statim post ipsum potus sumi ipsum à meri abluens. Ex speciebus vero loch vsualium prædictarum possunt fieri pilulæ bichichiæ tenendo in ore.

SVMMA CAP. XXIIII.

Trociscus est quædam rotunda confectio cum quadã depreßione, vt lupini, in quo differunt à pillulis, quæ rotundæ sunt, differunt etiam operatione, & sapore, hic potest fieri ex omni re, quæ in puluerem redigi poßit: trociscorum quidam sunt stomachales, quidam cerebrales, quidam cordiales, & tandem à membro, cui conferunt ad valetudinẽ, denominationem sortiuntur; ob id ex diuersis rebus fiunt, atque ponderibus.

TROCISCVS, est quædam rotunda confectio cum quadam depræssione ad modum lupini. Et quandoque fit in longitudine quadam, & rotunditate. Ratio compositionis eorum, vt species intrantes diutiùs, & meliùs conseruentur, & ita patet differentia eorum à pillulis in figura, quia tales omnino sunt rotundæ à pila, idest rotunditate. Secundò in operatione, quia pilulæ omnes aut laxant, aut leniunt. Sed trocisci multoties neutrum illorum faciunt. tertiò, quia non sunt ita abhominabiles adsumendũ sicut pillulæ. Nota tamen quod Trocisci non dantur in propria forma, quia talis est inepta ad degluciendũ, sed dantur in puluere, electuario, confectione, aut decoctione, secundũ, ꝙ medicus intendit, aut etiam in pillulis maximè quando dantur ad caput. Et ex omni medicina puluerizabili potest fieri trociscus dosando medicinas, secundum medici intentionem sumendo plus stomachica, aut cerebralia, aut alia prout videbitur. Et ita quidam sunt trocisci stomachales, quidam cerebrales, quidam cordiales, & sic de alijs membris, Stomachales de rebus stomachicis conficiuntur,

ciuntur, vt recipe masticis cinamom electi. spicæ, gariofilorum, calamiaro. præparati ana drag. 5. fiat trociscus de sirupo, de mentha, aut cum alia aqua, aut succo.

Cordialis ex cordialibus fiat, dummodo dosis trocisci non excedat drag. 5. Sed nota, postquàm exhibebis trociscos in forma, in qua intendis, potest dari dosis amplior, quàm pilularum, quia pilulæ virtualiter debilitant, & non trocisci. Ideoque dosis communis trociscorum, præter opiatos est à drag. 1. 5. vsque ad drag. 2. licet meliùs sit dare drag. 1. in opiatis, autem dosis est ℈. 1. aut drag. 5.

Aperitiui Trocisci
- De Rebarbaro
- Spodio
- Eupatorio
- Lacca
- Mirrha
- Capparis

Horum trociscorum aliqui respiciunt materiam calidam, alij frigidam. Non est enim opilatio à materia adeo frigida, aut viscosa, quin posset remoueri per trosciscos de lacca, aut mirrha: ideo in retentione menstruorum antiquissima laudantur trocisci de mirrha.

Restrictiui. de terra sigillata, de bolo armeno.

Confortatiui, trocisci de absinthio, de mentha, diarodon, & conueniunt maximè in declinatione febris, de materia frigida, qui mirabiliter remouent debilitatē totius corporis, & aperiunt opilationes, si quæ sunt, & materiam grossam digerunt: tempus administrandi, est ante cibum per vnam aut duas horas.

Fiunt etiam trocisci pro fumigio, & hoc, vel in passionibus matricis de rebus matricalibus, & ad rectificationem aeris, verbi gratia. In pestilentia, recipe cinamo. gariof. rosf. rube, ana. vnc. 2. ligni aloes, thuris masticis, ladani, ana vnc. 1. sandali rubei, & albi drag. 1. 5. fiant trocisci cum terbentina in dosi drag. 5. & teratur in mortario, & possunt poni trocisci galliæ, & aliptæ muscatę sicut medico libet, & de his trocis scis ponatur vnus aut plures super carbones,

SVMMA CAP. XXV.

Pessarium est formæ oblongæ, atque teretæ, & ponitur in vulua ad menstrua vel stringenda, vel pro uocanda,

uocanda, & fit ex diuersis rebus prout morbus postulat.



ESSARIVM fit formæ oblongæ aliquando rotundæ, & mittitur in vuluam ad menstrua stringenda, vel prouocanda, & fit de rebus appropriatis, puluerizatis confectis cum aliquo liquore, aut electuario in panno tenuissimo inuolutum.

Exemplum de pessario prouocante menstrua, recipe mirrhæ, arthimisiæ, abrotani, seminis nigellæ an. puluerizentur omnia, & cum trifera maiori, vel mitridato formetur pessarium. Quantitas autem pessarij communiter fit ad quantitatem digiti minoris, inuoluatur in raro panno lineo, & ponatur in matricem, & communiter alligatur ei filium duplicatum, ut extra matricem pendeat, & sic iuxta opportunitatem extrahi possit.

Exemplum pessarij constrictiui menstruorum fluentium preter naturam. Recipe carabæ, nucis cipressi, gumi arabici, balaustiæ. ana drag. 3. thuris, drag. 2. fiant pessaria cum decoctione sumach, aut succo plantaginis siue mucilagine psilij vniuscuiusq; ponendo drag. 2. & ponantur in matricem.

SVMMA CAP. XXVI.

Decoctio est cum herbas; flores, semina, radices, vel aliud cuiuscunq; generis decoquitur, vel in aqua communi, vel distilata, seu alio liquore, vt ex ijs in liquorem per concoctionem extrahatur. Infusio est cum res medicæ ponuntur in liquore aliquo, nec tamen in illo decoquuntur, quo autem modo fiat exemplum tradit.



ECOCTIO dicitur quando herbæ, flores semina, radices, vel aliud cuiuscumque generis decoquitur in aqua communi, vel distillata seu aliquo liquore, vt virtus harum rerum per decoctionem recipiatur in aquis, in quibus decoquuntur. Demum talis decoctio colatur quandoque cum expressione, quandoque sine expressione, iuxta rei exigentiam, liquor autem sic colatus decoctio dici-

tur,

tur,& de hac ſatis dictum eſt antea.

Infuſio verò, eſt quando aliquæ res medicinales ponuntur puluerizatæ, aut contuſæ, vel inciſæ, vel ſolæ in aqua, vino, vel alio liquore abſque vlla decoctione, & ibi remanent partes, poſtea colantur cum expreſsione, vel ſine, ſecundum quod quærimus remanere maiorem, aut minorem virtutem in tali liquore, talis liquor ſic colatus, & præparatus, dicitur infuſio. In decoctione tamen plus manet de virtute rerum, quàm in infuſione, ideo poſt infuſionem alicuius ſimplicis medicinæ, ſicuti agarici, turbit, aut alterius, ſæpe facimus lenem decoctionem, vt virtus fortiùs aſſumatur.

Exemplum infuſionis, educentis phlegma.

Recipe, agarici, turbit, ana. drag. 1. 5. 3 3. Spicæ, ſalis gemmę ana, gr. 4. infunde in aqua abſinthij, vnc. 2. 5. per horas. 12. deinde exprime fortiter, & cola, colaturæ, miſce diaſiniconis drag. 2. & da. Et ſi placuerit poſſet fieri lenis bulitio ſimplicium in aqua, vt virtus meliùs recipiatur exhibe in aurora. Ita dico de rabarbaro in euacuatione cholerę, quando infunditur in aqua endiuiæ. Et ſi cholera eſſet groſſa, addatur parum vini, vel aqua feniculi. In fine autem addimus communiter aliquem ſirupum in doſi vnc. 5. pro dulcoratione, vt in infuſione agarici vnc. 5. Oximellis.

Iſtæ etiam decoctiones debent dulcorari cum zuccaro, melle, aut ſirupis appropriatis, vt delectabiliores ſint aſſumentibus. Pone igitur pro drag. 3. aut 4. 3. 1. de melle, zuccaro, vel ſirupo, per hoc etiam diutiùs conſeruantur, niſi enim ſic præpararentur, non poſſunt vſque ad triduum durare.

SVMMA CAP. XXVII.

Medicus debet ſcire ſimplicium medicinarum vires non ſolum vniuersè, verum etiam quos dicunt qualitatis gradus, & cui corporis parti proſint, & illud ſimplex medicamentum, quod medicinæ baſis dicitur, quod maiorem vim habet ad id, quod volumus, debet eſſe duplex ad id, quo vtimur, & ingreditur medicinā ratione corroborandi illam corporis partem, cui mederi intendimus.

Septem

Septem de causis miscentur nonnulla cũ eo, quod medicinæ basis est, corroborandi, venenum medicinæ auferendi, gratificandi ægroto, vt viæ aperiantur ad medicinam, vt medicina tueatur à calore digerente, vt cõmunis medicina fiat alicuius partis particularis, vt quod in basi non prodest amoueatur. Nonnunquam plures bases ponuntur in vna medicina, & qua ratione permisceantur, traduntur septem regulæ. item quinque ingrediuntur pharmacum compositum, & horum traditur dosis.



IN compositione medicinarum requiritur, quòd componens sciat virtutes medicinarum simplicium cognitione vniuersali, & singulari. Non enim sufficit, quòd sciat, quæ medicina sit calida, frigida, humida, aut sicca, abstersiua, apperitiua, lenitiua, &c. sed oportet, vt sciat in quo gradu medicinæ has faciunt operationes, scilicet, vtrum multum, aut parum hoc faciũt: oportet etiam noscere quod membrum quælibet medicina respiciat, quæ caput, cor, pectus, stomachum, hepar &c. Et vtrum illud debiliter, aut fortiter respiciat: oportet etiam aduertere, quem humorem euacuare voluerit, & quæ medicinæ huiusmodi humorem euacuant principaliter, sicut turbit phlegma, & scamonea choleram, &c. Et hæc medicina apud auctores dicitur basis, seu radix.

Est enim basis illa medicina, quæ habet notabiliorem effectum ad humorem euacuandum, vt basis in hierapicra Galeni est aloe: nam hæc confectio fit ad purgandum phlegma in stomacho, ad quem aloe respectum habet ineffabilem effectum. Aliquando plures bases reperiuntur in vno medicamine, vt virtus vnius per aliam fortificetur, sicut in benedicta, in qua turbit, hermodactili, & scamonea sunt basis: est enim medicina, quæ euacuat phlegma à iuncturis, & locis remotis, sed turbit, & hermodactili sunt debilis operationis, quare scamonea apponitur ad adiuuandum eorum operationes. Scamonea

enim iuxta autores medicinæ, ponitur in aloeticis, vt properare faciat eorum operationes.

Notandum ibi, quòd de medicina, quæ est basis, debet poni plus in duplo, q̃ de medicina cõfortante eius operationem, vt cum pro radice turbit ponitur, aut pro basi in aliqua medicina subduplum, i. medietas eius ponitur de Zinzibere, vt si ponitur ʒ. 1. de turbit ponatur drag. 5. ʒ 3. Zinziber. n. cõfortat operationẽ turbit. Et hoc verũ est, si medicinæ sunt eiusdem grauitatis, & leuitatis. Nam si medicina confortans, est leuioris ponderis quàm radix, seu basis, de ipsa minus quàm subduplum ponatur, vt si aloe pro basi ponatur, & pulpa coloquintidæ pro confortante, tunc pulpæ ponatur minus quàm sub dupla, propter eius leuitatem, & aloe grauitatem. Quantum ponitur de opio in medicina, tantum de castoreo: quia sunt grauia. Sic quantum de scamonea, tantum de bdellio. Et aliquando medicina composita ex basi, & eis, quæ ipsam confortant, sufficit ad effectum habendum, quem quęrimus, & tunc est optima medicina. Aliquando autem non sufficit, quare oportet alia ponere, quę insufficientiam compleant, & pręparãt ad hoc, vt recipiant basis operationem, & istæ medicinæ vocantur sequentes radicis operationem, quia per se in medicina non ponuntur, sed propter radicem, cui conferunt iuuamentum.

Istæ autem medicinæ, quę sequuntur radicis operationem apponuntur in composito septem de causis.

Prima causa, vt membra confortentur, & hoc maximè fit quando basis est aliqua medicina laxatiua, quæ venenosa est, nocumentum ingerens membris, quare tunc confortatur per medicinas cordiales, quæ spiritus confortant, sicut sunt medicinę, in quibus est aromaticitas, vt rosæ, xilo, aloes, sandali, crocus. &c.

Secunda causa, vt malitia medicinæ auferatur, sicut malitia opij auferatur per castoreum, & scamoneæ, per bdellium, & dragantum. Et ellebori malitia, per daucum, & siler montanum auferatur.

Tertia causa est, vt abhominatio medicinæ auferatur, quale admiscemus cum medicinis mali saporis, zuccarum aut mel plus quam in medicina boni saporis, non horribilis.

Quarta causa, vt viæ, per quas attrahit medicina, aperiantur, sicut in paralisij, & in apoplexia, vbi viæ sunt angustæ, quare difficilè attrahũt, vnde oportet tunc admiscere medicinas diureticas, vt viæ aperiantur.

Quinta causa, vt medicina tueatur à calore digerente, ne in via debilitetur, hac de causa ponitur opium in theriaca.

Sexta causa est, vt medicina, quæ ad plurima mẽbra est cõmunis, ad vnum specificetur, vt, si aliqua medicina aperiat opilationem venarũ, & vri-

& vrinam prouocat, si volumus vrinam prouocare, debemus admiscere cum ipsa aliquid, quod ad locum illam medicinam dirigat, vt cantarides. Si vti velimus medicinis aperitiuis in hepate, solæ sunt dandæ, si in splene, dentur cum aceto, si in pectore, dentur cum aqua mellis, aut aqua ordei, aut cum dulci vino. Et cum medicinis diureticis admiscemus rafanum, quando volumus, vt in hepate longo tempore remaneant, in eius deopilaiione.

Septima causa est, vt qualitas radicis, seu basis, quæ nocet morbo amoueatur, & de sua virtute nihil dematur, vt scamonea, quæ nocet febri qualitate, quare cum ipsa admiscemus mirobalanos, quia virtutem laxandi non dirimunt, & eius acuitatem reprimunt.

Et persepe plures bases ponuntur in vno medicamine.

Primò, vt in eadem specie ægritudinis, diuersas faciat operationes, vt in passionibus neruorum ponitur pro basi piretrum, & castoreum, piretrum ad phlegma consumendum, & dissoluendum, & castoreum ad confortandum.

Secundò, ideo quia medicina composita respicit diuersas ægritudines in diuersis membris, aut in vno membro. Et si vna basis sufficeret, & nullum in se nocumentum haberet, non esset necessarium ei aliquid admiscere: quia ergo est insufficiens in operatione, aut nocumentum habens in operatione, est ei aliquid admiscendum, quod operationem eius fortem efficiat, & corroborat.

Et hæc fortitudo in duobus consistit. Vnum est in virtutis identitate, & ob secundum diptamus, & terra sigillata in theriaca ponuntur.

Aliud est in præparatione materiei, & hac via 33. fortificat operationem turbit.

Sequuntur nunc regulę de componendis receptis.

Prima regula. Si aliqua medicina fortis virtutis est, de ea in receptis, seu in composito parum ponẽdum est, tantum enim potest agens forte in tempore pauco, quantum debile in tempore multo, & econuerso per eandem viam, tantum potest agens forte in parua quantitate, quantum debile in multa.

Secunda regula. Si aliqua medicina multa habuerit iuuamenta, multum de ea est in composito ponendum, & maximè si est velocis operationis: si autem habet iuuamenta pauca, & fuerit tardæ operationis ponatur parum de ea.

Tertia regula. Medicina, quæ agit in partes remotas, de ea multum est ponendum, si verò in partes propinquas, parum de ea ponatur: virtus enim medicinę in via remota multum debilitatur antequàm perueniat ad terminum, sed substantia eius cum multiplicata fuerit,

multiplicabitur & virtus eius.

Quarta regula. Medicina nobilis, multi iuuamenti in magna dosi ponetur, si sit ignobilis ponatur parum. Nobilis medicina dicitur, quando operatur circa membrum nobile, aut facit operationem nobilem, vt confortare cum absterſione nobilius eſt, quàm ſine absterſione.

Quinta regula. Si aliqua medicina habeat iuuamentum repertum in alijs medicinis, quæ in compoſito ponuntur, de ea parum eſt ponendum, ſi autem contrarium, ponatur multum.

Sexta regula. Si aliqua eſt medicina cuius iuuamento nocumentum eſt annexum, de ea parum eſt ponendum: ſi autem contrarium, contrarium.

Septima regula. Si aliqua medicina in compoſito, inuenerit aliquam medicinam eius virtutem corrumpentem, de ea multum eſt ponendum, ſi contrarium, parum ponatur.

Ex his elicitur, quòd ſi ſint quattuor ſimplices medicinæ in corpore æqualiter operantes eodem pondere menſurantur, verbi gratia, vt ſemen feniculi, anethi, & ſimilia. Si autem ſint inæqualis virtutis, & operationis, inæqualiter eſt ponendum, vt ſi velim purgare choleram, & phlegma per medicinam compoſitam ex aloe, & ſcamonea, plus de aloe, minus de ſcamonea eſt ponendum propter debilitatem aloe, & fortitudinem ſcamoneæ.

Medicus tria cauere debet in compoſitione medicinarum ſoluentium.

Primum, ne fiat ſolutio inæqualis, & hæc fit per medicinas compoſitas multę diuerſitatis in tempore, quo ſoluendus eſt venter: quoniam ventris ſolutio conturbatur, & prima ventrem ſoluit antequàm ſecunda, & quandoque prima ipſam ſecundam expellit. Hæc Auicenna quarta primi cap. 4.

Secundum. Ne fiat mixtio medicinarum, quarum modus ſoluendi vnius alterum debilitat, ſicut compoſitio medicinæ lenitiuæ, & compreſsiuæ, vti mirobalani, & violæ. Medicina enim quæ lenificat, priùs perficiet ſuam operationem, quàm ea, quæ præmit. Dicit Auicen. quarta primi cap. 9. Quod liberè facit non eſt coniungendum ei, quod imprimendo iuuat taliter, vt ſint eorum æquales virtutes. &c.

Tertio. Ne fiat mixtio iſtorum, quorum proprietas vnius corrumpit proprietatem alterius, & propriè quando corrumpit virtutem, quam quærimus, & ob hoc anacardi non ponuntur in theriaca, quoniam corrumpunt carnes tyri.

Quinque

Quinque debent poni in medicina composita:

- Primum est radix seu basis, quæ debet poni in duplo plus, quàm medicina confortans.
- Secundum, medicina confortans virtutē quæ debet esse subdupla ad basim.
- Tertium, medicina sequens radicis operationem.
- Quartum, medicina reprimens nocumentum radicis.
- Quintum, medicina alterans totum compositum, seu qualitatem totius medicinæ.

De tertio, De medicinis sequentibus radicis operationem, certa regula dosis dari non potest, sed secundum quantitatem seruicij maiorem, vel minorem plus de eis aut minus ponitur, verbi gratia. Si aliqua medicina cum radice ponatur, vt virtus eius vsque ad extrema corporis dirigatur, plus de ea apponatur, quàm si ad partes proximas, vt dictum est in regulis præcedentibus.

De quartò, De medicina reperimente nocumentum radicis, talis medicinæ dosis debet esse in æquali pondere, in quo est radix, vt cum opium ponitur in aliqua medicina, tantum ei admisceatur de castoreo. Et cum scamonea tantum de bdellio, nisi malicia radicis auferatur: quoniam tunc minus ponendum.

De quintò, De medicina alterante totum compositum; dosis eius, est tantum, quantum ponatur de omnibus, vnde quando componitur medicina ex turbit drag. 10. & 33. v. cum istud compositum habeat acuitatem, ad hanc reprimendam ponatur zuccari drag. 1. 5. Ex his omnibus dictis, potes colligere digestiuum cuiuslibet humoris in quocumque membro ponitur, vt si vis digerere choleram peccantem sua caliditate, conspicias, in quo membro situatur, aut in stomacho, hepate, aut alijs membris, hoc cognito, accipe medicinam reprimentem acuitatem cholerę illius membri, sicuti est endiuia, scolopendria, lactuca, portulaca in hepate. Et in splene, buglossa, borago, nasturtium, calamentum, sic in alijs humoribus.

SVMMA CAP. XXVIII.

Traduntur medicinæ tam simplices; quàm compositæ, quæ singulis nostri corporis partibus conferunt tam ad purgandum, quàm ad corroborandum.

ET


T vt nouelli tirones artis medicæ ad manus habeant, quę illis ad medicinę compositionem necessaria erunt, apposui medicinas tam simplices, quàm compositas magis in vsu occurrentes, euacuantesque humores nociuos à membris principalibus, necnon & medicinas ducentes digestiuas medicinas ad membra, in quibus humorem digerere intendimus vnà cum medicinis confortantibus singula corporis membra, quibus cognitis, facilè poterunt componere receptas ad omnes morbos curandos, modo morborum causas nouerint, & peccantem humorem. Et primò medicinas euacuātes à capite.

A Capite euacuantia simplicia.

Colocynthis — Stecas, bdellium
Agaricus, aloe — Mirobalani
Lapis lazuli — Lapis armenus
Epithymum, squilla — Sal indum.

Composita à capite euacuantia.

Hierapicra — Hieralogodion
Theodoricon — Anacardinum
Blanca. pillulæ cochiæ — Pillu. aureæ, & hierępicræ

Euacuantia à pectore, & pulmone, simplicia

Agaricus, hysopus — Volubilis, cassiofistu.
Sarcocolla — Iris.
Colocynthis. — Agaricus

Composita euacuantia pectus, pulmonem.

Paulinum, diasenę — Pillulæ de agarico.

Euacuantia, à stomacho simplicia.

Absinthium, aloe — Mirobalani

Euacuantia à stomacho composita.

Stomachicum laxati. — Diaprunie.
Catharticum Imperi. — Pillulæ agarici
Pillulę, hieræpicræ — Pillulæ stomachicæ me.

Euacuantia ab hepate simplicia.

Agaricus. Lupulus — Volubilis maior
Reubarba. succus ros. — Fumus terræ
Eupatorium, miroba. — Tamarindi, sarcocolla
Absinthium — Iris, aqua casei

Euacuantia ab hepate composita.

Diaprunis laxa. Triffera sarra. Pillulæ de reubar.

Euacuantia à splene simplicia.

Agaricus, senæ. — Epithimum

Helle-

Helleborus niger	Calamentum monta.

Compoſita pro ſplene.

Diaſenæ	Pillulæ indæ

Euacuantia à iuncturis, & partibus remotis.

Hermodactili	Turbit
Sarcocolla	Sal gemmæ
Opopopnatum	Sal indum
Serapinum	Euphorbium.
Centaurea	Cucumer aſininus
Helleborus niger	Polypodium

Euacuantia à renibus.

Benedicta	Catharticum imperiale
Pillulæ de benedicta	Electua. de ſucco roſ.
Hermodactyli	Pillulæ arteticæ

edicinæ ducentes medicinas digeſtiuas ad membra, in quibus volumus humorem digerere. & primò ducentia ad caput.

Nux muſcata	Cubebæ
Sticados	Pæonia
Maiorana	Thus
Balſamus	Lignum balſami.
Anacardus	Ladanum
Melilotum	Caſtoreum

Ducentia ad pectus, & pulmonem.

Ireos, iſopos	Liquiritiæ
Paſſulæ	Capilli veneris
Squilla	Amygdalum
Penidia	Pulmo vulpis
Praſsium	Draganti
Ordeum	Fenum græcum
Lilium, mel	Zuccarum

Ducentia ad hepar

Spica, ſpodium	Squinantum
Eupatorium	Abſinthium
Fumus terræ	Cuſcuta
Endiuia, ſandali	Farina ordei

Ducentia ad ſplenem.

Capparis	Tamariſcus
Scolopendria	Aſarum

Rubea

Rubea tinctorum	Squilla, cardomomi.

Ducentia ad renes, & vesicam.

Saxifraga	Milium solis
Squinantum	Petroselinum
Parietaria	Eruca
Senecion	Quinque radices

Ducentia ad matricem.

Pulegium	Sabina

Et aliæ medicinæ ducentes ad renes.

Ducentia ad iuncturas

Zinziber	Squilla
Assa fęti.	Opoponacum
Acorus	Polium
Amomum	Piper

Et omnes medicinæ euacuatiuæ, sunt euacuantes à proprietate, & non solum euacuant ab his membris prædictis. Sed omnes medicinæ euacuatiuæ, choleræ, phlegmatis, & melancholiæ, euacuant prędictos humores à quolibet membro, si dentur cum medicinis ducentibus virtutem earum ad illa membra, verbi gratia. Turbit, quòd euacuat phlegma, si detur cum medicinis ducentibus virtutem ad iuncturas, sicut cum zinzibero, squilla, &c. euacuat phlegma à iuncturis, & sic de alijs membris.

Postquam nunc dictum est de medicinis digestiuis, euacuatiuis, & ductiuis. Dicendum est de medicinis confortatiuis, & alteratiuis malę complexionis derelictæ in dictis membris, & primò de confortantibus, & calefacientibus caput.

Medicinæ confortatiuę, caput calefacientes.

Saluia, ruta	Maiorana
Maiorana, peonia	Betonica
Satureia, camomilla	Serpillum
Pulegium	Calamentum
Siler montanus	Feniculus
Muscus	Lignum aloes
Xilobalsamus	Folium, thus,
Ladanum	Cubebę, folia lauri
Sticados, squilla	Nux muscata

Medicinæ compositæ capitis.

Pliris arcoticon	Dyacastoreum
Diarodon iulij	Dianthos cum musco.

Infrigidantia caput simplicia.

Iusquia-

Iusquiamus	Lactuca, viola
Camphora	Mandragora. Acetum
Folia mirti	Folia salicis

Composita infrigidantia caput.

Diapapauer	Zuccarum rosa & viol.

Medicinæ confortantes pectus, pulmonem, calidæ.

Hysiopum, Iris	Marrubium
Euula, campana	Lignum balsami
Mirrha, serapinum	Radix altheæ
Vuæ passæ, squilla	Liquiritia, capilli vene.

Confortantes pectus, pulmo: compositæ.

Diairis salo.	Diacalame.
Diaprassium	

Infrigidantes pectus.

Violæ	Sebesten
Dragantum	Gumi arabicum
Amidum	Semen papaueris
Amigdalæ dulces	Carui
Moracelsis	Zuccarum

Infrigidantes pectus compositæ.

Diapapauer	Diadragantum,
Zuccarum rosatum	Zuccarum violatum
Diapenidion	zinziber

Calefacientes cor, simplicia.

Mellissa	Buglossa
Borago	Enula campana
Cardamomum	Rosmarinus
Lignum aloes	Ambra, muscus
Crocus	Os de corde cerui

Calefacientes cor, compositæ.

Diamargariton	Diambra
Pliris,	Letitia Galeni

Infrigidantia cor, simplicia.

Camphora	Viola corallia
Margarita	Rasura, eboris
Hiacyntus	Smaragdus

Infrigidantes cor, compositæ:

Diarodon abbatis	Diaboriginatum
zuccarum rosa. & viola.	Sirupus nenuffaris

Stomachum calefacientia simplicia.

Mentha, saluia — Absynthium
Lignum, aloes — Marrubium
Anisum — Fœniculum
Cyminum — Mastix
Galanga — Garioffoli
Zinziber — Labrusca
Cinamomum — Miua aromatica

Stomachum calefacientes compositæ.

Diatrion pipereon — Diacyminum
Diagalanga — Diamargariton
Rosata nouella — mel rosatum

Infrigidantes stomachum.

Rosa, viola cum sirupis, — Plantago,
Lactuca, portulaca, — Agresta,
Quatuor semina frigida
Malagranata — Acetum
Citonia — Pira, agresta
Composita — Composita
Diacitoniten sine speciebus calidis cum zuccaro
Zuccarum rosatum — Zuccarum violatum,
Sirupus rosatus — Triasandali.

Hepar calefacientes. Simplices.

Spica — Squinantum
Cinamomum — Asarum
Absynthium — Eupatorium
Fumus terrę — Capilli veneris
Semen Fœniculi — Petroselinum
Carui — Ameos

Hepar calefacientia composita.

Dianisum Diacyminum — Rosata nouella

Infrigidantia hepar simplicia.

Eudiuia, lactuca — Portulaca
Hepatica, viola. — Quatuor se. frigida
Solatrum, sandali, — Spodium
Camphora — Aqua ordei
Aqua rosa. — Aqua endiuiæ
Acetum — Scolopendria

Composita infrigidantia hepar

Triasan, dali zucca. ros. — zucca. viola.

Renes calefacientia simplicia.

Saxi-

Saxifraga — Milium solis.
Macedonia — Semen, vrticæ
Cicera rubea — Ruta, squinantum
Cubebæ — Petroselinum
Daucus — Radix feniculi
Radix Petroselini — Brusci
Asparagij — Spicanardi
Senecion — Iuniperus

Renes calefacientia composita

Electuarium ducis philanthrops Diacalamentum.

Splenem calefacientia simplicia.

Tamariscus — Capparis
Cicorea — Endiuia
Scolopendria — Sandali
Borago — Spodium
Buglossa — Nasturtium
Calamentum — Thymus amoniacum
Epithymum, ruta — Aqua ferri
Amigdalæ amaræ — Semen feniculi, & anisi
Semen carij — Ameos
Squilla — Acetum squilliticum
Radix apij, fenicul — Radix Bruscij
Radix asparagij — Petroselini

Composita calefacientia splenem

Diacapparis Diacalamentum Diacyminum.

Infrigidantia splenem

Lactuca — Endiuia
Sandali — Spodium
Quatuor semina frigida. — Acetum

Infrigidantia splenem composita.

Diaboraginatum — Triasandali

Infrigidantia renes simplicia.

Nenuffar — Semen lactucæ endiuiæ
Semen portulacæ — Semen papaueris albi
Plantago, virga pastoris — Quatuor semina frigida

Infrigidantia renes, composita.

Sirupus nenuffaris — Sirupus acetosus
Stomachicon, & omnia electuaria infrigidantia
Hepar, & splenem — Elect. ducis
Philanthropos, iustinum, lithontripon, quæ valent in pas-

ſionibus, renum, & lapidis.

Calefacientia matricem ſimplicia.

Artimiſia	Sauina
Iuniperi	Ruta
Meliſſa	Aſſa
Rubea tinctoris	Pulegium
Mentha	Lupinum
Serapinum	Opoponacum

Calefacientia iuncturas, calida.

Hermodactyli	Hypericon
Aſſarum	Squilla
Caſtoreum	Euphorbium
Storax liquida	Myrrha
Naſturcium	Stercus vacinum.
Origanum	Calamentum
Serapinum	Ruta
Synapis	Granum pini
Camomilla	Cortex radicis capparis

Confortantia pulmonem.

Cancri fluuiales, pulmo vulpis, & ericij, per occultatas qua-(litates.
Cor, & pulmo, anſeris syluestris.
Caro Pſitaci ſiue papagalli

Liquiritia	Capilli veneris

Compoſita calida ad iuncturas

Oximel iuliani	Oximel ſquilliticum

Infrigidantia iuncturas.

Solatrum	Semperuiua
Lactuca	Endiuia
Mirtus	Pſylij Muſcilago

Fortiter infrigidat

Acetum	Aqua roſata
Opium	Bolus armenus

Compoſita ſunt quæ infrigidant renes.

Sepius etiam fit cõmemoratio de quinq; radicib. ſeminib. calidis, & frigidis, & ne illa lateant, his prædictis adiunxi.

Radices quinque: Apij, Feniculi, Petroſelini, Bruſci, Aſparagij

Semi-

Semina 5. calida absolute
- Anisi
- Feniculi
- Ameos
- Carui
- Cymini

Alij
- Anisi
- Feniculi
- Petroselini
- Brusci
- Asparagi

Semina quinque frigida maiora absolute prolata.
- Melonum
- Cucumeris
- Cucurbitarum
- Citrullorum
- Peponum alij

Semina frigida minora.
- Lactucæ
- Portulacæ
- Scariolæ — Alij endiuię
- Acetosæ — Alij plantaginis

Tertij Libri finis.

DE COGNOSCENDIS, ET MEDENDIS MORBIS

Ex corporum cœlestium positione,

LIBER TERTIVS.

SVMMA CAP. I.

Crisis est repugnantia naturæ, & morbi, si natura vincit morbum, bonum, si vincitur malum. Huius tres partes sunt: prima, in qua natura materiam morbi separat, & cõmouet separando, quod nocet ab eo, quod iuuat, ita, vt id ad aliquam corporis partẽ demandet, secunda, in qua, quod separauit de corpore penitus expellit. tertia pars est subito aduenies alteratio vel ad salutẽ, vel ad mortẽ.

Præterea crisis est vel simplex, vel composita, simplex, quæ celeriter, composita, quæ paulatim fit, vel ad salutem, vel ad mortem. Hæc duplex, altera, in qua fit magna alteratio ad salutem priùs deinde paulatim donec firmus factus est ægrotus. altera verò contra scilicet ad mortem.

EST



EST itaque pro primo crisis repugnantia naturæ, & morbi, & si natura vincit morbum, crisis laudabilis dicitur, si verò morbus naturam vincit, mala, & perniciosa crisis erit, vel est furiosa consumptio ægritudinis, in qua aduenit magnus labor, & axietas infirmo. Et hoc est quod dicit Auicenna secunda quarti. Crisis est alteratio subito facta, aut ad latus sanitatis, aut ad latus mortis, & habet crisis tres partes. Prima, in qua natura materiam morbi separat & commouet separando nocitiuum à iuuatiuo, & deriuando nocitiuum versus loca expulsionis ad extra corpus, vel versus aliquod membrum, vel membra vilia corporis, & vocatur hæc pars commotio antecedens.

Secunda pars est illa, in qua euacuat, & extra corpus expellit ipsum nociuum, quod iam separatum est, & directum ad loca expulsionis, & dicitur euacuatio. Tertia pars est subitò adueniens alteratio ad salutem, vel ad mortem, & sic accipiendo crisim, complectitur illas tres partes. Sed proprie accipiendo crisim, ipsa solum est alteratio subitò facta, aut ad latus sanitatis, aut ad latus mortis.

Est præterea pro secundo duplex crisis, simplex scilicet, & cõposita.

Simplex, quæ celeriter ad salutem, vel celeriter ad mortem fit, vel paulatim ad salutem, vel paulatim ad mortem. Composita, est quando morbus dissoluitur diminutè, sed postea completur cum dissolutione ad bonum, vel malum. Et hæc crisis bipartitur. Vna, in qua fit magna alteratio ad salutem in primis, deinde paulatim completur donec sanetur æger.


Secunda, in qua fit magna alteratio, in primis ad mortem, deinde paulatim completur donec moritur, & in bona crisi, & laudabili necesse est coctionem præcedere, & postea diuidere, deinde expellere, vti habetur in commento 22. Aphorismo quartæ particulæ. Et ideo crisis nunquàm fit in principio, neque in augmento morbi vniuersalis, nec etiam fit in declinatione vniuersali salubris morbi, quia quando commotio fit in materia, accidentia intenduntur: cum autem accidentia sunt intensa, non est declinatio, ideo in declinatione accidentia sunt remissa.

Crisis autem sumpta pro euacuatione in morbo salubri, potest in statu incipere post commotionem materiæ, & nociui separationem, & eius directionem ad loca expulsionis, & hoc erit in fine ipsius status. Et hoc est, quod dicit Galenus tertio libro crisium. Melior crisis est in hora status ægritudinis.

SVM-

SVMMA CAP. II.

Crisium duplex est causa, vel generalis vel particularis: generalis est per signa naturæ morbi, quæ nõnunquàm ab influentia cœlesti adiuuatur, nonnunquàm tantummodo irritatur. Particularis verò est virtus dominans materiæ, materia morbi virtutis irritatiuæ, & aspectus corporum cœlestium. Crisis quatenus crisis magis tendit ad salutem, quàm ad mortem in febribus malignis, vt plurimum est ad mortem crisis facta per permutationem materiæ peiuor est, quàm facta per euacuationem naturæ. Dies critici in morbis cronicis sequuntur motum Solis, in acutis verò motum lunæ.



ABET namque crisis ipsa duplices causas, generales, & particulares, generales sunt pugna, quæ fit inter naturam, & morbum, vnde natura mouetur ad oppugnãdum morbum, & eius causas, & econtra morbus naturam, & motus iste fit à natura tanquàm à principali agente, adiuta influentia cœlesti, non autem à morbo, aliquando tamen efficit natura crisim, non adiuta cœlesti influentia, sed solum stimulata. Causæ autem particulares crisis euacuationis sunt virtus fortis super materiam dominans ei secundum totum, aut secundum plurimam eius partem, & materia morbi virtutis irritatiua, & aspectus corporum cœlestium. Crisis autem deriuationis causæ sunt virtus fortis non quidem simpliciter: quia virtus simpliciter fortis, qualis est in crisi euacuationis, non seruat materiam intra corpus, sed extra corpus expellit, & euacuat, sed dicitur fortis in comparatione ad virtutem quæ in pugna ex toto succumbit, impotens euacuare materiam aut

permu-

permutare eam, quæ dicitur ſimpliciter debilis, ita quòd poteſt dici media inter virtutem ſimpliciter fortem, & ſimpliciter debilem, & materia mala: non tamen multum ſtimulatiua virtutis, obediens tamen ei, vt ab ea ad extra corpus expellatur, & cum his aſpectus corporum cœleſtium. Veruntamen prædictæ criſis ſpecies debilitantur ſecundum fortitudinem, & debilitatem virtutis, & cœleſtis aſpectus, & ſecundum obedientiam naturæ, & eius rebellionem ad materiæ multitudinem, & paucitatem.

Et criſis in quantũ criſis pluries terminatur ad ſalutem, quàm mortem, & per prius attinet ſanitati, quàm morti. Ratio huius, quia criſis in ſe defectus eſt naturæ naturaliter operantis propter finem, quæ ſic operans, non tentat commouere materiam, nec ſeparare nociuum à iuuatiuo, niſi materia digeſta, ſuper quam victorioſa, vt in plurimum eſt, & hoc raro fallit criſi exiſtente completa.

In febribus autem peſtilentialibus, aut vbi eſt materia multum maligna, vt plurimum criſis eſt ad mortem, quia materiam valde malignam virtutis ſuperare nequit.

Et criſis facta per euacuationem naturæ melior eſt facta per permutationem materiæ, quia fit à fortiori virtute, & de materia magis obedienti naturæ, & melior cum tollerantia infirmi, neque timetur ex ea euẽtus lęſionis malę alicui mẽbro, ſicut timetur in criſi permutationis.

Et attenduntur dies critici in morbis chronicis, & acutis, & dies qui numerantur in chronicis, inſequuntur motum ſolis, & qui in acutis imitantur motum Lunæ. Nam ij Planetę manifeſtiùs immutant corpora inferiora ſuis motibus lumine, & influentia in ſignis duodecim zodiaci, ſed magis Luna ob ſui propinquitatem ad nos, vnde magis poteſt imprimere in corpora noſtra. Nam dicit Galenus tertio de diebus criticis. Luna ſignificat ſuper dies qualiter erit diſpoſitio hominis in eis, in ægritudine ſua, & in ſanitate ſua: nam ſi applicentur Lunę ſtellæ erraticæ fortunatæ, erunt illi dies homini conuenientes dies, & terminatur criſis vt plurimum in bonum.

1 Et ſi ei applicentur ſtellæ infortunatæ, erunt illi dies homini dies læſionis, & triſtitiæ, terminabiturque criſis in malum. Ponit de hoc Galenus exemplum, quòd cum homo naſcitur, & fortuna reperitur in ariete, & infortunium in tauro, tũc homo iſte proculdubio, quando Luna eſt in ariete aut in cancro, vel in libra, aut capricorno, diſpoſitionem habebit bonam.

Sed quando eſt in tauro aut in ſignis quadratis à tauro, aut in ſigno oppoſito, ſicuti ſunt leo, ſcorpio, aquarius, tunc diſpoſitio eius erit mala, & ægritudines illius hominis, quæ ei accident.

Luna in tauro, leone scorpione, aut in aquario existente, sunt deteriores ægritudinum eius.

Et illæ ægritudines, quarum initium est, dum Luna mouetur in ariete, cancro, libra, aut capricorno, sunt salubriores ægritudinum eius, & digniores vt euadeat ex eis. Dicit, & Galenus: 2 Nos inuenimus quod omnium, quæ accidunt in numero dierum, in omnibus rebus, causa non est, nisi Luna.

EXPLANATIONES.

1 Si applicentur, *Applicatio fit vel corpore, vel radio corpore cum aliquis planeta velocior accedit ad locum, in quo est planeta tardior, & tunc incipit applicatio cum ingreditur orbem planetę, cuius coniunctionem petit, vel suo orbe contingit planetam, cui applicatur, vt si ♄ esset in 12. grad. arietis ☽ in primo tunc ☽ dicitur applicari saturno, sed fortius in 3. grad. tunc enim orbis lunæ contingeret ♄, qui recta proficiscitur, possunt etiam esse ambo retrogradi ita tamen, vt alter sit altero velocior: ob id diligenter animaduertendum est in ephemeride sitne planeta directus an retrogradus. Nam si numerus graduum, & minutorum in sequenti die est maior, directus est sin minor retrogradus. radijs etiam, vel aspectu fit applicatio, vt si ♄ esset in grad. 12. ♋ ☽ in primo ♈ tunc applicatio ☽ fieret ad ♄ □ aspectu: idem de reliquis aspectibus.*

Hic autem animaduertere licet, quod cum ☽ sit cæteris planetis velocior minimè fieri potest, vt quis planeta lunæ applicetur sed contra ☽ ad omnes applicatur, quamobrem cum auctor dicit, si applicentur lunę stellæ erraticę intelligendum est contrario ordine. i. si ☽ applicetur ad aliquam erraticarum stellarum. Nam si ☽ est in 1. grad. ♈ in 12. ♄ licet reipsa ☽ applicetur ad ♄, cum ☽ sit velocior Saturno: tamen auctor noster dicit ♄ applicari lunæ.

2 Nos inuenimus, *Mentiuntur igitur, qui dicunt, Galenum astrologiam ignorasse, sed id dici existimo a multis, ut suam tueantur, vel potiùs tegant ignorationem, existimant enim fieri, vt ita Galeni similes, quòd ex ipsi eandem ignorent artem, ab auditoribus habeantur. Velim ego, vt hi astrologię hostes obseruent quotidię quid cęlum in morbis efficiant, deinde in astrologiam dicant, quid velint. Nemo enim teste philosopho primo ethicorum, bonus iudex est eorum, quæ ignorat. Qui ignorant igitur hanc artem ne verbum de ea faciant.*

SVMMA CAP. III.

Motus criticus fit ex motu, & influxu superiorũ, & præcipuè solis, & lunæ, dum sol percurrit quartam primã circuli obliqui mouetur in corporibus nostris sanguis per secundam flaua bilis, per tertiam atra bilis, per quartam phlegma, lunæ motu generali, vel speciali: generali ratione vel maioris, vel minoris luminis in prima quadra dum est mouetur specialiter sanguis, in secunda bilis flaua, in tertia atra, in quarta phlegma, Sol & ☽ tamen vnà cum reliquis planetis, & stellis fixis diuersimodè crisim efficiũt, Sol per manifestam aeris mutationem, & per fortunium, & infortunium, vt reliqui planetæ. ☽ per mutationem aeris manifestam, per operationem transeundo per loca opposita, per Zodiacum, & per bonos, vel malos aspectus, vel coniunctionem cum cæteris planetis. Reliqui planetæ tantum operantur per aspectus, vel coniunctionem.

1 
VOD motus criticus procedit ex influxu superiorum, tali deducetur probatione. Nam quicquid adheret vni, vna via, & ordine vno, adhæret illi per causam, & principium omnis mutationis, & motus, & variationis, & alterationis, quæ sunt, & fiunt in omnibus inferioribus. Tale autem principium, & causa est motus corporum superiorum, octauo phisicorum, & primo

meteororum. Sed motus criticus adheret vni viç,& ordini vno,vt pa tet per experientiam, quare hoc prouenit ex motu superiorum, & ex influxu eorum,præcipue Solis,& Lunæ:sicuti enim sol mutationes ope ratur per motum suum in quatuor quadris circuli signorum in ægritu dinibus chronicis, ita Luna in acutis mutationes efficit per motum eius, per quattuor quadras signorum zodiaci, cum in illis mouetur. Et per quadras solis distinguuntur quatuor anni tempora secundum quæ aer diuersimode alteratur processu solis. 2 Et hinc fit quod ægri tudo,quæ incipit in hyeme,terminatur in æstate,& quç fit in vere,ter minatur in autumno. Et quælibet harum quartarum mouentur in corporis hominũ humores suis qualitatibus qualitati aeris illius quartæ proportionales, vnde sanguis qui est temperatus cum declinatione ad calidum,& humidum complexione veris proportionatur,& mouetur. Et cholera in ęstate,melãcholia in autumno,&phlegma in hyeme.

Lunæ autem motus mouet humores dupliciter, motu videlicet generali, & communi, secundum quod Luna in lumine augmentatur & diminuitur, 3 crescente enim in lumine,crescit omne humidum, in aqua,animalibus,arboribus. Et sic humores,& humiditates in cor poribus hominum,vsque ad plenilunium augumentãtur, & Luna decrescente,decrescunt,& minuuntur. Motu autem speciali,& proprio mouetur Luna per duodecim signa zodiaci, in quibus quatuor efficit quadras diuersificatas 4 qualitatibus,& figuris ipsius Lunæ,& illis in quadris mouetur humor qualitatibus illius quadræ proportionalis,vn de dicunt in prima moueri sanguinem, in secunda choleram, in tertia melancholiam,in quarta phlegma.Verumtamen Sol, & Luna, reliquique planetæ, 5 atque stellæ fixæ,diuersimodè operantur faciendo cri sim. Sol enim propriè operatur 6 per mutationem aeris manifestam, per quam terminat morbos longos: per motum autem eius in circulo signorum transeundo ad loca opposita,per occultam proprietatem ni hil habet efficere in crisi,vel si habet modicum est:attamẽ Sol per ope rationem,quæ est 7 per modum fortunij,vel disfortunij habet effice re crisim,sicuti & quilibet alius planeta. Et sic Luna tribus operatur modis in terminatione morborum, scilicet per operationem manifestam,mutando aerem, & per operationem,quam habet trãseundo per loca opposita per zodiacum, & operationem,secundum quam est fortuna,vel infortuna,hoc est, per quam fortunatur,vel infortunium patietur. Sol autem de istis operationibus solum habet primam,& tertiam. Reliqui autem planetæ,& stellæ fixç habent solum,& principaliter tertiam operationem,secundum fortunium, & disfortunium,aliquid tamen operantur per primam operationem: quoniam per aspe-

ctum

ctum quem habent ad solem in determinatis locis iuuant solem in faciendo aerem calidiorem, vel frigidiorem.

EXPLANATIONES.

1 Quod motus, *etsi hæc ratio eam vim habeat, vt demonstret; tamen hortarer ego medicos, vt ea vterentur arte, qua vsi sunt hactenus, & didicerunt, & eas huius rei crederent esse causas, quas adhuc eam existimarunt: sibi tamē persuaderent fieri posse, vt res aliter se habeat, propter hanc causam diligenti obseruatione earum mutationum, ac motuum cęlestium corporum, viderent quotidie itane se habeat res, vt auctor noster docet, necne: ita enim fiet, vt quasi oculis cernant, quod multis rationibus, & infirmatur, & confirmatur hæc de diebus criticis, tum Galeni, tum cæterorum Astrologorum sententia. Nolim lector expectet, vt uel Fracastorij, vel eius, qui nuper in Galenum scripsit in hanc sententiam, auctoritates vel approbem, vel improbem: Hæc enim non est, quod nobis proposuimus, sed auctoris obscuriora verba, atque sententias explanare: alij igitur, si qui velint, hoc sibi suscipiant.*

2 Et hinc fit, *qui morbi incipiunt hyeme desinunt ęstate, cum scilicet ☉ peruenit ad ☍ eius loci zodiaci, in quo erat, cum ęgrotus incidit in morbum. contraria enim contrarijs curantur. Igitur (mihi) quis illud obiecit olim, nihil opus est neque medico, neque medicamentis, ei respondi, & cæteris responsum velim, si cęlum solum est morbi causa, & cęlum solum sanare potest. Nam si Sol percurrendo per ♈. malè affecit sanguinem alicuius, idem Sol cum peruenerit ad ♎, quod signum, & loco, & natura est arieti contrarium necessè est, vt hic ægrotus pristinam salutem recuperet reliquis paribus. illud adiungo, & prudens medicus eidem auxilium afferre potest. Hoc mihi persuadit Marsilius Ficinus in libro de vita cęlitus comparanda, qui docet quomodo per medicamenta ad nos planetarum vires transferre poßimus. reipsa omnes homines intelligunt, rebus frigidis si vtuntur corpora nostra frigida fieri, qualibet anni die, si tamen ijsdē hyeme vtuntur frigidiora fiunt, quàm æstate: huius autem rei quid in causa est. cęlum, & cibi? cibi, vel medicamenta possunt sanare infirmum, potest & cęlum, cęlum & medicamenta cū ad eandem rem conducunt, & tutiùs, & faciliùs & celeriùs valetudinem amissam restituere possunt: sin autem non cęlum in causa fuit morbi, sed ipsa hominis voluntas, quæ cum sit libera, potest non solum se in morbos conijcere, sed sibi mortem consciscere. huic & cęlum, & medicus auxiliari potest. Nā si cui cutis pori, atq; viæ frigore constrictę fuerint ita, vt in febrim incideret aliquis, si hoc fuerit hyeme medicus ei auxiliabitur, cęlum refragatur. si æstate, & medicus auxilio est, & anni tempus suffragatur, & ita & tutiùs, & faciliùs ęgrotus amissam valetudinē recuperabit. At fortasse nimis digressi sumus.*

3 Cre-

3 Crescente enim in lumine, *Hoc ita notum est, ut non egeat interpretatione, non solum uerba, sed uerborum ueritas. Piscatores hoc in conchilijs cernunt. Agricolæ in his lignis, qui in prima lunę quadra incidunt, quod citò carie roduntur, quæ uerò in ultima luna scilicet lumine diminuta, propter siccitatem non facilè corrumpi intelligunt: idem & in satione, & in messe, & alijs rusticis actionibus uidere licet. quid de fluxu, & refluxu maris? Hæc satis nota sunt.*

4 Qualitatibus, & figuris, *Qualitatibus: nam à ☌ ad primam □ est calida, & humida, à prima □ ad ☍ est calida, & sicca, a ☍ ad secundam □ est frigida, & sicca, & à secunda □ ad ☌ est frigida, & humida. figura in prima quadra est tantummodo media, in ☍ est tota plena lumine, in secunda □ est item media, sed in parte primæ opposita in ☌ nihil penitus cernitur*

5 Atque stellę fixæ, *animaduertendę igitur sunt diligenter, & stellę fixæ, quæ uel iunguntur ☽, uel aliis planetis, qui lunam respiciunt, cuius uires ob id uel remittuntur, uel intenduntur. Quo autem modo? id non solum ex tabulis stellarum fixarum elicere poteris, uerum ex ephemeridibus excellentissimi Antonii Magini, qui id ferè ad singulos dies accommodauit.*

6 Per mutationem aeris manifestam, *cum ☉ ingreditur ♈ ♋ ♎ ♑, faciet manifestam aeris mutationem: signa enim sunt mobilia, vt in primo libro dictum est.*

7 Per modum fortunij, vel infortunij, *cum scilicet uel infortunis iungitur, uel malis radiis lęditur, uel ipse lędit lunam uel ♀, uel ♃.*

SVMMA CAP. IIII.

Dierum criticorũ alij sunt radicales, alij indicatiui, alij intercidentes, & hi dies solum in morbis acutis, & peracutis, & perperacutis obseruantur, et fiunt sine natura superiori. & fiunt de tertio in tertium, indicatiui currunt per numerum quaternarium, qui peruenit per diuisionem septimanæ, siuæ lunæ quadraturæ. Radicales sunt quatuor in mense, vt 2.14.20.27. & hæc omnia obseruantur ex lunæ motu, vt auctor docet.

DI-



ISTINGVVNT & medici dies criticos trifariam. Vocant namque aliquos radicales, aliquos indicatiuos, & aliquos intercidentes. Et sunt intercidentes dies, in quibus contingit fieri crisim solum per irritationem naturæ contra materiam morbi, quæ irritata insurgit ad expellendum eum, & hi dies solum in morbis acutis, & peracutis, & perperacutis attenduntur, quia solum istorum morborum materia talis est, quæ potest stimulare naturam, sic vt moueatur ad expulsionem eius non expectata natura superiorum, quia talis materia est cholerica, cuius est mouere de tertio in tertium, & sic de tertio in tertium stimulare naturam: Et ideo ij dies per ternarium cum replicatione tertię diei computantur: est enim eorum computatio talis, 1.2.3.3.4.5.& iterum, 5.6.7.& sic deinceps vsque ad 14. diem. Vocantur & hi dies à Rasi decimo nono continentis, critici mendosi, de quibus dixit cadentes in medio, intelliguntur esse illi, qui non sunt septimi, nec quarti. Et crisis in morbis acutis, vt in plurimum fit, in diebus intercidentibus.

Dies indicatiui. Sunt dies, in quibus videntur vestigia, quæ sunt significationes alterationis materiæ, idest, digestionis, vel indigestionis, aut sunt dies significantes victoriam vnius duarum altercantium, scilicet virtutis, & morbi.

Et sunt dies indicatiui, qui currunt per quatternarium numerum resultantes per diuisionem septimanæ, siue quadraturæ Lunę in duas partes.

Et sunt in quolibet mense lunari, quatuor scilicet 4.11.17.24.& procedunt hi dies per quaternarium semper cum replicatione quarti, præterquàm in secundo quaternario cuiuslibet vigenarij numeri, vnde dies septimus, qui est dies secundus quartus primę vigenæ, non replicatur, computantur ergo sic. 1.2.3.4.4.5.6.7.& septimus dies non replicatur, & incipit tertius quaternarius in dies octo, & computatur sic. 8.9.10.11.& iterum. 11.12.13.14.& sic deinceps. 14.15.16.17.& iterum. 17.18.19.20.& sic computandum est in alijs numeris vigenarijs, vt 21.22.23.24.& iterum 24.25.26.27.& sic consequenter vsque ad vltimum vigenarium, qui est 120. dies, & iterum nõn replicando 27. sed incipiendo à 28.29.30.31.

Dies critici radicales, qui currunt per septenas, sunt quattuor in mense scilicet. 7.14.20.27.& computantur sic. Nam quolibet vigenario numero dentur tres septimanę, & primus septenus numerus, siue prima septimanę, non replicatur cum prima die secundæ septimanæ, sed disiunctim numerantur, sed secundus septimus dies, qui est finis

nis secundæ septimanæ, replicatur in tertia septimana, & fit principiũ eius, & computantur sic septimanæ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & postea. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. postea replicando. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Et similiter computantur reliqui vigenarij numeri, qui vocantur à medicis periodi vniuersalis in crisibus, siue diebus criticis, & computantur sic, primi terminus est 20. & secundi terminus est dies 40. & tertij dies 60. quarti dies 80. quinti dies 100. vltimi dies 120.

De his diebus radicalibus dixit Auicenna, quod impressio Lunæ, quæ super dies criticos fit, fit vehementior, quando Luna est secundum dispositionem oppositionis eius, in qua fuit, hoc est, quando fuerit in oppositione, seu plenilunio solis.

Deinde secundum quadrationem, hoc est quando fuerit in quarto aspectu solis, & hoc per diuisionem reuolutionis Lunæ ad medietatem, deinde ad medietatem medietatis.


Et sic Auicenna tetigit duos aspectus Lunæ, ad principium, in quo fuit, qui ambo sunt aspectus inimicitię ad inchoatum morbum, & ideo iuuant naturam contra morbum.

1 Et primus aspectus est oppositio. Fit quando Luna deueniet motu suo ad signum, quod opponitur in Zodiaco signo suo, in quo fuit hora inceptionis ægritudinis, vt si fuerit Luna in Ariete, oppositum signum est Libra.


Si in tauro, oppositum signum est scorpio, vti habitum est in primo tractatu.

Secundus aspectus medietas medietatis, vocatur aspectus quartus, & est quando Luna peragrauerit à puncto, seu signo in quo fuit inceptio morbi tria signa, vt cum fuerit in cancro, & peruenerit ad libram, tunc perfecit quadraturam circuli signorum, seu quartum aspectum, & hic minoris malitiæ censebitur, quàm oppositio.


Et




☍ Et in oppositione, Luna est plena lumine.



□ In quadratura semiplena, vt sic.



⚹ Habet & luna duos alios aspectus, ad id in quo fuit in principio morbi, quorum vnus vocatur sextilis, & est quando luna peraget sextam partem circuli, hoc est, duo signa, vt cum fuerit in ariete, & peruenerit ad geminos, dicitur esse in aspectu sextili ad signũ arietis, & dicitur aspectus amicitiæ imperfectæ, & tunc luna est similis nauiculæ, vt sic.



△ Alter aspectus vocatur trinus, quando luna peragrauerit quatuor signa, & hic vocatur aspectus perfectæ amicitiæ, & in hoc aspectu luna est gibosa, vt sic.


Et in vltimis duobus aspectibus, quantum est ratione dispositionis Lunæ non fit crisis, & ideo non sunt in eis dies critici, & si aliquando in eis fit crisis, illud erit ex dispositione morbi, & non Lunæ.

Quidam autem dicunt, quod Luna peragrando signa Zodiaci, recipit à sole octo varietates figurarum, quarum quatuor recipit in suo ascensu versus oriens, & quatuor in suo descensu versus occidens, & hoc in parte, qua illuminatur à sole. Et hoc est quando Luna distat à

sole 45. gradus, hoc est, signum cum dimidio, quæ dicitur figura nauicularis, quam recipit quarta die, vnde posuerunt quartam diem creticã.

Et secunda est, quando distat à sole nonaginta gradibus, hoc est tria signa, dicitur ista figura quadrata, quæ aduenit ei, cum est media, quam recipit in septima die, vnde hunc diem pro critico posuerunt. Et tertia est cum distat à sole per 136. gradus, hoc est, per quatuor signa cum dimidio, & dicitur hæc figura gibosa, quam recipit 11. die. Et quarta est, cum distat à sole 180. gradus, hoc est, per sex signa, & dicitur hæc figura plena, quam recipit 14. die, ob hoc dies 14. criticus dicitur.

Quintam vero figuram, quæ est prima, de figura descensus recipit 17. die, & sextam siue secundam descensus recipit in 20. die. Et septimam siue tertiam descensus recipit 24. die, & vltimam figuram in 27. die. Cum autem Luna recipit primam, & quintam figuram de prædictis, dicitur esse in aspectu sextili. Et cum recipit secundam, & sextam, est in aspectu quarto, & cum recipit tertiam, & septimam, est in aspectu trino, & cum recipit quartam est in aspectu oppositionis, & cũ recipit octauam, est in coniunctione, quia coniungitur soli, vt patet in figura sequenti. Et Luna cum est in aspectu trino, aut sextili dextro, & sinistro, non causat diem criticam, vt antea dictum est.



EXPLA-

EXPLANATIONES.

1 Et primus aspectus, *oppositio est non cum luna est in signo opposito signo, in quo erat hora decubitus egroti: sed cum est in gradu opposito, vt si quis in morbum incidat ♋ existente in 3. grad. ♈ cum luna peruenerit ad grad. 3. ♎ tum in ☍ esse dicetur, idem dicendum est de reliquis aspectibus, de quibus in primo tractatu dictum est. Hi aspectus sunt vel boni, vel mali: boni, △ & ✱, sed melior △: mali ☍, & □, sed ☍ peior, ob id translatè appellantur nomine amicitiæ, & inimicitiarum, sic amicitiæ perfectæ, & imperfectę, quòd idem dicitur de inimicitijs.*

2 Quando luna distat, *cum hoc onus suscepimus pro tironibus, singula, & minutiora persequi non inutile erit, peritis satis erit id perlegere, quod auctor conscripsit, relictis nostris explanationibus. Quicunque igitur scire noluerit, quo die, dieique hora aliquis aspectus lunę futurus sit, sic agendum est, Vide diligenter locum lunæ hora principij morbi. exempli gratia die 20. Iunii quis ęgrotare cępit in meridie, video in ephemeride Magini lunam esse grad. 0. m. 20. ♐ scire uolo, qua hora distabit ab hoc loco grad. 45. quo tempore sit prima dies critica, qui dies est quartus apud medicos, qui horas in hac re negligunt. sic facias oportet. loco lunę adde grad. 45. & uide quo loco secundum ordinem signorum desinat numerus simul collectus, & ibi cum luna sit, vel quo tempore, erit hora critica hoc modo.*

Locus lunę initio morbi grad. 0. m. 20. ♐
Distantia ab eo loco, quæ facit crisim gradus 45. m.

grad. 45. m. 20.

Hic autem numerus desinit in grad. 15. m. 20. ♑

Hunc autem gradum quæras in ephemeride, si adest in tertio, vel quarto, uel quinto, sequenti, si non adest, uide numerum proximum minorem, & ille erit dies criticus. Hic autem numerus non est in ephemeride, at numerus proximus minor est die 23. Hic igitur dies criticus est. ad inueniendam autem horam ita fiat; à loco lunæ, in quo dum est, fit hora critica detrahe locum proximum minorem inuentum in ephemeride sic.

Locus ubi debet esse ♋ grad. 15. 20
Locus ubi est die 23. grad. 5. 26

Differentia. grad. 9. 54.

Quibuslibet duobus gradibus differentię adde horam vnam horæ meridiei, & illa erit hora crisis hoc modo.

Hora meridiei H.16. 27.
Per grad.9.m.54 pro.ſ.10. H.5.

Hora criſis H. 23. 27.

Idē efficere poteris rotula in primo tractatu appoſita, ſi rectè perceperis, quę tradita ſunt. Sin exquiſitiorem uolueris huius rei ratione, uide quid tradat Maginus in ephemeride, ubi docet quomodo computandi ſint planetæ: hoc tamen ſatis ſit iis, qui faciliorem rationem quærunt. idem dictum ſit de cęteris aſpectibus, ut auctor docet in ſequenti capite.

SVMMA CAP. V.

Inuento loco, in quo luna facit criſim, & hora; erigatur cœleſte thema, & videatur lunæ affectio, ſi bona, bonum erit infirmo ſi mala, malum, quo & in cæteris diebus accidere ſolet: etiamſi non ſint critici. luna in aſpectu □ ad locum, in quod fuerat initio mobi mouet criſim, idem facit in ☍, & □ ſecundo, & ☌. id tamen non accidit æqualibus diebus propter inæqualem lunæ motum: licet ſiat æquali cœli ſpacio, ſcilicet grad 90. inde fit, vt qui hanc ignorant artem exiſtimarent diem nonam eſſe ſemper criticam, cum id nonnunquam accidat, cum ſcilicet ☽ eſt tarda motu.



AD inueniendum autem leuiſsimè dies criticos, puta 7. 14.20.27. videas in principio ægritudinis, in quo ſigno, & gradu ſit Luna. Et adde ſuper locum eius pro 7. die 90. gradus, pro 14. die 180. gradus, ad diem 20. eu 21. adde gradus 270. Ad diem 28. adde 390. gradus, & habebis locum Lunæ ad diem criticam inchoando computationem ſignorum à ſigno, in quo fuerit Luna in principio ægritudinis. Exempli gratia. Inuaſit aliquem ægritudo Luna exiſten-

te

te in decimo gradu arietis, volui habere primum diem criticum, hoc est septimum, addidi ad locum Lunæ 90. gradus, hoc est ad duodecimum gradum arietis, prouenire 100. gradus, qui faciunt 3. signa 10. gradus, dando cuilibet signo 30. gradus, modo cum numerantur tria signa duodecim gradus ab ariete, perueniet Luna ad 12. gradum signi cancri septima die à die inchoationis ægritudinis. Sed ad inueniendum 14. diem, addidi ad locum Lunæ die inchoationis morbi videlicet, ad decimum gradum arietis 180. gradus, & venerunt 190. gradus qui faciunt sex signa 10. gradus, modo numerando 6. signa 10. gradus ab ariete, prouenit Luna 14. die ad 10. gradũ signi Libræ, & sic de alijs. Et si Luna fuerit bene disposita in aliquo illorum dierum criticorum alleuiabitur tunc infirmus, & melius sibi erit, & terminabitur crisis ad bonum, nisi mali impediant corporaliter, vel per oppositionem, aut quartum aspectum sine receptione.

1 Sed si in aliquo illorum dierum fuerit impedita, & male disposita à Saturno, vel Marte, tunc aggrauabitur infirmus, & male se habebit, & maxime si fuerit tunc in coniunctione domini sextæ domus hora inuasionis ægritudinis, seu natiuitatis ęgrotantis, quoniam si sic dubitabitur de infirmo.

Si verò fuerit ille malus impediens dominus octauæ, tunc infirmus morietur.

2 Considerantur etiam alij dies, præter criticos in infirmitatibus, si Luna fuerit iuncta alicui bono planetę in illo die, alleuiabitur infirmus & salubrius erit ei, & ex hoc fit, quod aliquando superuenerit crisis infirmo ad bonum, in die, qua non suspicabitur, nec videtur debere fieri.

Et quando Luna in aliquo die peruenerit ad malos per coniunctionem, oppositionem, aut quadraturam, aggrauabitur magis infirmus, & si venerit crisis erit potius ad nocumentum, quàm salutem, vnde sepius decipiuntur medici ignorantes astronomiam, quia aliter iudicant crisim, quàm euentura sit, non aduertentes applicationem Lunæ ad planetas. Quare qui recte iudicare crisim voluerit, bene examinet verum locum Lunæ, in longitudine, & latitudine, in velocitate, & tarditate: nam secundum hos motus variantur crises ægrotantis. Luna enim cum est in aspectu quarto ad locum suum, in quo fuit in principio ęgritudinis mouet crisim, & hoc communiter fit in septima die à principio ægritudinis, quoniam tunc Luna peruenit ad signum contrarium signo, in quo erat in principio morbi, vt ponamus Lunam fuisse in principio morbi in ariete, & quando peruenerit ad quartum aspectum, hoc est ad cãcrum, tunc generabit crisim, eò quòd aries est calidum, & siccũ signũ, & cancer frigidũ, & humidum, quæ sunt qualitates cõtrariæ.

Et

Et quarta decima die communiter peruenit ad oppositum signum, vnde & dies quartadecima critica appellatur.

Dehinc vigesima, seu vigesima prima die Luna attinget aspectum quartum secundum. Sed die 27. vel 28. reuertitur Luna ad signum, & locum, in quo fuit in principio ægritudinis. Est & dici quartæ quędam similitudo ad diem criticam, similiter 11. & 17.

Et scito quòd motus lunæ diuersificatur propter distantiam zenith circuli eius à centro terræ, & propter motum, quem habet in epiciclo, hinc est, quod in aliquo die mouetur luna 15. gradus, in alio 13. & quandoque minus 13.

Cum ergo luna velox cursu fuerit, peruenit ad aspectum quartum post sex dies à principio ægritudinis cum aliquibus horis computando ab hora decubitus ægri in lectum vsque ad consimilem horam.

Quod si luna tarda fuerit, non peruenit ad quartum aspectū vsque ad 7. dies perfectos, & dimidium ferè, & erit hoc secundum communem computationem hominum nona die, tunc enim peruenit luna ad quartum eius aspectum, propter quod dixerunt multi diem nonum criticum fore. Si autem luna fuerit in cursu medi0cri, peruenit ad quartum, ante septimum diem, completum quinque horis ferè. Conueniens autem est oppositum aspectum esse in die 14. Sic simili modo propter motum mediocrem, conuenit diem crisis esse die 20. aut 21. Consimilis ratio est de die 27. aut 28. Dies etiam quintus interdum criticat cum in aspectu sextili luna fuerit ad locum suum, in quo fuit in principio ægritudinis. Item 11. die erit quandoque luna in aspectu trino, si fuerit cursu tarda. Consimiliter & die 9. si velox.

Ex his manifestè apparet, quòd hi multum errant, qui dicunt 7. 14. 20. 27. dies semper fore criticos, cum critici dies secundum diuersum lunæ motum variantur, vt dictum est.

EXPLANATIONES.

1 Sed si in aliquo, *impedita, & male disposita a ♄, & ♂ luna quod tunc est cū vel illis coniuncta est, vel ab illis respicitur vel □, vel ☍ aspectu. & peius erit si luna uel in genesi, vel initio morbi fuerit in ♂ domini sextę domus, Requiratur igitur si fieri potest eius geniturę cęleste thema omni diligentia constructū, ac verificatum, vt uerus lunę locus habeatur, sin id minime fieri potest, satis sit habere thema initio morbi constructum. Hic autem dominus sextę domus est ille, qui dominium uel domicilium habet in signo sextæ domus: non tamen negligatur, & ille qui habet in eodem exaltatione, ut si in cuspide sextę esset ♈. dominus eius est ♂ ratione domicilij, & ☉ ratione exaltationis,*

tationis; uidendum igitur est ne luna sit uel ♂, uel ☼ coniuncta. nam male affecta uel à ♄, & iuncta, uel ♂ uel ☼ duplicatur incommodum.

2 Considerantur etiam, *hortarer ego medicos, vt quotidie erigerent cæleste thema, ut se habent planetæ in ephemeride, quod id conduceret ad peragendã omnia, quæ necessaria sunt omnibus ægrotis. mala enim lunæ affectio nõ ægrotos solum, sed & sanos, male afficit. etiam si non sint dies critici. Potest etiam qui peritus sit his rebus sine figuræ erectione in ephemeride idem quotidie perspicere, cũ omnes lunę aspectus ad planetas quotidie cognoscant: sciat tamen, & ante, & post per grad. 12. idem efficere, quod pene facit in perfecta coniunctione, uel aspectu: lunæ enim orbis tantus est, & aspectus durant quantum orbes.*

SVMMA CAP. VI.

Exemplo, & figura tradit rationem inueniendi tum diem, tum diei horam criticam.



SI autem adamussim criticos dies inuestigare volueris, considera signum, & gradum, in quo luna tempore decubitus in lectum, aut quando morbus sensibiliter inuasit hominem, fuerit. Dehinc quando motu suo peruenerit ad signum tertium à signo suo, in quo steterat hora inuasionis ægritudinis, & ad signum quartum, ad quintum, ad septimum, ad nonum, decimum, & vndecimum, tunc incitabitur natura contra morbum, & causabit crisim, & hoc maxime in quarto, quinto, septimo, & decimo signo.

Exempli gratia. Ponamus aliquem decubuisse in lectum, ratione ægritudinis, sexta die Martij in meridie peragrante luna 25. gradum, tertium minutum geminorum, modo cum peruenerit ad sextilem aspectum, hoc est ad tertiũ signum, scilicet ad leonem, quod fit quarta die à die inuasionis morbi, tunc natura aliqualiter concitabit morbum, & indicat quid futurum sit in die septima, vnde & medici hunc diem nunciatiuum seu indicatiuum dixere, & præsignabitur crisis post meridiem illius diei circa horam vndecimam, vbi tunc luna perueniet ad 25. gradum tertium minutum fere leonis. Cum autem luna peruenerit ad quartum aspectum, hoc est ad virginem 25. gradum. 3. minutum, quod fit septima die ab hora inuasionis ægritudinis post meridiem, hora tertia, tunc criticabit. Sed si attinget aspectum trinum, hoc est libram quod fit nona die, tunc nunciabit, quid futurum sit in die oppositio-

nis,

nis, seu in quartadecima die. In opposito vero signo sagittario, cum morabitur, hoc est, quartadecima à die inchoationis morbi, concitabit maxime naturam contra morbum, vnde, & in hoc exemplo 14. dies critica dies dicetur, & sic de alijs aspectibus exemplificandum erit, puto de trino, quarto, & sextili dextro, vti in sequenti figura edoceberis.

Geminorum 25. gradum. 3. minutum principium ægritudinis sexta die martij in meridie, in hora duodecima ⚹ ♌ 25. gr. 3. minut. dies 4. Crisis post meridiem circa horam ferè vndecimam est magis nunciatiuus.

□ ♍ 25. gr. 3. min. dies septima critica, & incipit crisis ante meridiem tribus horis vbi luna peruenerit ad 25. grad. Virginis.

△ ♎ 25. grad. 3. min. nona die post meridiem, hora ferè octaua vbi luna pertingit 25. gra. libræ, & plus indicatiua, quàm critica.

☍ ♐ 25. grad. 3. min. est 14. dies critica post meridiem hora ferè octaua.


△ ♒ 25. grad. 3. min. Indicatiua 19. die post meridiem circa horam fere primam, quandoque criticat.

□ ⚹ ♓ 25. gra. 3. mi. Critica die 21. ab hora incohationis morbi, & criticat post meridiem 15. horas.

⚹ ♈ 25. grad. 3. min. 23. die post meridiem hora septima ferè dehinc progredietur luna iterum ad signum geminorum die secunda aprilis.

Et hi aspectus mensis in sequenti habentur figura.

Si hoc exemplum bene in memoriam imprimas, poteris facillime prognosticare quoscunque dies criticos, si hora decubitus ægri in lectum, aut hora quando ipsum primum inuaserit ægritudo, tibi cognita fuerit, aut quando ęgritudo enormiter hominem inuaserit, ita quòd omnino se viribus destitutum sentiet.



EXPLANATIONES.

Id docuimus superius.

SVMMA CAP. VII.

Viginti duabus regulis tradit etiam, quæ ex themate cœlesti tum initio morbi constructo, tum die critica iudices, quæ ægroto tam ad salutem, quàm ad mortem, accidere solent.

1 PRIMA regula. Si luna peruenerit ad aspectum □ aut ☍ sine coniunctione, aut aspectu alicuius planetæ, & fuerit in domo sua, aut exaltatione eius, est dimidium signum boni. Econuerso autem si fuerit in casu suo, aut in opposito domus suæ.

2 Secunda. Si fuerit luna in principio ægritudinis sine aspectu planetarum, & in die crisis comperitur in aspectu bono,

vel malo malorum planetarum aut bonorum, renouabitur super ægrũ res bona, vel mala secundum naturã stellæ, quæ in cor non ascendebat.

Tertia. Si eclipsim patietur Luna cum peruenerit ad quartum aspectum eius in principio ægritudinis, aut ad oppositum, hoc est signum malum. Similiter dicendum est de eclipsi Solis forte prolongabitur infirmitas.

Quarta. Luna si fuerit in principio ægritudinis in aspectu planetæ, sub radijs Solis non iudices, nisi ac si nullus esset aspectus, & hoc similiter in dieb. crisis, nisi Saturnus aut Iupiter orientales essent, & inter eos 6. gradus aut plus, quoniam tunc dimidium testimonium habent. Si autem inter Martem, & Solem minus fuerit 10. gradibus, & Mars orientalis testimonium eius malum. Si vltra hoc fuerit vsque ad 15. grad. testimonium dimidium erit: Mars autem cum Saturno, & Ioue, post. 15. gradus, testimonium eorum verum, & firmum est, si fuerint orientales. Sed si hi tres fuerint occidentales, & inter ipsos, & Solem 15. gradus, testimonium eorum malum. In Venere autem, & Mercu. considera si sint orientales minus 15. gradibus, testimonium eorum malum est. Et si Venus fuerit occidentalis, & inter eam, & Solem 10. gradus, medium indicat testimonium: & si habuerit 3 latitudinem septentrionalem, testimonium eius est firmum. Si inter Mercurium, & Solem 12. fuerint gradus, testimonium eius erit mediocre, & si latitudo eius septentrionalis fuerit, testimonium eius est firmum.

Quinta regula. Considerandum est quando peruenerit luna ad gradum, qui in longitudine similis est gradui loci sui, in longitudine videlicet lunæ, quæ est à cõiunctione duorum circulorum à punctis æquinoctialibus, vt ariete, vel libra, aut à punctis solstitialibus, vt à cancro, & capricorno, sicuti est 10. gradus piscium, & 20. Arietis, & principium virginis, & finis arietis, & 10. ♑ cum 20. ♊, vel gradus, qui assimilantur in diuersitate dierum cum noctibus suis, sicut 20. ♐ cum 10. Cancri. Et si luna sit in aspectu bono, vel malo, quando fuerit in gradibus sibi assimilantibus secundum viam prædictam, tunc renouabitur super ægrum res, quæ in cor medici non ascendebat, siue quam non suspicabatur.

Sexta regula. Quando signum ascendens in principio ægritudinis, fuerit principium arietis, vel libræ, & luna fuerit in angulo, crises erunt firmæ, & certe sine suspicione quando luna peruenit ad □ vel ☍ aspectum.

4 Septima regula. Si Luna fuerit in principio ægritudinis in signo mobili, significat velocitatem in rebus ægri, in bono, vel malo. In fixis prolongationem ægritudinis. In communibus transsibit æger de

ægritu-

ægritudine in ægritudinem.

Octaua regula. Si luna fuerit in principio morbi in signo æqualis naturæ cum infirmitate, malum est, sed si fuerit in signo contrariæ naturæ, infirmitati bonum est.

Nona. Coniunctio Lunæ cum Sole est signum malum valde, sed est peius inter solem, & lunam minus 6. gradibus sint, & Luna Solē nōdum attigerit, quod si iungantur in capite arietis, vel leonis diminuetur de malo aliquantulum: si autem fuerit gra. 12. non est malum perfectum, quòd si signum, in quo fuerint iuncti, sit vnum 5 de signis longarum ascensionum, ægerque remotus fuerit satis ab æquali linea, diminuetur malum, & si ambo sint in signis breuibus, hoc est malum perfectum. Sed si luna fuerit iuncta Soli, & cum malis stellis, hoc est malum perfectum, cum bonis autem minuetur malum.

6 Decima regula. Coniunctio lunæ cum Saturno malum significat, & prolongationem ægritudinis. Sed si Saturnus in motu tardus fuerit, augmentabitur malum: si velox, minuetur de malo, si retrogradus fuerit & ante oppositum Solis curatur, sed postea recidiuat. Si fuerit retrogradus post oppositionem Solis, minuetur de malo. Quod si Luna in hac cōiunctione cum Saturno velox cursu fuerit, est signum malum, significat enim prolixitatem, & finem malum. Si fuerit tarda cursu, minuetur de malo, sed si fuerit aucta lumine, modicum nocebit Saturnus, si autem fuerit lumine diminuta, hoc malum est supra malum, si Saturnus erit orientalis à Sole, & ægritudo sit ex frigiditate, minuetur malum. Sed si fuerit ægritudo ex caliditate, augebitur malum super malum. Si Saturnus fuerit occidentalis à sole, & ægritudo calida, minuetur malum: si autem ex frigiditate fuerit, augebitur malum supra malum.

7 Item si Saturnus fuerit in longitudine longiori, & ægritudo fuerit ex retentione seu restrictione, augebitur malum supra malum.

Si verò fuerit in abside inferiori, idest longitudine breuiori, seu in opposito augis minuetur de malo eius: si autem in loco inferiori fuerit, & fuerit ægritudo ex solutione ventris, addetur malum supra malum, 8 si vero in auge, aut prope, minuetur de malo eius. Luna iuncta planetæ retrogrado, significat vomitum, & si luna fuerit in vna domorū Saturni, minuetur de malo, nisi de tussi fuerit ægritudo, & consimiliter in signo libræ, coniunctio fuerit minuetur malum, nisi fuerit post 21. gradum ipsius, Luna in aspectu sextili cum Saturno non nocet, nisi fuerint ambo 9 in signis longis, sic trinus aspectus eius non nocet nisi ambo fuerint 10 in signis breuibus.

Vndecima regula. Coniunctio lunæ cum Ioue bonum signum, &

adhuc melius 11 si non sit dominus malæ domus, respectu signi ascē dentis, in principio infirmitatis. Et si coniunctio fuerit in domo Iouis, aut lunæ, hoc est bonum supra bonum, & si coniuncti fuerint in capricorno, minuetur de bono. Et si Iupiter retrogradus fuerit, minuetur de bono, dūmodo trāsierit oppositionē Solis: si verò nō transierit, non remanebit de bonitate signi nisi parū. Quòd si fuerit ægritudo ex frigiditate, plus valeret Iupiter, quàm si fieret ex caliditate, & consimiliter, si in auge esset sui parui circuli, vel ecentrici, secundum quod iam de Saturno recitatum est. Magis autem se ostendit fortitudo Iouis in ægris, qui medietatem vitæ suo transiuerint, quàm in illis, qui paucorum sunt annorū, sane Iouis aspectus oppositus, & quartus, boni sunt omnes, nisi quòd in eis inest parum laboris, & lassitudinis infirmi, sed aspectu trino, & sextili, nullus superior est in bono.

Duodecima regula. Luna iuncta Marti signum malum 12 si lumine diminuta fuerit minuetur de malo, & è conuerso, si fuerit aucta lumine, quia tunc dolor super dolorem, si Mars fuerit post oppositionem Solis, minuetur de malo. Si vero fuerit in parte, qua sol est respectu 13 parui circuli, hoc est ante oppositionem, hoc est signum malum. Si fuerit Mars in auge sua, vel prope, fueritque ægritudo ex siccitate, significat augmentum mali, sed si fuerit in opposito augis, minuetur de malo, si fuerit in loco infimo circuli ecentrici, & ægritudo ex humiditate malum supra malum, si fuerit de siccitate minuetur de malo. Sextilis autem, & trinus aspectus, bonum præsagiunt, & si luna fuerit in domo Martis, aut in eius exaltatione, minuetur de malo eius.

Tredecima regula. Si Luna iuncta fuerit Veneri, est sicut dictum est de Ioue, & si æger iuuenis fuerit, aut mulier, melius est hoc, quàm senex. Et si ægritudo fuerit ex caliditate, magis valebit Venus, quàm Iupiter, si ex frigiditate, magis Iupiter, quàm venus.

Quartadecima regula. Si luna iuncta fuerit cum Mercurio non existēte sub radijs Solis, aut inter illos sit plus 12. gradibus, & Mercurius occidentalis, & sunt iuncti in domo stellæ fortunatæ, significat dimidium bonum. 15 In domo verò stellæ infortunatę, significat dimidium malum, si in domo propria, significat modicum bonum, sed si fuerit in domo, quæ opponitur suis domibus, significat modicum mali. Aspectus autem eius quartus, minus mali significat, quàm oppositus, & sextilis modicum significat boni, sed trinus, magis bonum.

Quintadecima regula. Luna si fuerit in coniunctione cum Saturno, & Ioue, considera, quis eorum vincet alium, sicut explanabo: nam ille, qui circa locum augis fuerit, seu in longitudine longiori circuli sui eccentrici, aut prope, vincet illū, qui circa longitudinem fuerit propiorem

rem seu in opposito augis. Et hoc quidem scire poteris 16 per centrum æquatum. Et ille, qui propinquius fuerit longitudine longiori parui circuli, seu epicicli, præualebit illi, qui est propinquior longitudini propiori, & hoc quidem scire poteris 17 per argumentum. Et si vnus habuerit latitudinem septentrionalem, & alius sit in linea media septentrionalis, præualebit, si ambo fuerint septentrionales, ille, qui habuerit maiorem latitudinem præualebit: si autem vnus fuerit in linea signorum, & alterius latitudo meridiana, ille, qui in linea erit, præualebit: si vero ambo fuerint meridiani, qui habuerit minorem latitudinem præualebit. Et adhuc ille, qui in domo sua fuerit, in exaltatione, triplicitate, termino, aut facie, præualebit illi, qui minor fuerit in dignitate. Et si præualuerit Saturnus in hac coniunctione, morietur æger: veruntamen propter Iouem minus erit aliquantulum ægro in ægritudine sua, & non aggrauabitur nimis, super ipsum nihilominus timebit sibi, sed si præualuerit Iupiter, euadet infirmus, sed hoc erit post grande periculum, & cogitationes moriendi, ac timorem mortis.

Sedecima regula. Luna in oppositione 19 Saturni, & Iouis valebit quidem æger, sed non euadet, nisi fuerit Saturnus retrogradus, & iupiter directus.

Decimaseptima. Luna cum Saturno, & Marte, hoc minus est dimidio signo malo, eò quòd alter alterius opera destruit, & disturbat, quòd si aspexerit eos Iupiter, aut Venus euadet æger: si autē luna fuerit cū Saturno, & Marte, aut Mercurio in oppositione, aut quadratura, hoc malum est ægro.

Decimaoctaua. Omnes aspectus Solis, & lunæ sunt boni vniuersaliter, nisi aspectus oppositus ab aquario, aut libra: quoniam tunc minuetur ex bono.

Decimanona. Si luna iuncta fuerit Saturno, & Soli, & sit in eorum oppositione dimidium bonum signum, sed si fuerit in aspectu quarto, est prope dimidium bonum.

Vigesima regula luna cum Saturno, & in opposito Solis, & Mars in quarto, nec bonum, nec malum, similiter si Sol fuerit cum Marte.

Vigesimaprima regula. Luna cum Marte, & Sol in opposito, signum malum, si fuerit in quarto, medium signum mali. Et si luna fuerit cum Marte, plus prodest aspectus Veneris, quàm Iouis: si autem fuerit cum Saturno, plus prodest aspectus Iouis, quàm Veneris.

Et quicquid dictum est de stellis erraticis, hoc intelligendum de stellis fixis, 20 primi, & secundi honoris, & præcipue de his, qui paruam habent latitudinem, & sunt circa eclipticam, & in circulo signorum: si enim luna iungitur his, qui naturam habent Iouis, aut Veneris, bonum

num portendit, si naturam Saturni, aut Martis, malum. Et si luna latitudinem septentrionalem habuerit, magis maifestabitur operatio stellæ, quàm si versus meridiem deuoluatur: quoniam tunc operatio stellæ, occulta erit, & fere non apparebit.

Vigesimasecunda regula. Si luna fuerit in principio ægritudinis iuncta alicui planetæ, aut eius aspectu, & quando peruenerit ad □ eius aspectum, aut oppositum, & si tunc eo die talis planeta lunam aspiciat, aut ei iungatur, sicuti in principio coniunctione, aut aspectu, tunc crisis erit certa, & firma in bono, vel malo secundum naturam stellæ, & non innouabitur super ęgrum res, quę benefaciet, aut malefaciet ei prę terquàm secundum vnam viam, videlicet si non est ita, quòd illæ stellæ luna coniungatur per aspectum in die crisis, sed aspiciat aliam stellam, & si luna iungatur cum ista, tunc innouabitur super ægrum de bono, vel malo res, quæ in cor non ascendebat.

EXPLANATIONES.

1 Prima regula, *quæ sit domus planetarum, quæ exaltatio, qui casus, & opposita domus in memoria non tenes, pete ex cap. 6. lib. 1.*

2 Secunda regula, *sine aspectu est luna cum vel non est vel alicui planetę iuncta vel nullum planetam respicit, aut partiliter, aut platicè, ⚹ □ △ ☍ radio, vt appellatione aspectus intelligatur etiam ☌. licet impropriè.*

3 Latitudinem septentrionalem, *si volueris scire lunæ latitudinem, in ephemeridibus habebis tabulã latitudinis lunę, qua id facilè cognosces, idq; pag. 65. Latitudinem verò cæterorum planetarum facilè cognosces ex ephemeride, in fine enim cuiuslibet mensis eam habebis eidem mensi seruientem.*

4 In signo mobili, *id docuit cap. 2. lib. 1.*

Aequalis naturæ, *signorum naturas habes, cap. 2. primi lib. & morbi naturam cap. 6. lib.*

5 De signis longarum ascensionum, ♋, ♌, ♍, ♎, ♏, ♐, *vt dictum est in primo lib. sunt signa longarum ascensionum.*

6 Decima regula, *ex primo libro pete rationem, qua dignoscas quando planeta sit vel velox, vel tardus, id enim docuimus in cap. 5.*

7 Idem si ♄ fuerit in longitudine. *Vt autem scias quando planeta est in longitudine, vel longiore, vel breuiore ex Magini ephemeride transtuli huc Tabellam, in qua id facilè cernes.*

Longitudo longior.				*Longitudo breuior.*		
♄	29	2	♌	29	2	♊
♃	6	36	♎	6	36	♈
♂	28	18	♐	28	18	♒
☉	8	54	♋	8	54	♑
♀	16	15	♊	16	15	♐
☿	29	54	♏	19	54	♉

Cum enim Saturnus erit in grad. 29. 2. ♐ tunc erit in longiori longitudine, si vero in grad. 29. 2. ♊ erit in longitudine breuiori, & sic de alijs, vt in tabella videre licet.

8 Si vero in auge, *aux, & longitudo longior idem est, & oppositum augis, & longitudo breuior.*

9 In signis longis, *id est longarum ascensionum.*

10 In signis breuibus, *id est breuium ascensionum, vel obliquę ascensionis, quod idem est.*

11 Si non sit dominus malæ domus, *malę domus respectu ascendentis sunt 12. 8. & 6.*

12 Si lumine diminuta, *ita est (vt dictum est) ab ☍ ad ☌. cum sole.*

13 Parui circuli, *absque vllo labore id deprehendes ex ephemeride Magini, qui id initio cuiusque anni prudentissimè apposuit.*

14 In domo stellæ fortunatæ, *hæ sunt ♉, & ♎, ♀, ♐, & ♓, Iouis, & cum in ♋ exaltetur ♃ erit quoque signum fortunatum. imò teste Cardano omnes planetę in ♋ exaltantur. fortunata quoque erit domus, in qua erit, vel ♃, vel ♀.*

15 In domo stellæ infortunatæ, *domus, in quibus fuerint, ♈, ♏, ♑, ♒, propter domicilium ♂ & ♄ erunt infortunatæ, & domus, in quibus fuerunt ♂ & ♄, præsertim si male affecti fuerint. ♎ etiam si inter signa fortunata posuimus propter ♀ domicilium: tamen propter exaltationem ♄, quam habet in ♎ ipse ♄ nonnihil infortunij habet.*

16 Per centrum ęquatum, *qui Magini ephemeridem habet, ei nihil opus est centrum ęquatum perquirere: tamen si id uolueris, habebis etiam ex tabulis resolutis eiusdem Magini mira constructis arte, quas tibi dabit Damianus Zenarius, nunc primum editas.*

17 Per argumentum, *ex ijsdem tabulis idem cognosces, licet ex ephemeride etiam cognoscere possis. Vt exempli causa hodie scire uolo, quo loco epicicli sit tum ♄, tum ♃ perquiro initio anni ante menses in ea pagina, quæ inscri-*

pta

pta est : Planetarum status; & inuenio ♄ fuisse 19. Martii in apogeo, id est longitudine longiori, & fore in opposito D. 25. Octobris, ex quo uideo iam ♄ ad augis oppositum tendere. ♃ autem fuit in auge 3. Aprilis, qui pariter tendit ad longitudinem breuiorem: est tamen propior augi ♃, quàm, ♄ ut ex collatione amborum uidere licet. sic facias in cęteris.

18 In linea signorum, *in linea ecliptica.*

19 Saturni, & Iouis, *illa coniunctio, & est copulatiua, ideo necesse est, ut ♃, & ♄ sint coniuncti, ut ☊ sint oppositi, quod ex sequentibus verbis auctoris licet perspicere; ait enim, nisi fuerit ♄ retrogradus, & Iupiter directus:*

20 Primi, & secundi honoris, *primę, & secundæ magnitudinis, quod eliciendum est ex tabulis stellarum fixarum, ex quibus unà cognosces, quæ habeant paruam latitudinem, quæque cuiuslibet natura sit.*

Tertij Libri finis.



DE COGNOSCENDIS ET MEDENDIS MORBIS

Ex corporum cœlestium positione,

LIBER QVARTVS.

SVMMA CAP. I.

Medicus vtitur medijs causis tamquàm primis ad iudicandum: astronomus iudicat ex positione stellarum, quæ sunt causæ vniuersaliores, & naturaliter mouent effectus, ob id astrologia est medicina præstantior. Totius libri materia diuiditur in duas partes, in tractatum de vrina non visa primum, deinde de visa. Vt autem vrinæ qualitates dignoscas hora petitionis debet erigere figuram cœli, & in figura imponere planetas, deinde interroges portatorem quisnam ipse sit cum ægroto, & ei des locum suum in figura, secundo quærendus est almutes: ex his omnibus iudices eo modo, quo iudicandum esse docet auctor, ea omnia, quæ medici in vrinis animaduertunt, cũ vrinas perspiciunt.

LIBER



CVM primeuæ, & principales causæ alterationis istorum inferiorum, & efficientes, sint cœlestium corporum motus, vti voluit Ptolemeus primo quadripartiti cum inquit, vim existere in materia alathia, quæ ad terrenas perueniens res, eas mutare compellat, imo cogit easdem res naturaliter mutabilitatem accipere, & vltimæ causæ habilitas materiæ ad suscipiendum hinc motum cœlestium corporum, necesse est vt inter primeuam causam, & hanc vltimam concurrant causæ intermediæ (cum ab extremo in extremum non itur nisi per medium) quæ materias diuersis passionibus adaptant, & nunc cum medici iudiciũ, maiori in parte in subiecta materia consistit, accipit quasdam de his medijs causis, tanquàm sibi primas, veluti compositiones, complexiones, tempus, & id genus.

Astronomus verò sibi vsurpat ex his causis minus vsitatas, & magis proprias, vt puta agentes, vti est status, & dispositio signorum, & stellarum, & rerum complexiones. Et sicut medicus per signa, quæ sunt, sputum, vrina, pulsus, & habitus corporis exterior, de effectu prognosticat, sic astronomi per causam mouentem 1 præuisione coniecturali effectũ naturaliter antecedit, vnde, & eius consideratio longe dignior est cũ præsentia subiectæ materiæ principijs non indigeatur: medicinę autẽ subiectum circa quod, & per quod operatur tangibile, & visibile est, qua de causa antiqui, & Ptolemeus primo quadripartiti doctrinæ medicinali astrorum scientiam adiunxerunt, vt vtraque via procedentes in eorum operationibus certiorem finem attingerent. Nam cum præuisa fuerit natura infirmitatis, & an prosit medicatio, & quo tempore, tunc demum vtiliter, & proficuè accedet medicus, & laudem ex opere promerebitur. Et quoniam vna medici consideratio circa vrinæ iudicium versatur, deliberaui hoc in tractatulo breuibus iuxta antiquorum astronomorum præcepta tradere. Primum vrinæ iudicium non visæ, dehinc breuibus iuxta medicorum intentionem de vrina visa, & contentis vrinæ. Et ante huius cognitionem, aliqua notanda sunt. Et hic tractatus duas habet partes. Prima docet iudicare vrinam non visam, per septem notabilia. Secunda est de iudicio vrinæ visæ, in quo occurrunt octo consideranda, vt patebit in sequentibus.

Primo notandum. Quod cum aliquis tibi attulerit vrinam petens, vt aspiciatur. 2 Erigas hora petitionis cœli figuram, imponasque astra secundum situm eorum, qua erecta 3 interrogas, si portator vrinæ sit is, cuius ipsa vrina est, aut si alius nullo sanguine iunctus, sed amicus, vel rogatus, tunc da ascendens domino vrinæ, & quintam domum ab ascendente, hepati. Si autem portator vrinæ fuerit frater ægro

tantis,

tantis, tertia domus ab oriente datur domino vrinæ, & quinta domus ab ea, quæ est septima, respectu orientis, erit locus hepatis. Sed si portator vrinæ fuerit seruus, sexta domus detur domino vrinæ, & decimæ quę est quinta à sexta domo, detur hapati. Si fuerit filius, detur quinta domino vrinæ, & nona hepati, & sic de alijs.

Alij tamen astrorum indagatores, sicuti Leopoldus, & Abraham, dicunt. Si portator vrinæ fuerit seruus, detur domino vrinæ decima, & secundam ab ascendente, quæ est quinta à decima hepati. Experiaris vtrunque quod verius comperies serua, primus tamen modus magis rationabilis est.

4 Secundo notandum, his cognitis, quærendus est dux, seu almutes, hoc est planeta qui fortior fuerit præ dignitatibus essentialibus, loco solis, lunæ, in oriente, in parte fortunæ, in loco præuentionis, necnon & in domibus cœli. Et planeta ratione suæ domus, habet quinque dignitates seu fortitudines. Ratione exaltationis quatuor, ratione triplicitatis tres, ratione termini duas, & faciei vnam, vt dictum est in primo tractatulo. Fortitudines autem planetarum comperies, octauo capite primi tractatus.

Exemplum huius, fuit aportata vrina per fratrem domini Caroli de monte felici, hora qua, vt infra, firmamentum cum stellis mouebatur, volui scire almuten, hoc est dominum, & fortiorem, hac hora aspexi fortiorem in loco solis, hoc est in 15. gradu Tauri, & in loco Lunæ, hoc est in 27. gra. Capricorni, & in oriente, quod hic cœpi pro tertia domo, ratione fratris asportantis vrinam, scilicet 25. grad. Cancri. Et in parte fortunæ, hoc est in 28. grad. Aquarij. & in loco præuentionis, qui fuit 9. grad. Tauri, necnon, & fortiorem in domibus cœli. Et comperi Saturnum habere in omnibus his locis prædictis 18. dignitates, Iouem 22. Martem 11. Solem 3. Venerem 21. Mercurium 5. Lunam demum 27. quare in hoc casu dixi Lunam almutes, eo quod habuit maiores dignitates seu fortitudines.

5 Tertio notandum. Habito Almutes, videatur à quo ipse separatur, vel quis ab eo separatus fuerit, quia secundum eius statum erit sanitas, vel ægritudo domini vrinę, & secundum sextum qui in ipso vincit sextus eiusdem domini ęgritudinis. 6 Nam si planeta à quo separatur almutes &c. fuerit masculinus, æger masculus est, si fęmininus, fœmina est. 7 Et planeta corrumpens almuten eius morbi naturam, secundũ domum suam, quã meliùs aspiciat, causam morbi manifestat, & locus almuten seu domus cœli, in qua ponitur almutes morbi fundamentũ patefacit. Nã si fuerit in ascendente capitis, passionẽ sustinet. Si in secunda, in collo, & gutture patietur, & sic de alijs domibus.

Exemplum huius. Aspexi almutem Lunam applicantem Marti, per quadraturam existentem in Ariete, & in domo duodecima, & quia Mars in domo sua satis bene dispositus, quare infirmitates parum molestabunt dominum vrinæ, quantum est ex parte Martis, sed in hoc quod Mars aspicit ascendens domini vrinæ, scilicet tertiam domum, & Saturnus domum hanc suis radijs inficiet præsignabitur natum fore satis ægrum, & forte patietur ob frigiditatem, & humiditatem. Et quia Saturnus corrumpit almutem, scilicet Lunam opposito aspectu in suo signo Capricorni, quod melius aspiciat, quàm Aquarium, quare indicat ægritudinem in cruribus circa genua à causa frigida, & humida. Sed quia Saturnus reperitur in secunda domo, quæ significat collum, guttur, fistulas, glandulas, quare dixi, & ipsum pati in his membris. Et quia Saturnus habet significare paralisim, idropisim, ventris solutionem, podagram, dixi, & dominum vrinæ pati ex aliqua harum ægritudinum. Et propter almutes præsentiam in nona domo, dominus vrinæ patietur in chimo hepatis opilationem, propter frigiditatem, & humiditatem.

Quarto notandum. Quod Saturni domus significat, quod illud quod timetur erit per causam frigiditatis, & humiditatis, vt fluxus ventris, ptisis, & præcipue si fuerit capricornus, si aquarius per causas frigiditas, & ventorum. Sed domus Iouis scilicet sagittarius, per causam caloris & ventorum, vt sunt apostemata, & similia.

Domus Martis, vt aries, plus erit hoc in capite, scorpio erit calor cũ humiditate, & erunt passiones in partibus inferioribus.

Domus Solis per causam caloris, & siccitatis, & fortius si Sol infortunatus fuerit à Marte.

Domus Veneris per causas medicinarum, & venenorum, & erit festiuum, quod fiet, etsi est taurus, erit causa frigiditatis & siccitatis, & causa bestiarum, & si est libra per calorem, & humiditatem, & ex parte dolorum gutturis, & præcipuè si Venus est in ariete.

Domus Mercurij, vt gemini, per causã caloris, & humiditatis, & doloris hepatis, frenesis, & amissionem sensus, si virgo per causam destructionis hepatis, fellis, & viscerum.

Si fuerit domus Lunæ per causam frigiditatis, & humiditatis, & commisce planetas lunæ associantes, & iudica secundum illud. Nam si planetæ associantes conueniunt prædictis certius erit iudicium, & cũ his aspectibus etiam obseruentur.

8 Quinto notandum de almute hepatis. Almuten hepatis sic comperies. Conspice quis de dominis quinque loci hepatis fortior fuerit, & sunt hæc loca, scilicet locus hepatis, qui semper est quinta domus, vt

ctum est, locus Iouis, Martis, Veneris, & locus partis hepatis, quæ sumitur die, nocteque à Ioue in Martem, & proijcitur à Venere, quo inuento, videatur à quo, vel quis planetarum ab eo separetur. Nam secundum eius statum, est status, & tenor hepatis, secundum eius virtutem similiter, & stomachi. Quod si almutes hepatis solitarius fuerit, ita quòd à nullo separetur, vel nullus ab eo, tunc secundum ipsius naturã, & sui loci portionem, iudica secundum consistentiam totius corporis, quam monstrat almutes super ascendens, quod si bene percepisti electionem almutes ascendentis, seu domini totius figuræ, intelliges, & hæc sine exemplo.

Et si bene examines fortitudinem planetarum, seu dignitates in locis hepatis. Comperies Saturnum habere 19. fortitudines. Iouem 16. Martem 14. Solem 11. Venerem 18. Mercurium 6. Lunam 10. In hoc casu Iupiter præualet alijs in fortitudine, vnde almutes super locum hepatis dicetur. Et Venus separatur à Ioue sextili comperta cum cauda Draconis, vnde aliqualem indispositionem portendit hepatis, gratia caliditatis, & humiditatis, & hoc idem indicat dominus loci hepatis in signo calido, & humido. Hæc tamen indispositio haud periculosa erit, ob benignitatem aspectus sextilis, similiter Iouis, & Veneris.

Notandum Sexto, de contentis in vrina.

9 Contenta in vrina iudicantur secundum consistentiam hepatis. Nã si virtus contentiua, seu retentiua fuerit claudicans, & expulsiua super ipsam expellens accidit in vrina contentum de humoribus, & ipsam nimis coctam apparere. Econuerso autem si virtus contentiua fuerit fortis, & expulsiua claudicans, seu debilis, tenuior est vrina, contentis carens. Si autem digestiua virtus æstu excesserit innaturali, & separatiua claudicat, erit vrina liuida, & turbida. Econtra autem contingẽte, erit vrina temperata in colore, & in substantia limpida. Et iam dictum est in secundo tractatu quomodo virtutes planetis attribuũtur, & quicunque istorum planetarum fortius in loco hepatis se immiscuerit, huius virtus præualebit, si fortunatus fuerit naturaliter agit in natura, si infortunatus, & corruptus, agit innaturaliter, sed nullo istorum aspiciente domum hepatis, virtus domini termini præualebit: sic ergo fiet consideratio vt inter almutem ascendentis, & almuten quintæ domus, & inter virtutes fiat collatio, vt discretum per omnia procedat iudicium. Hæc autem curiosa inquisitio magis edita est pro sanis, quàm pro ægris.

10 Pro ęgris enim locus hepatis, cum admixtione almutes, vel solus locus hepatis si almutes caruerit, vel planeta, qui in loco hepatis est, & cum loci natura calorem, & substantiam vrinæ plenè monstrat.

Septimo

Septimo notandum de colore, & substantia urinæ magis in speciali.

11 Coloris, & substantiæ vrinæ serues, magis quędam occurrit inquisitio secundum quatuor triplicitatum naturas, quę quatuor humoribus naturaliter correspondet, quia quantum est in natura signorum significatio essentiæ humorum naturaliter immutata permanet. Nam commixtio eorundem adinuicem in facto, seu suarum qualitatum intensio ex planeta erit, qui erit in loco hepatis, vel aspexerit. Commixtio dico, si loci fuerit particeps in facto, si testimonio caret. De triplicitatibus ignea correspondet choleræ. Aerea sanguini. Aquea phlegmate. Terrea melancholiæ, & secundum hanc signorum essentiam humorum, essentia naturalis immutata permanet, vt dictum est.

Similiter Saturnus ducatum gerit melancholiæ. Iupiter sanguinis, Mars cum Sole choleræ, Luna cum Venere phlegmatis, Mercurius cō. mixtus est, secundum applicationem seu seperationem cum alijs.

Hic quoque ad colorem, & substantiam vrinæ perpendendam præsens corporis dispositio, vt dictum est, secundum signorum, & stellarum naturas attendenda est, cum secundum hoc præcipue coloris fiat variatio. Verbi gratia. 12 Aries si est locus hepatis, ibidemque Mars existens, vel aspiciens, corporis dispositio est febris, & vrinæ substantia mediocris, propter debilitatem virtutis sequestrantis, seu segregantis in hepate in colore liuida, vel ad nigredinem accedens ex adustione cholerica. Si vero sana fuerit corporis dispositio, erit vrina tenuis per totum, & subruffa, vel citrina intensa cum apparatu ad febrem.

13 Si locus hepatis est Capricornus, ibidemque Saturnus existens, vel aspiciens, corpus febricitat, & est vrina liuida cum nigredine, ex mortificatione cum substantia mediocri, ex grossorum humorum admixtione, propter debilitatem virtutis segregantis in hepate. Sed si corpus sanum fuerit, erit vrina tenuis, cum colore plumbeo.

14 Si sit locus hepatis pisces. Iupiter aspiciens à Capricorno, dispositio corporis febris erit, hoc est, commixtio sanguinis frigidi, propter Capricornum, & phlegmatis propter pisces, qui causant phlegma dulce, & tunc vrina est mediocriter spissa, cum colore rubeo. Si vero corporis sit sana, erit vrina subcitrina, vel aurea in colore, cum substantia mediocri. Si ibidem esset Mars fieret phlegma salsum, per commixtionem.


15 Si Sol propter infectionem color vrinæ ruffus cum mediocri substantia, si ęgri sit dispositio subcitrina pallori vicinus, si sana ad hunc modum secundum pręsentem corporis dispositionem, signorum, & stellarum naturas, quis humorum abundat, & suæ dispositionis intensio, vel remisio requiretur, & secundum omnium ad inuicem collatio-

nes

nes iudicium moderabitur.

Exemplum de colore, & substantia urinæ.

Luna almutes, vt dictum est, respiciens virtutem expulsiuam infectam à Saturno per oppositum, & à Marte per quadratum indicat virtutem expulsiuam aliqualiter claudicare. Et almutes quintæ domus seu loci hepatis in medio cœli satis fortunatus, & in sextili Veneris indicat digestiuam virtutem fortiorem expulsiua, quare vrina erit satis tenuis cum paucis contentis, & propter signum domus hepatis, scilicet Sagittarij, quod est signum igneum, erit rubei coloris vergentis ad croceum, seu citrinum, vti etiam attestatur almutes loci hepatis scilicet, Iupiter qui gerit ducatum sanguinis, dico in hac dispositione sanguinem propter Iouem, & signum domus hepatis abundare vnà cum phlegmate propter Lunam in signo frigido, & Saturnum in Cancro inficiens ascendens domini vrinæ suis radijs. Et hæc omnia patent in figura sequenti. Et tantum de iudicio vrinæ non visæ, ex iudicio astrorum.



LIBER

EXPLANATIONES.

1 Præuiſione coniecturali, *non igitur neceſſaria*.

2 Erigas hora petitionis, *de hac erectione dictum eſt ſuperiùs*.

3 Interrogas, *vt hanc rem penitus intelligas in memoria te habere oportet, quæ tradidit auctor cap.8.lib.1. de domorum ſignificatione: & ne tibi opus ſit ſemper perquirere ea, memoriæ mandes hęc carmina à Valentino Naibod in Alcabitium conſcripta.*

Vita, lucrum, fratres, genitor nati, & valetudo.
Coniunx mors, & religio, regnum, & benefactor.
At poſtrema domus metuenda eſt, carceris ædes.

Prima igitur ſignificat vitã, & quę ſuopte ingenio fiunt, ob id ſi quis ſuam vrinam portauerit, conſideres primam domum pro eo, qui vrinam portat, ſin fuerit vel frater, vel propinquus da ei tertiam domum, ſi pater quartam, ſi filius quintam, ſi ſeruus ſextam, ſi vel coniux, vel in mercaturis ſocius, aut qui ęgroti mercaturę curam gerit ſeptimam, ſi cliens octauam, ſi quis vel religioſus, vel ſapiens homo nonam, ſi mater, vel auia, vel aliquis in poteſtate conſtitutus decimam, ſi quis regis aſſeſſor, vel valde ęgroti benefactor, vndecimam: ſi quis abiectus homo, aut quæ meretrix da ei duodecimam. Nam hę perſonæ ſignificantur per duodecim domos, ut in primo tractatu. Quinta autem domus a portatoris vrinæ domo erit hepatis domus, ex qua ſcilicet vnà cum domo portatoris elicies iudicium, vt in ſequentibus patebit.

4 Secundo, *Almutes interpretatur uincens: is enim eſt, qui plures habet dignitates certis locis, ut res, quam quęris poſtulat. Hoc autem loco eſt ille planeta, qui plures ex quinque eſſentialibus dignitatibus habet in loco ☉ ☽ Horoſcopi, ⊗ in loco præuentionis.ſ. ☌ ☉, & ☽, quæ proximè pręcedit diem, qua ad nos vrina perlata eſt, & in cęli domibus. Hic multa interpretatione egent, ut res fiat apertior, & lector rationem habeat certam, qua figuræ urinæ almutem reperiet, cum rei ſumma ex hac una re ferè pendeat. Priùs igitur, ut dictum eſt, figuram erigat, & exempli cauſa cuiuſdam ęgroti ſeruus urinam affert dię 24.* Iunij. *Hora tertia poſt meridiem, cuius horæ poſitus cæli ex ephemeride Magini hic eſt.*

1584.
D H
24 3 P M
Iunij.

Venetijs.

Erecta figura hoc modo, & impositis planetis, parteque fortunæ, quæ hoc modo scribitur ⊗ quęrenda est ☉, & ☽ oppositio pręcedens, quæ fuit. D. 22. H. 15. M. 30. ascendente gr. 20. ♊ vti apparet in ephemeride Magini, cui, omnes studiosi multum debere sciant, cum tam diligens fuerit in omnibus rebus, vt alios labore leuaret. Vt autem locum pręuentionis reperias hoc modo faciendum per motum eius planetæ, qui super terram est. Nam si ☉ est super terram hoc facias per solem, si ☽ est super terram idem facies per lunā. vide primum locum Solis (is enim super terram est) in meridie eius diei, qui est gra. 0. 40. 58. vide deinde more solito quantum proficiscatur eo die, quod est, vt plurimum gr. 1. Hic enim faciliorem viam quęrimus (vt dictum est) non exquisitiorem: postea vide in ephemeride H. 8. quæ est H. 15. 30. singulis horis des m. 2. 30. & per H. 15. 30. dabis m. 39. 30. quibus additis loco ☉ reperto in meridie gra. 0. 40. 58. ♋ conficiunt gr. 1. 29. 28. sed cum iam ingressus sit ☉ grad. 2. ♋ habeatur hoc loco vt in hac se habet, suo caratere. Disponas deinde hoc modo hanc tabellam, tanquàm in gr. 2. Hic igitur hoc modo inuentus notetur in figura suo loco vt inuenias almuten.

Loca, in quibus inuestigatur almutes.

	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
☉ 3. gr. ♋	0	4	5	0	4	0	8
☽ 19. gr. ♑	5	0	5	0	5	0	3
Horosc. 2. gr. ♏	0	0	11	0	3	0	3
✣ 18. gr. ♉	0	2	0	0	8	0	7
☍ 2. gr. ♋	0	4	5	0	4	0	8
Domus cœli	7	1	10	4	4	5	3
Dignitates collectæ.	12	11	36	4	28	5	32

Vide deinde in primo tractatu dignitates cuiuslibet planetæ hoc modo, primum ♄ in gr. 3. ♋ nullam habet dignitatem, ob id adscripsi in angulo communi ♄, & ♋. 3. gr. 0. in gr. 19. ♑ habet domicilium, quod dat quinque dignitates, ob id eas apposui in gr. 2. ♏, qui horoscopus est, nullam habet dignitatẽ, ob id adscripsi, 0, in gr. 18. ♉, in quo est ✣ nullam habet dignitatem. in gra. 2. ♋, qui locus est ☍ præcedentis pariter nullam: cum autem sit in domo quinta habet dignitates 7. ut videre est cap. 8. tract. primi in tabella de dignitatibus domorum: ♄ igitur omnibus his locis habet dignit. 12. eodem modo agendum est in reliquis planetis, quod si feceris diligenter, reperies ♂ esse almutem huius figuræ.

5 Tertio notandum, *cum in hac figura sit almutes ♂ videndum est, à quo separetur, vel quis ab eo separetur. De separatione planetarum satis obscurè verba fecit auctor cap. 7. tract. 1. & obscuriùs hoc loco. Nam in nostra figura nullus planeta separatur a ♂ & ipse à nullo separatur, præceptũ igitur non est vniuersale. Videtur enim hic auctor noster verba facere solum de separatione corporũ, non de separatione per aspectum. Nam si applicatio est tam corpore, quàm aspectu. & separatio, quæ est eius contrarium, & corpore, & aspectu existimanda est: præferenda tamen est semper separatio, quæ fit corpore separationi, quæ fit aspectu. Vt autem hanc separationem, imo & omnes planetarũ aspectus, oculis cernere possis non pigebit transferre in hunc locum, quod in hanc sententiam scribit Valentinus Naibod in Alcabitium, duc in longitudinem lineas circiter tredecim, atque in spacijs summitatum ab Ariete incipiendo duodecim signiferi signa describe. Postea lineas prioribus transuersales septem spacia pro numero septem planetarum complectentes ducito. Denique in primo supremoque spacio depinge characterem illius planetæ, qui pauciores sui signi gradus perfecit, idque sub signo illo, in quo planeta*

ille

ille paucarum partiũ reperitur. Proximum ſpacium occupare debet is planeta, qui poſt priorem pauciores partes ſui ſigni perambulauit. Pari ratione ſequentia ſpacia reliquis planetis tribuenda ſunt, ita, vt plurimum ſpacium ſortiatur is, qui cęteris omniũ plures ſui ſigni partes peragrauit. His ſe ita habentibus, ſi ſingulorum planetarũ epochis ad marginem annotatis, ex vtroque latere planetarũ, aſpectus vniuerſos conuenientibus ſignorum ſpacijs inſcripſeris, tabellam radiorum aſtronomicam perfectã obtinebis. Hęc Naibod, qui & ſi in viuis adhuc eſt, eius tamen auctoritate vti non veremur. quod enim benedictum eſt, quid attinet immutare? Quod alienum eſt, quid vſurpare?

Tabella inſeruiens ſuperiori figure

♈	♉	♎	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓	G.	M.
□	✶		☉		✶	□	△		☍		△	2	45
✶		♀		✶	□	△		☍		△	□	5	72
♄		✶	□	△		☍		△	□	✶		6	0
□	△		☍		△	□	✶		☽		✶	18	32
	♂		✶	□	△		☍		△	□	✶	23	45
□	✶		☿		✶	□	△		☍		△	24	43
♃		✶	□	△		☍		△	□	✶		29	29

♂ vt cernere eſt in ſuperiore tabella, & in figura à nullo ſeparatur, cum iam ſeparatus ſit, nulluſque ab eo ſeparatur, corpore videlicet, ſed aſpectu ✶ ☿ ſeparatur ab ipſo ♂.

6 Nam ſi, ſi maſculinus eſt, ait auctor noſter, planeta, à quo ſeparatur almutes, vel ſeparatur ab almute fuerit maſculinus, ęgrotus maſculus fuerit, ſi fęmininus, erit fęmina. quam veritatem habeat hæc ſententia, viderint medici ſępiſſime, & rem euentis comprobent. Auctoris doctrinam nec laudo nec vitupero, pręſertim in his, quæ de ſexu, & vrina non uiſa tractat. Quę verò vniuerſalia ſunt, & maiorem habent euidentiam non laudo ſolum, ſed miris laudibus extollo. mihi ſatis eſt hoc loco auctoris ſententiam aperire. Vt autem ad rem redeamus, ☿ eſt qui nobis indicare debet ęgroti ſexum: cum autem ☿ ſit communis, quid dicendum medico ſi interrogetur de ſexu. ſciat peritus medicus, quod cõmuni ſententia aſtrologorũ ☿ aſſumit naturam eius planetæ, cui iunctus eſt, & ſi nulli iungitur, in cuius eſſentialis dignitate verſetur, hic nulli iungitur, & eſt in ♋ lunę domicilio: fœmininus igitur eſt: præſertim cum ſit occidentalis à ☉ quo loco planetę omnes fœminini dicuntur à Ptolemeo. ita in primo libro de iudicijs conſcriptum reliquerit, quod latine interpretatum eſt. Ac maſculeſcere quidem matutinas, & antecedentes, veſpertinas,

Bb 2

nas, & sequentes essaminari: Nolim tamen existimet lector ☽ esse masculinam cum pręcedat solem, semper enim femenina est, sed ☿ cum sit communis naturæ in ♋ est femininus, & esset femininus, si esset orientalis. Cum tamen sit occidentalis magis videtur esse femininus: cum tamen sunt planetæ orientales in cęteris rebus maiorem vim sortiuntur.

7 Et planeta, quod docet auctor hoc loco diligenter considerandum est, totum enim ferè hoc negocium de vrinis ex hac vna re pēdet. Verborum igitur priùs sensum haurias necesse est candide lector, quem illum esse censeo. Planeta malè afficiens almuten significat morbi naturam, domus verò eiusdem planetę, qui lędit almuten, & meliùs aspicitur ab eodem planeta domino indicant morbi caussam. Domus verò in qua est almutes morbi fundamentum patefacit. Ex quo iubetur auctor hic tria considerare.

1 Planetam corruptentem almuten.
2 Domum eiusdem planetę melius visam.
3 Domum cęli, in qua est almutes.

Ex his tria colligit.

Ex	Primo	Naturam	morbi	
	Secundo	Caussam		
	Tertio	Locum		

Iam id in nostra figura inuestigamus opostet. ♂ est almutes, ☿ respicit Martē ✶, qui etsi aspectus non malus sit, aliquid tamen obesse potest, cum ☿ non satis feliciter collocatus sit ponamus igitur obesse. ☿ igitur erit morbi caussa. Hic autem cum in Zodiaco duo habeat domicilia, ♍ & ♊, & ☿ meliùs respiciat ♍, quàm ♊, respicit.n. ♍ ✶ radio, ♊ nullo radio, qui vim significandi habeat, ob id ♍ morbi caussam significat. Domus prima, in qua est ♂ almutes morbi fundamentum .i. locum nostri corporis, in quo morbus est, declarat. igitur.

☿	morbi	Naturam	declarat.
♍		Caussam	
Prima domus.		Locum	

Iam igitur hæc omnia consideranda sunt ☿ vt in secundo capite primi tracta. dat omnes infirmitates, quæ ex incognita siccitate proueniunt, vt maniam melancholiam, neruorum lęsionem, epilepsiam &c. & ♍ dat morbos ex frigiditate, & humiditate, prouenientes, & prima domus det morbos (vt in capit. 5. primi tract.) ab vmblico vsque ad clunes cum ilijs, femoribus renibus, & lumbis, dicerem ego morbum esse in ijs partibus, præsertim in neruis ex frigiditate, & siccitate, quæ frigiditas, & siccitas, & in oculis, & gutture esset

propter

propter ♋ in quo ☿ versatur. cui rei attestatur illud, quòd, 6. domus, quam dedimus ei, qui vrinam portauit, læditur ab ipso ☿ □ radio, & a ♄ qui eandem suis radijs lędit cum distet ab ea tantum. gr. 8. qui & ipse frigiditatem, & siccitatem adauget. Hæc satis sint, vt via ad praxim aperiatur.

8 Quinto notandum, quinta domus a domo portationis vrinæ danda est hepati idest ægroti viribus, & hoc loco erit decima, quę incidit in gr. 15. ♌. Hoc cognito, quære almuten hepatis, qui erit vincens planeta in his quinque locis. loco hepatis, qui est (vt diximus) gr. 15. ♌ loco ♃, ♂, ♀, & partis hepatis, quæ sumitur semper à Ioue in Martem, & proijcitur à Venere, quod vt facias construe tabellam, vt in superiori almute. hoc modo.

Planetæ	♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽
Locus hepatis gr. 15. ♌	2	4	0	8	0	0	0
Locus ♃ gr. 19. 29. ♈	2	3	5	7	1	0	0
Locus ♂ gr. 29. 45. ♉	3	0	0	0	8	0	7
Locus ♀ gr. 5. 22. ♊	3	0	0	0	0	10	0
Locus partis hepatis. gr. 30. ♊	5	0	0	0	0	10	0
Dignitates collectæ.	15	7	5	15	9	20	7

☿ Igitur est hepatis almutes.

Cognito hepatis almute videndum, à quo ipse, vel quis ab eo separetur. Nam si qua inest in figura huiusmodi separatio facilè deprehendes tum hepatis, tum ventriculi virtutem, à virtute almutes hepatis habebis hepatis ægroti virtutem: ab eo, qui separatur ab hoc, vel à quo hic seiungitur virtutem uentriculi, dignosces: hoc est, quod mihi videtur sentire auctor, qui obscurioribus uerbis rem ipsam tradit. Quisque tamen suo iudicio utatur, & si potest meliorem perquirat sententiam: hoc autem in nostra figura exemplo comprobemus. ☿ hepatis almutes à ♂ separatur, ☿ igitur status, qui cognoscitur, ex dignitatibus, de quib. dictũ est in primo libro ♄ hepatis statum declarat, & ♂ uirtus uirtutem stomachi aperit. colligas igitur ☿ dignitates hoc modo. ☿ est in gr. 25. ♋, in quo nullam habet dignitatem, sed cum sit in 9. domo ibi habet .5. dignitates, ut cap. 8. primi libri, ☿ autem est in gr. 24. ♉ in quo pariter nullā habet dignitatem, at cum sit in septima domo obtinet ibi decē dignitates, melius, igitur se habet uentriculus, quàm hepar. ♂ quoq; lædit hepar siccitate tum per se tũ propter signũ in quo est in ♉ scilicet ☿ quoque occidentalis affert siccitatem ♌ quoq; cũ sit locus hepatis. idem significat. Cum autem ab hepatis almute nullus neque hic ab vllo planeta seiungitur iudicium

dicium sumes de totius corporis virtute ex vtroque Almute ascendentis scilicet, & hepatis.

Videndum est etiam sitne quid, quod malè afficiat domum vrinæ portatoris, vt in hac figura est ♄, qui suis radijs lædit 6. domum, qui (vt dictum est) addit frigiditatem, & siccitatem, & pectori, cum illam partem offendat cum sit in ♈, & cum lędat sextam addit etiam eandem frigiditatem inferiori ventri. Sed his omissis ad vrinæ iudicium accedamus.

9 Contenta in vrina, Vrinæ significatores sunt locus hepatis, & planetæ ei loco vel iungentes se corpore, vel illum locum aspicientes, & si nullus adest huiusmodi, est dominus termini, in quo reperitur locus hepatis, in nostra figura ♄ ♀ △ respicit locum hepatis, platicè, qui cum gubernet uirtutem retentiuam, & ibi nullam habeat dignitatem ostendit virtutem retentiuam esse debilem. ♀ autem cum sit domina termini, in quo est locus hepatis, & ipsa sit debilis, sic ratione dignitatum, vt loci figurę, cum sit in octaua, & Venus sit frigida, & humida, erit ♋ socia, quæ pręest expulsiuæ, hęc quoque pars debilis erit. ♂ quoque nimis fortasse platicè respicit locum hepatis; is autem cum sole ratione siccitatis, & caliditatis potest præesse attractiuę, qui cum sit fortior cęteris ratione loci, cum Mars sit in septima, videtur attractiua fortior expulsiua, atque retentiua. erit igitur vrina tenuior, & contentis carens. Nam, vt ait auctor.

Virtus retentiua debilis,
Et expulsiua fortis.
Facit, vt sit in vrina multum de humoribus, & nimis cocta appareat.
Virtus expulsiua debilis.
Retentiua fortis.
Vrina est tenuior, & contentis carens.
Si digestiua virtus æstu excesserit innaturali.
Separatiua debilis:
Erit vrina liuida, & turbida.
Separatiua fortis.
Digestiua debilis.
Vrina erit temperata in colore, & substantia.

10 Pro ægris, superior regula tradita est, ait auctor. potius pro sanis, quàm pro ægris: pro ęgris satis est considerare locũ hepatis, qui hoc in loco, est ♌ calidũ & siccum signum est, quo virtus attractiua roboratur. ☿ est almutes loci hepatis in ♋ & ob id sibi assumit naturam ♋, qui cum sit debilis, ostendit virtutem expulsiuam esse debilem, cum sit locus hepatis fortior ratione loci in figura decima, quę est locus hepatis fortior nona, quæ est locus almutes hepatis: fortior igitur est attractiua. ergo erit & hoc modo vrina tenuis, & contentis carens, & ♂ almutes ascendentis cum sit in septima facit

facit attractiuã potentem tum per se, tum quòd respicit signum loci hepatis.

11 Coloris & substantia, *traditis vniuersalioribus ad vrinam dignoscendã, ad minus uniuersalia nunc descendit, quę vt faciliùs intelligantur, prius intelligenda sunt, quę in his tabellis depicta sunt.*

Tripicitas	*Ignea*	*cholerę*	*respondet*
	Aerea	*sanguini*	
	Aquea	*phlegmati*	
	Terrea	*melancholię.*	

♄	*Preest*	*melancholię*
♃		*sanguini*
♂ *cum* ☉		*cholerę*
☽ *cum* ♀		*phlegmati.*

12 Aries si est, *Non ♈ solum, sed tota triplicitas ignea.*

13 Si locus, *non ♑ sed tota triplicitas terrea.*

14 Si sit ♓ *cum reliquis ex triplicitate Aquea.*

15 Si Sol, *ex mixtione planetarum, & signorum urinę quoque colores miscentur, ut ex ipso auctore colligere potes.*

IVDICIVM AVTEM VRINAE visę, per sequentia apprehendes.

INCIPIT Secunda pars de iudicio vrinæ visæ, in quo occurrunt octo consideranda. Primum, quod occurrit in inspectione vrinæ, est color, quorum communiter secundum auctores viginti numerantur, inter quos primus albus est, vt aqua fontis purissima. Niger mortificationis, vt cornu bene nigrum.

Niger ex adustione, vt incaustum. Lacteus, vt serum lactis, Glaucus, vt cornu album lucidum. Charopus, vt vellus cameli subalbidum, & assimilatur panno, qui dicitur gallicè, camelot, qui fit partim ex albo, & nigro, plus tamen ex albo, assimilanturque etiam lapide onicho. Subpallidus, vt decoctio semicrudę carnis. Pallidus, habens plus paulo fellis. Ruffus, vt aurum purissimum. Subruffus, vt aurum emissum, & parum impurum.

Rubeus, vt crocus orientalis. Subrubeus, vt crocus hortulanus. Rubicundus, vt flamma ignis non remissa, alij nominant hunc colorem Erytron.

Sub-

Subrubicundus, siue hyperytron, vt flamma ignis remissa, seu vt colore dactilaris. Inopos, vt vinum nigrum. Kyanos, vt color hepatis, aut vt sanguis putrefactus. alij vt color purpureus.

Viridis siue chloron, vt caulis viridis, seu succus porri.

Liuidus, seu pelidnon, vt plumbum, sed liuidus ex adustione vel mortificatione, vt cornu nigrum, liuidum, & est mortalis. Citrinus vt color pomi citri. Subcitrinus idem, sed remissiuus.

Secundo, in iudicando vrinam, noui tyrones medicæ artis diligẽter aduertant, an sit vrina hominis, vel alterius animalis: nam sæpius in hoc medici tentantur. Vrina enim hominis de quanto plus approximatur oculis, de tanto spissior apparet, & de quanto plus elongatur de tanto magis clarificatur, quod non est in alijs vrinis. Vrina enim asini in vrinali, est sicut butirum liquidum cum turbiditate, & grossitie exteriùs apparente declinans ad albedinem. Subiugalium verò vrinæ, ferentium iuga, sicuti muli, equi, iumenta, & similia, assimilantur vrinæ asini in substantia, & tendunt ad citrinum colorem, & in his vrinis apparet superior medietas vrinalis clara, & inferior medietas turbida. Sed vrinæ ouium sunt albæ, declinantes ad citrinitatem, propinquę vrinis hominum, sed sunt semper aquosæ, & tenues, & sedimen eius est sicut oleum, vel sicut amurca.

Tertio videant an vrina sit viri, vel mulieris. Mulierum enim vrinæ sunt magis grossæ, & albæ, minus pulchræ virorum vrinis. Et masculorum vrinas, cum moues turbantur, & ascendat eius turbatio ad superiora, & secundum plurimum turbitantur, sed mulierum vrinæ, non ferè turbantur ex motione, & habet in plurimum supra sumitatẽ suam, spumam rotundam, & si turbidæ fuerint earum turbatio, pauca erit.

Differunt enim vrinæ mulierum, & senum. Mulierum enim vrinæ pulchriores sunt, & lucidiores, quàm senum. Senum crudiores, & liuidiores: quia calor naturalis propinquus est extinctioni. Et cum mulieres ad senectutem peruenerint, naturaliter earum calor calore senũ est defectior, & vrinę minus lucidæ, & magis liuidę. Sed vrina prægnantium mulierum à primo, secundo, tertio, vsque ad sextum mensem exclusiuè, est citrina pallearis ad subalbedinem declinans, clara in superficie habens nebulam, in medio cotum carminatum, in qua apparent granula ascendentia, & descendentia, sed in medio impregnationis, vt in sexto, septimo mense, vel circa, erit similis aquæ, in qua cocti sunt pedes vituli non excoriati. Nam facta retentione sanguinis, natura matricis existẽte forti, expellit per porositates aliquid sanguinis fusti retenti, qui cum vrina miscetur, causans talem colorem: Sed in fine impregnationis apparet in vrinalibus rubedo, maximè cum mouetur vrinale

le plus tunc etiam turbidatur, quia tunc plus de sanguine retento expellitur.

Quarto uideatur, an urina sit pueri, uel alterius.

Vrina
- Infantium, habet colorem lactis, qui est albus.
- Puerorum, debet esse multa, & grossa, albedini vicina.
- Iuuenum, ignei coloris, rubei, vel crocei.
- Senum, declinat ad albedinem, & subtilitatem, & sunt vrinæ eorum quandoque grossæ, Isaac dicit eam esse citrinam, citrinitate remissa, sicut color palearis.
- Decrepitum, est maioris albedinis, & tenuitatis vrinis senum, & est quandoque grossa, & si est vehementer grossa, erunt senes apti ad passionem calculi.

Quinto, quommodo sciri poterit complexio ex inspectione vrinæ.

Vrina
- Temperata in liquore, & colore, idest citrina clara, mediocris inter citrinum, & igneum colorem, & inter liquorem grossum, & spissum, indicat complexionem temperatam, in qua nulla qualitatum aliam superat.
- Rubea in colore, grossa in liquore, indicat complexionem calidam, & humidam sanguineam.
- Rubea, & subtilis complexionem calidam, & siccam. cholericam. Alba grossa, complexionem frigi. humidam, phlegma. Alba, claram complexionem frigidam, & siccam. Melancholiam.

Et qualitates actiuè solum dant colorem vrinæ, & non passiuè. Caliditas enim sua præsentia colorat vrinam. Frigiditas vero, cum adest remittit colorem, & calor præstat ruborem, frigus albedinem. Et humiditas inspissat vrinam, siccitas vero clarificat.

Sanguis	Dominatur in	Anteriori parte capitis.
Cholera		Dextra parte capitis.
Phlegma		Posteriori parte
Melancho.		Sinistra parte capitis.

Et principaliter in vrina ista sunt consideranda, color, substantia scilicet, vtrum vrina sit spissa, an tenuis, quantitas vtrum multa, vel pauca. Contentum, vt est hypostasis, arenulæ, nubes, spuma, & odor &c.

LIBER

Sexto. *Sequuntur regulæ de coloribus urinarum, & primo de colore albo.*

Alba ſplendida tenuis, ſignificat opilationem, & maxime ſpleni, diſcolorationem faciei, ſomnolentiam, pigritiam in toto corpore, & grauitatem, & dolorem in parte ſiniſtra.

Alba cum circulo in parte ſuperiori plumbeo opilationem in cerebro, & epilepſiam ſignat, ex materia groſſa phleg. aut melancho.

Alba mucilaginoſa, indicat abundantiam humorum frigidorum, phlegmaticorum, groſſorum, & crudorum.

Alba ſemilucida, ſanioſa, ſimilis colori fungi, vlcerationem in renibus, & in vijs vrinæ. Et omnis vrina ſanioſa, demonſtrat aut rupturam apoſtematis, aut vlcerationem in vijs vrinę.

Vrina alba tenuis, aliqualiter liuida ſine ſanie, vt eſt color fungi, indicat lapidem in renibus, vel veſica. Alba ſpiſſa, vnctuoſa, per totum ſignat ethicam. Et vrina vnctuoſa in omni ægritudine mala, & ſignificat lapidis diſſolutionem, & liquefactionem.

Vrina alba in febribus poſt citrinum, aut tinctam, indicat permutationem febris ad quartanam. Vrina alba, & ſecundum partem plumbea, ſine hypoſtaſi, mortem.

Alba tenuis cum reſolutionibus albis, & rotundis, veluti athomis artheticam ſignificat.

Vrina alba, & ſpiſſa in ſubſtantia liuens ſuperiùs cum reſolutionibus cineroſis reſidentibus multæ adherentiæ, indicat deſcenſum matricis, ex phlegmate lubricante, & grauitante. Vrina alba, vt lac in hyabetica, mortem ſignat.

Vrina alba tenuis multum, & ſæpe micta, dyabeten ſignificat.

Alba, & ſubtilis in icteritia, indicat hydropiſim futuram.

Alba, & ſubtilis in febre mala. Alba, & ſubtilis in dolore ancharum, opilationem in vijs vrinæ, de phlegmate groſſo ſignificat in febre opilationem de cholera groſſa. Alba cum prurigine corporis, & in inferioribus ventris, indicat arenam futuram in veſica.

Alba, & groſſa in febribus lenibus, anguſtiam, & timorem.

Alba, & groſſa ſine hypoſtaſi, timoroſa., & mala. Alba, & groſſa quaſi oleagina mortem. Alba groſſa nebuloſa ſicut ſpuma, peſsima.

Alba habens nebulam quaſi niueam, dolorem in renibus ſignat, & morbi diuturnitatem. Alba putrida in febribus alienationem mentis. Alba groſſa non mutans ſe longo tempore lapidem in renibus futurum. Alba tenuis pauca, ſignificat aliquid in ſtomacho digeri non poſſe.

Alba ſpiſſa, dolorem in poſteriori parte capitis, ex phlegmate, & febrem



brem continuam ex phlegmate. Alba tenuis multa, indicat terminationem febris. Alba cum quadam liuiditate hydropisim.

Alba subtilis cum arenosis resolutionibus, dolorem renum.

Alba multa cum carneis resolutionibus dyabeten. Alba tenuis cum nigris resolutionibus, passionibus matricis. Alba in principio febris acutæ cruditatem materiæ, & debilitatem caloris, & prolixitatem ægritudinis. Vrina multum alba in pueris mala, & si fuerit aquosa pessima, in sene longam ægritudinem.

Alba tenuis in hydropisi euasionem signat, in causonide dolorem capitis in anteriori parte à caliditate, aliquando priuationem rationis, aut eruptionem sanguinis è naribus.

Alba tenuis cum granulis in circulo superiori distinctis, artheticam seu catarrum signat. Alba tenuis, & quasi virens in circulo plumbeo superiori, epilepsiam. Alba mediocriter tenuis in febre, litargiam notat. Alba mediociter spissa cum quadam gleba indigesta, quotidianam de phlegmate vitreo significat.

Alba, & tenuis in sanis multum potationem significat cum largo cibo, maxime si sit vinum exile. In senibus vero talis vrina, debilitatem virtutis digestiuæ significat.

Alba tenuis in tertiana, & causone, vel huiusmodi febribus adurentibus frenesim futuram significat.

Alba, lactea, tenuis, in principij febrium mala; quoniam diuturnitatem febrium seu ægritudinis significat. In declinatione verò, si multa, solutionem significat.

Alba, pinguis, in acutis ægritudinibus, liberat apostemata in articulis nata, his, qui dolebant, & his qui quodammodo in ægritudine laboriosa erāt, & his, qui diu fuerunt in multitudine piuguium humorum.

Lactea pinguis, si in fine venit litiasim vesicæ aut renum significat.

Alba, clara sicut aqua, significat digestionis defectum, & virtutis nutrituræ debilitatem, aut opilationē, aut vtrūque significat, & dyabeten.

Alba, quæ spermati assimulatur, significat humorum phlegmaticorum, frigidorum crudorum abundantiam, & vt plurimum apoplexiam, aut similem ægritudinem, & pueri hanc habent vrinam cum epileptici fiunt, & est plurimum prædictionis signum.

Alba subtilis, alba turbida, significat contrarium digestionis.

Lactea, in acutis ægritudinibus perniciosa.

Alba vrina in febribus acutis, post tincturam vrinæ, quæ præcessit febrem, significat raptū cholorae de aliquod membrū, quod generatur apostemata, vel ad fluxū ventris, aut significat raptū cholorae, ad caput,

Lactea tenuis pauca, lapidem in vesica significat.

Alba clara, vlcera pulmonis, & maxime si multa fuerit.

Alba spissa, granulosa, turbida, & pauca, fluxum ventris significat.

Alba turbida sicut subiugalium, dolorē lateris pungitiuum sinistri.

Vrina lacti acetosi similis in febre acuta, aut citam portendit mortem. aut seditionem febrilis caloris, & eius leuitatem, aut si leuior factus fuerit, significat ægrum ad ethicam peruenturum, vel ptisim.

Alba spumosa, dolorem in sinistro latere significat.

Lactea, spissa, pauca crassa inferiùs cum squamis lapidem, sine squamis fluxum ventris.

De urina nigra.

Vrina nigra multa tenuis in quātitate in quartana soluit quartanā

Nigra pauca quadam caligine circumfusa, colore liuido præcedente extinctionem caloris naturalis, & mortem.

Nigra, pauca, lucida, in modum cornu præcedente viriditate, vltimam adustionem significat.

Nigra, multa, spissa cum sedimine nigro in fundo, solutionem menstruorum significat.

Nigra, pauca, fetida, vnctuosa, vel oleaginosa, cum sanitate renum, & vesicæ in febre continua, mortem significat.

Nigra, grossa, pauca cum sedimine sanioso, rupturam apostematis renum significat.

Nigra, grossa, pinguis, pauca valde in quantitate cum sedimine rubeo sanioso rupturam apostematis vesicæ significat.

Nigra, multa in quantitate, in die critico habens pendentem nubem, seu nebulam in superficie, vel sedimine enormi, surditatem aurium, vel futurum fluxum sanguinis narium significat. Et si apparuerint signa bona, vti si dormiat, comedat &c. liberabitur, si mala, morietur.

Nigra habens in superficie spumam citrinam, mixtam cum liuiditate, & nigredine, icteritiam intrinsecam significat.

Nigra, & subtilis in febribus peracutis pessima, & maximè si pauca sunt.

Nigra si venit in principio morbi cum tremore accidentium, & permanet vsque in diem septimum, postea vero bona superueniente vrinam cum hypostasi alba, declinationem morbi, & salutem indicat. Sed si non sequitur laudabilis significatio, sed angusta anhelitus, sudor in membris superioribus, alienatio mentis, paruitas desiderij cibi, perditionem, & mortem significat.

Nigra in restrictione menstruorum, sine febribus, vel alijs rebus, vrinam tingentia, cito sanabitur mulier.

Nigra in febre ſpaſinum ex ſiccitate. Nigra in febribus peracutis vehemens cum ſudore capitis, colli, & dorſi, & cum ſuſpirio, ſignificat mortem.

Nigra in magna quantitate, quæ tingit pannum, ſignificat ſuper criticam expulſionem, & eſt valde ſignum bonum.

Nigra multa in quantitate cum hypoſtaſi nigra, in die critica ſuperueniens, in febre acuta cum odore acuto, ſedimine ſubtili, ſignificat dolorem capitis, permixtionem rationis, & fluxum narium in die critico.

Nigra cum odore magno, inflammationem in membris ſpiritualibus, & in febre acuta aliquando mortem.

Nigra, quam præcedit citrinitas, aut admixta citrine, ictericiam.

Nigra, quam præcedit fuſtedo, ictericam nigram, aut ſpleneticam.

Nigra, quã præceſsit viridis declinãs ad viriditatem, mortem notat.

Nigra in muliere cum humore feculento in fundo reſiſtente, ſignificat actualem fluxum menſtruorum.

Nigra multa in quãtitate, cui non eſt virido, apparens in febre quartana, & doloribus dorſi, & matricis, ſignum ſalutis.

Nigra ſpiſſa cum ſedimine rotundo, cum intenſione hypocundriorum, aut ſtante ſudore, aut apoſtemate in aliqua parte, ſignum mortis.

Nigra ſpiſſa, multa in mulieribus carentibus menſtrua, fluxum menſtruorum ſignificat, vel infirmam purgari per vrinam.

Nigra granuloſa per reſidentiam inferiùs ſpiſſa, & ſuperiùs clara, purgationem menſtruorum ſignificat.

Nigram ſuperiori parte in febribus acutis, cum ſurditate capitis, criſim cum fluxu ſanguinis è naribus ſignificat.

Vrina nigra quaſi ſanguis obſcurus in pleureſi, mortem.

Nigra, & groſſa in acutis febribus ſpaſmum, & ſi alienatio adfuerit deſiderium auferendi cibum, mortem ſignificat.

Nigra, & fętida ſine dolore veſicæ mortalis. Nigra bona eſt in lapidibus, & ægritudinibus renum, prouenientib. ex humoribus groſsis.

Nigra etiam mala eſt in ęgritudinibus renum, & veſicę, quando eſt ibi vęhemens ardor, ſignificat enim cancrum in eis, vel vlcera maligna.

Nigra non eſt bona in ſenibus in vtroque ſexu.

Nigra aquoſa, ſignificat perditionem in omnibus ætatibus.

Vrina nigra multum in mulieribus, ſi mota aliquantulum ruborem habuerit, ſolutionem menſtruorum ſignificat.

Nigra in febribus fortiſsimis cum paruis fruſtis, mortem, & maximè ſi eſt pauca.

Et ad ſummum. Vrina nigra, hoc eſt perfectè nigra, ſignificat aut vehemens incendium, aut fortè frigus, aut mortem, aut caloris naturalis

lis superationem, aut crisim, & expulsionem naturæ, qua ipsa choleræ nigræ expellit superfluitates.

Vrina crassa, seu pinguis, idem purgationem melancholici humoris ostendit, quemadmodum in quartana, & nonnunquàm in febribus spasmum signifi.

Raro reperitur nigra vrina tenuis, sed vt in plurimum crassa, seu pinguis, & grossa.

De colore liuido urinę seu plumbeo.

Vrina liuida per totum in omni ægritudine est signum mortis.

Liuida aliqualiter sub nigra, quam præcesit vrina viridis mortem.

Vrina, in qua est circulus plumbeus, aut liuidus in parte superficiali, declarat epilepsiam.

Vrina secundum partem liuida stante tumefactione ventris, magnã demonstrat hydropisim.

Liuida in hydropisi, difficilem curam significat.

Liuidam possibile est apparere in febre stomachali.

Liuida secundum partem superficialem, aut mediam cum granulis minutis seiunctis & separatis, significat in membris spiritualibus aut pleuresim, aut peripleumoniam.

Sed si granula sunt vnita, arguit super dispositionẽ renũ, & hepatis.

Et ne medicus decipiatur si viderit vrinã istam cum granulis minutis, & separatis, debet prognosticare apostema pectoris, non limitãdo, nec ad pleuresim, nec peripleumoniam.

Liuida perseuerans in pleuresi, aut peripleumonia, est signum pessimum, & mortale.

Liuida pauca secundum partem oleaginosa in qualibet ægritudine mortem designat.

Liuida pauca frequenter micta stranguiream significat.

Liuida secũdum partem in emitriteo magno, aut paruo, periculosa.

Liuida in ptisi, signum mortale propinquum morti.

Liuida in doloribus arteticis communiter apparet, & maximè illius, cuius est reuma à parte superiori per spinalem medullam, ad sliam, vel ad genu descendens.

Liuida, in qua apparent frusta resoluta dolorem arteticum signifi.

Liuida continget ex fluxu catarrali ad diuersas partes.

Liuida fit ex restrictione, & oppilatione menstruorum.

Liuida in febre ethica mortem.

Liuida in tremore cordis arguit ipsum incurabilem.

Liuida in frenesi, signum mortis.

Liuida vsque ad mediam regionem, dehinc ruffa, vel subruffa indicat

ſuper apoſtemata pulmonis,quandoque fit interius Karops,& hoc maximè in pleureſi,& peripleumonia. In pleureſi tamen apparet rubea, vel ſubrubea, & ſpiſſa appoſita manu in ſuperficie liuida ex ſanguine.

Liuida pauca cum quibuſdam oblongis reſolutionibus, ſignificat paruum emitriteum.

Liuida cum circulo granuloſo,vitium pulmonis indicat.

Liuida ſpiſſa,dolorem hepatis,ſi ſentitur dolor in dextro latere.

Liuida turbulenta intenſè,fluxum ventris ſignificat.

Liuida ſpiſſa cum albis,& longis reſolutionibus,abundantiā phlegmatis ſignificat,& ſentitur dolor circa inteſtina.

Liuida remiſsa, & ſpiſsa, & in ea corpuſcula liuentia in vrina diffuſa ſignificat retentionem menſtruorum.

Liuida cum furfuribus,dolorem veſicæ,& circa pectinem.

Liuida pauca vix micta,mortem ſignificat.

De vrina rubea,ſubrubea,ruffa,&c.

Vrina ruffa,vt aurum purum,mediocriter tenuis,& æqualis,ſignificat hominem ſanum,ſi talis vrina apparet in puero,in ſene phlegmatico,& muliere febrem ſignificat. In puero continuam,in ſene,& muliere tertianam. In autumno quartanam, & offenſionem hepatis.

Rubea cum febre acuta bona eſt.

Rubea cum hypoſtaſi nimium alba,diſſolutionem febris ſignificat.

Rubea pauca ſubtilis peſsima.

Rubea pauca cum hypoſtaſi,nigra,turbida,mortalis.

Rubea pura,parua,in hydropiſi mortem.

Rubea quaſi ſanguis in acutis febribus, mortem ſubitaneam.

Ruffa in tertia parte ſuperiori alba, dolorem capitis,& alienationem mentis ſignificat.

Rubea cum vomitu eriginoſa, & aſperitatem lingue, mortemque ſignificat.

Ruffa parua in icteritia,diſſolutionem morbi ſignificat.

Ruffa in ſubſtantia per totum,ſpiſſa cum circulo liuido,& granuloſo,ſignificat apoſtema in inguinibus,aut genitalibus membris.

Ruffa tam ſuperiùs,quàm inferiùs,ſpiſſa,& manu appoſita in ſuperficie liuida, & oleagina cum crinoidibus ethicam ſig.

Rubea ſubtilis,vactuoſa, dolorem arteticum, & alienationem mentis ſignat.

Rubea fetida cum hypoſtaſi nigra, & turbida quaſi pili, vel in vnctuoſitate,peſsima eſt,& mortalis.

Rubea in hylcon, ſeu hiliaca paſsione peſsima.

Rubea ſine hypoſtaſi mala.

Rubea

Rubea grossa in febre acuta, dolorem capitis, & hypocondriæ, & colli grauitatem significat.

Rubea sicut sanguis, siue sicut vinum nigrum sine dolore capitis laboriosa si in qualitate illa permaneat, futurus est lapis in vesica.

Rubea quasi color sanguinis parua, & subtilis mala est, & maximè in sciaticis.

Rubea quasi color sanguinis in acuta febre, & tremore corporis, & dolore in dextro hypocundrio, mortalis.

Si quis mingit sanguinem multum, & subito venam in renibus habet incisam, vel hepate, vel in menstruis.

Rubea vini faciem habens, ad atrum tendens, indicat liberationem à malo in senibus, tales in fine factæ, in calculosos humores cõmutari.

Subruffus color simili sanguinis, crassam habens substantiam, longitudinem ægritudinis.

Rosacea vrina, significat albam bilem, si habuerit in medio nebulam nigram, letale signum, sed si nigra non fuerit, indicat tostam bilem in corpore.

Rubea spissa, febrem synocham, & tertianam, si liuens, cottidianam.

Rubea clara multa, caliditatem pulmonis.

Rubea spissa, & turbida, indicat fieri dolorem pungitiuum lateris dextri.

Rubea vrina tingens pannum in ea tinctum, ictericiam significat, & de quanto rubior est, & tinctior, ita quòd tinctura eius à panno difficulter remoueri poterit, de tanto sanior est in icteritia, & liberabit ægrotantem. Sed quando vrina fuerit alba pauci ruboris in icteritia, indicat futuram hydropisim.

Vrina russa quasi vini spuma, alienationem mentis.

Rufia cum hypostasi nigra, in spleneticis mala.

Rubea in ægritudinibus renum perseuerans rubea, significat apostema calidum.

Rubea sicut rosa ephimeram, sed si cõtinue mingatur quottidianà.

Ruffa, vel subruffa inferiùs habens resolutiones rotundas, & albas superius aliquantulùm pinguis, ethicam febrem significat.

Subrubea clara, spumosa, dolorem in dextro latere maiorem, quàm in sinistro.

Ruffa, vel subruffa per totũ spissa, & distincta liuens cũ appositione manus pauco tempore præcedente peripleumoniam, seu pleuresim, vel quottidianam de phlegmate dulci cum reumate vel guttam de causa calida vel astliten significat.

Rubea vel subrubea, distinctè liuens, manu apposita pleuresim.

Rubi-



Rubicunda vel subrubicunda in substantia per totum tenuis, & liuens veluti ignis, & cum spuma, febrem causonidem. Si talis vrina fuerit per totum spissa non liuens, significat synocham, sed si fuerit mediocriter tenuis, causon significat, si fuerit mediocriter spissa, synochen significat.

Ruffa apparens cum nebula, alienationem mentis.

Vrina rubea, vt purpurea, vel vt color hepatis spissa in fundo magis turbulenta, & feculenta cum quibusdam corporibus nigris fluxum, hęmorrhoidarum, vel menstruorum significat.

Rubea perseuerans in ægritudinibus acutis, nullam faciens residentiam, perditionem ægri significat, aut apostema calidum.

Rubea in dolore capitis, desipientiam significat.

Rubea grossa turbida, significat apostema in hepate, aut eius debilitatem.

Vrina rubea in { Spasmo, Apoplexia, Epilepsia, Paralisi, Ptisi, Peripleumoniam, Dissenteria, Colica } vt in plurimum mortem.

Color { Rubeus rosacius, seu roseus, est color mixtus aliquantulum rubedine sicut rosa. Rubeus obscurus sanguini venali similis est. Rubeus puluerulentus, qui in superficie videtur habere quandam nigredinem, & hi tres colores sanguinis dominium } significat.

De urina citrina, & subcitrina.

Subcitrina pallori vicina per totum tenuis melancholiam naturalem abundare significat,

Subcitrina tenuis, & parum incensa, choleram abundare signifi.

Subcitrina spissa per totum, quotidianam de phlegmate signif.

Subcitrina mediocriter tenuis, plus ad modicitatem accedens quotidianam de phlegmate, acetoso significat, & indigesto.

Subcitrina mediocriter tenuis, plus ad tenuitatem accedens, choleram vitellinam abundare significat. Si fuerit incensa multum tertianā de cholera vitellina. In pueris duplicē vel minorem hemitriteū. In muliere vel sene, melancholico, & phlegmatico simplicem quotidianam.

Subcitrina cum ſpuma crocea, icteritiam croceam ſignifi.

Citrina tenuis cum ſubſtantia obſcura ſincopin in mulieribus.

Citrina cum circulo citrino, & ſimiliter ſubcitrina laudabilis eſt.

Citrina tenuis, & magis tenuis in ſuperiori parte, & præcipue cum ampullis, & granis, ſignificat vitium thoracis, & ſtricturam pectoris, & quandam præcipitationem ad ptiſim.

Citrina, vel ſubcitrina multum clara, & virgulata, & feneſtrata ſpleneticam paſsionem ſignificat, & dolorem articulorum, aut condylomatum, & hemorroidum. Et ſi fuerit multa in quantitate cum ſiti, & macilentia corporis, & conſtipatione ventris ſignificat diſtemperantiam hepatis in calore.

Citrina, & tenuis in febre acuta in principio apparens cruditatem materiæ ſignificat, & morbi prolixitatem, & defectum virtutis, ſi apparet talis vrina in medio morbi, vel in fine præcedente vrina rubea, vel rubicunda phreneſim ſignificat, ſed ſi præceſsit critica purgatio, deſignat conualeſcentiam, & morbi declinationem.

Citrina ſubtilis in corporibus ſanis laudabilis eſt, in infirmis autem illaudabilis.

Citrina tenuis, & multum limpida, dolorem ſplenis notat.

Citrina tenuis, & multa, conſtipationem, & dolorem hepatis.

Vrina citrina clara, indigeſta, ægritudinem ſignificat, & timendus eſt infirmi defectus.

De vrina pallida, & ſubpallida.

Pallida vrina ſignificat defectum ſtomachi, & impedimentum ſecundæ digeſtionis.

Pallida tenuis, & clara, acetoſum phlegma ſignificat.

Pallida inferiùs in viris dolorem renum, in mulieribus vicium matricis ſignificat.

Pallida, vel ſubpallida per totum ſpiſſa, phlegma abundare ſignat, ſed ſi fuerit tenuis, melancholiam ſine febre.

Pallida mediocriter ſpiſſa phlegma acetoſum digeſtum ſigni.

Tenuis verò indigeſtionem phlegmatis acetoſi ſignificat.

Pallida per totum ſpiſſa in febre acuta, lethargiam deſignat.

Sed ſine febre longo tempore præcedẽte hydropiſim de phlegmate.

Pallida, vel ſubpallida cum alijs bonis ſignis in febre acuta, apoſtema ſub dyaphragmate ſignificat.

Pallida, vel ſubcitrina ſpumoſa ſuperiùs, cum quadam liuiditate oleagena, & cineritia, pauca, ſolutionem ventris, circumſcripta ptiſim ſignificat. Si fluxus ventris ſuperuenit, mortem.

Pallida groſſa habens circulum rubeum præſilinum, in fundoque

nubem

nubem magnam per vrinam diuulsam dolorem hepatis, & dextri lateris, maximum calorem, & apostema intrinsecum, cum capitis dolore.

Pallida cum mediocri spissa substantia, sanum phlegmaticum.

De vrina lactea, & corporis grossa.

Lactea crassa, quæ minutim mingitur, calculum vesicæ, vel renum significat.

Lactea in principio in febre acuta apparens, aut notat mortem, vel vitam, si bona signa appareant, vt sopor, bona respiratio, significat vitam, si his contraria, mortem.

Lactea, vel caropos cum spissa substantia, si multo tempore fuerit turbida, & apposita manu liuida, hydropisim significat.

Lactea, vel caropos spissa sine arenulis, cholicam, & iliacam passionem, ex crudo, & viscoso humore phlegmatis significat, vnde circa intestina torsio sentitur.

Lactea spissa, si sint arenulæ in fundo, lapidem designat.

Lactea spissa, dolorem capitis propter humores phlegmaticos in cerebrum ascendentes.

Caropus significat multitudinem humorum corruptorum, sicut accidit in phlegmatico, hydropico, podagrico, & in alijs consimilibus.

De vrina inops, & Kyanos.

Et est color inops quasi vinum, quod vergit in nigredinem, sicut vinum italicum, & quod fertur de calabria. Kyanos verò profundiorem habet nigredinem, & etiam multiplicem colorem, vt in quadam parte rubicundus, in quadam niger, & in alia liuidus, vel viridis apparet. Vrina inops sicut vinum inferiùs obscurum, & turbatum, rubeum, vel subrubeum cum quadam liuiditate crocea superiùs apparens, obscura apostema hepatis, vel renum signifi.

Inops in acutis febribus maximè in causonide magnam adustionem significat, quandoque mortem propinquam.

Kyanos superueniens post citrina, rupturam venæ in renibus, vel hepate, tam in viris, quàm in mulieribus significat.

Kyanos in sanis hominibus, laborem viæ, aut cursum multum designat esse factum. Si verò in sene superueniet longo tempore perseuerans, lithiasim significat. Vrina si primum apparet rubicunda, & deinde fit inops, vel kyanos, pessima est, & mortis indicium, & talis vrina solet apparere in mulieribus sine febre propter menstruorum eruptionem, & tunc est magis spissa, pinguis, & fæculenta in fundo.

Hæ vrinæ solent apparere in ruptura venæ chilis, vnde tunc maximus sentitur dolor in septimo spondili facta mutatione à parte inferiori, & tunc vrina in fundo turbulentior apparet.

Inops, & kyanos, si in media regione apparet spissior, significat hydropisim, si fuerit rubea, sanguinea, hyposarcham, si magis liuida, lencoflanciam.

Inops, & Kyanos, apostema hepatis, pleuresim, peripleumoniam, & renum apostema signat.

Inops habens spumam croceam nimiam calefactionem hepatis, vel ictericiam significat, quæ si ante septimum diem euenerit, in febre acuta, pessimum signum est, sed si post septem diem apparet sit resolutio morbi.

Inops in febre causone crisim indicat per fluxum sanguinis è naribus cum capitis dolore.

De uiridi colore.

Viridis micta post rubeam, signat adustionem, & est mortalis.

Viridis ipsius infantis paralisim, aut spasmum nunciat.

Viridis per totum in febre acuta, mortem.

Viridis similis colori phisticorum, mortificationem corporis naturalis, & significat frigiditatem excessiuam.

Viridis similis succo porri, pessimum signum: significat enim incendium in membris spiritualibus.

Viridis similis erugini æris, est cæteris deterior, & perditionem.

Viridis similis colori ireos, quam præcessit vrina viridis, significat vehementem infrigidationem, suffocantem calorem naturalem, & per consequens malum signum.

Viridis stante dolore, & angustia in stomacho sine aliqua hypostasi signat venenum in potu sumpsisse, & per consequens mortem.

Viridis cum viridi circulo in freneſi, est signum desperatissimum mortis.

Viridis vrina in die critica apparens, si infirmus in capite doleat, solutionem doloris denunciat.

Viridis vel furfurea in incensione febris, & si infirmus subtiliatus fuerit, & in superioribus sudauerit, & in extremis friguerit, pessimum spasmum, & inanitionem significat.

Viridis crassa, stranguiream. Viridis pauca mortem notat.

Vrina viridis multa, ferens & olens, rupturam apostematis forte hepatis.

Vrina viridis olens, icteritiam ex cholera prassina.

Septimo, de contentis urinæ collectę ex uarijs auctoribus in medica arte approbatis, primo de circulo.

Circulus in vrina ex quatuor partialibus circulis componitur.

Primus in inferiori parte, versus fundum, vrinalis est niger melanc.

Secun-

Secundus, rubeus sanguineus. Tertius Citrinus cholericus.

Quartus superior phlegmaticus. Et si isti circuli alium habent situm, & ordinem, permutaueruntque colores, varias, & longas ægritudines significat. Et circulus iste in superiori regione vrinæ significat super dispositionem capitis. Aliquando apparet circulus in media regione vrinæ, licet rarò, & hic significat super dispositionem membrorum spiritualium.

Circulus spissus, dilatatus, aquosus, dolorem in posteriori parte capitis ex phlegmate præsagiet.

Rubicundus, & spissus, dolorem in anteriori parte capitis ex sanguinea complexione.

Albus tenuis, dolorem in sinistra parte capitis ex melãcholica complexione, hoc est ex frigiditate, & siccitate.

Circulus rubeus, & gracilis, dolorem in dextra capitis parte, ex cholerica complexione.

Plumbeus grossus in substantia, denotat epilepsiam aut apoplexiã.

Liuidus lædi cerebrum significat, & si in aliqua ægritudine mutatur, liuiditas in rubedinem, & claritatem designat conualescentiam, & mutationem de morte ad vitam.

Viridis, & subtilis in febre acuta, adustionem, & frenesim.

Circulus tremulus per medicos agitatus, dolorem in spina dorsi, & paralisim signat, vel fluxum catarralem.

Circulus niger mortificationem, vel adustionem, mortificationem si præcessit liuiditas, adustionem, quando præcessit viriditas.

Circulus {
- Albus grossus, designat phlegma dominari in posteriori parte capitis, vna cũ frigiditate capitis.
- Rubeus, spissus, sanguinem dominari signifi. in anteriori parte capitis.
- Citrinus, vel rubeus, cum subtilitate, vitium cholerę rubeæ in dextra parte capitis.
- Niger, vel pallidus cum subtilitate, & tenui substantia, dolorem in sinistra parte capitis prætendit.

De ampullis, & spuma.

Ampulla perseuerans diu, indicat ventositatem, & indigestionem, & materiæ cruditatem, prolixitatemque morbi, & nefreticam passionem, capitisque dolorem propter ventositatem.

Spuma continua, significat dominum ventositatis, & violentiam caloris, & incensionem hepatis.

Spu-

Spuma interciſa nigra, ictéritiam nigram ex humore melancho.

Spuma nigra non interciſa, melancholiam aduſtam ſignificat.

Spuma interciſa cum granulis minutis, ſignificat multitudinem reumatis.

Spuma interciſa viridis, aut ſimilis tincturæ croci, ſignificat hepatis calefactionem, & aduſtionem.

Spuma nigra ſignificat magnam icteritiam ex melancholia.

Spuma crocea, icteritiam ex cholera rubea.

Spuma viridis hepatis incenſionem.

Per ampullas intelliguntur granula magna. Et granula ſunt ampullæ mediocres.

Ampullæ ſuper natantes in vrina, nefreticam paſsionem, & longam ægritudinem.

Ampulla magna, ſignificat præceſsiſſe rugitum, & grauationem ſtomachi, vomitum, aut fluxum ventris.

Ampulla magna ſignificat grauationem ſtomachi, dolorem, ileos, aut renum ex humore phlegmatico groſſo, viſcoſoque.

De granulis ſeu ampullis mediocribus.

Granula in quacunque regione vrinæ fuerint, ſemper ſignificant à cerebro fluere materiam reumaticam, & hoc ſi diu in vrina perſeuerauerint. Et ſunt granula quaſi ſpuma interciſa, & ſeiuncta in circulo in varias particulas diuiſa.

Granula in ſuperiori regione vrinæ, ſignificant dolorem capitis ex reumate, & hoc maximè ſi vrina mouetur, & quod granula deſcendunt, & poſt motionem iterum aſcendunt ad ſuperiorem, ſeu ſupremam regionem ſine dilatatione.

Granula in media regione aeris, ſignificat, deſcenſum reumatis ad neruos ad pedes, & iuncturas, licet hoc raro contingit.

Ampulla.	ſignificat	propriè paſsionem renum.
Spuma		paſsiones mēbrorū mediorū cordis hepatis.
Grana		paſsiones capitis.

Granula parua indicant reumaticam paſsionem.

Granula in fundo vrinæ, in vrina mulieris notant conceptionem, ſi ſunt rubea maſculi, ſi alba femellæ, ſi autem hiſpida, & vrina turbida, reuma indicant.

De nubecula urinæ

Nubecula eſt quædam ſpumoſa & vaporoſa, ſuperfluitas, & obſcura apparens in vrina ad modū telæ araneæ, vel pulueris ſparſi per vrinam.

Nubecula liuida apparens in inferiori regione ad modum pulueris ſparſi, principium ethicæ ſignat.

Nubecula vmbrosa cum quadam spuma crocea, vel viridi super calefactionem hepatis & multitudinem choleræ significat.

Nubecula semper signat distemperantiam membrorum spiritua.

Nebula pendens in vrina, si alba, bona est, si nigra, mala.

Grassities, vt aranea tela supernatans in vrina, malum.

De sanie in urina.

Sanies pauca in vrina, dolore existēte circa renes, apostema renum, aut vlcerationem significat.

Sanies multa cum graui, & forti fętore, dolore existente in pectore, significat apostema, aut vlcerationem vesicæ.

Saniosa multa cū dolore in pectine, significat apostema in matrice.

Saniosa vrina cum dolore, & pulsatione in hypocundrio dextro, apostema hepatis esse corruptum significat.

Saniosa in pleuritico, aut empico minorato spumo, & accidentibus malis remissis, significat pleuresim, aut empima terminari per vias vrinæ.

Sanies cum humiditate mixta in vrina cum rubeis contęntis, & quā do vrina exijt sine difficultate, vlcus in renibus adest.

Sanies separata ab vrina residens in fundo cum albis contentis, & vrina exijt cum difficultate, vlcus vesicæ significat.

De pingui, & oleaginosa urina.

Per pinguedinem intelligitur quædam pinguis, & vnctuosa materia à membris resoluta, quæ emittitur cum vrina.

Vrina pinguis in febribus, & oleaginosa, significat dissolutionem totius corporis: sed sine febre, significat resolutionem renum, & vesicæ, & lumborum.

Pinguis vrina disiuncta, & distincta per partes in superficie sicut in iure carnis non valde crasso, & sine resolutionibus, indicat primam speciem ethicæ febris.

Pinguedo occupans totam superficiem vrinæ, sicut tela araneæ cum modicis resolutionibus secundam ethicæ speciem notat: pinguedo diffusa fuerit super lapidem, sonat sicut oleum, tertiam ethicæ speciem significat, & hæc vrina est omnium pessima.

Vrina oleaginosa pauca, fœtida, mortem.

Oleaginosa in ægritudinibus acutis per totum apparens in die quarta, ægrum significat moriturum in septima.

Oleaginosa pauca, in qua fuerit aliquid simile loturæ carnis recentis, est signum pessimum.

Oleaginosa in cholica, & hydropisi, propinquàm mortem signat.

De

De crudo humore in urina.

Humor crudus in vrina ſic cognoſcitur, qui ſpeciem hypoſtaſis prætendit in infima parte vrinæ locatus communiter.

Si vrina mota fuerit in quaſdam partes athomoſas reſolutiones, diſpergatur crudus humor, tunc intelligitur.

Si talis humor ſupremam obtinet vrinæ regionem, vitium pectoris, & ſpiritualium membrorum cõpreſsionē diaphragmatis, vnde Aſthma & dyſpnia, emoptoica, & arthetica paſsio declarantur, aut orthopnæa.

Si mediam regionem obtinet vitium ſtomachi ex repletione ſuperfluitatum, & vomitus, & ventris inflatio, & inteſtinorum rugitus declarantur.

Si humor infirmam regionem poſsideat dolorem renum, & lunborum, & membrorum generatiuorum teneſmum nephritim, ſtranguram tibiarum, & genum dolorem ſignificat.

De ſanguine in urina.

Sanguis purus in vrina ſi apparet, & dolor ſentitur circa dextrũ hypocondrium eſt ab hepate. Si à veſica eſt, trumboſus, & grauis odoris, & ſentitur dolor circa pectinem.

Si proueniat à chili, & purus, & multus, & ſentitur dolor in ſeptimo ſpondili, facta computatione ab inferiori parte.

Sanguis in vrina groſſus, trumboſus, petens fundum, ſignat actualem fluxum menſtruorum in muliere, & hoc nullo dolente parte corporis.

Sanguis niger in fundo, minorato dolore in renibus, notat ipſum fluere à renibus.

Sanguis apparens in vrina longo tempore, peſsimum ſignum eſt, quia vlcera fraudulenta in corpore ſignificat.

Vrina ſimilis ſanguini, aut vrina cum reſidentia multa, & fece, in declinatione paſsionis ſplenis, bonum ſignum eſt.

Non omnis vrina in qua eſt ſanguis, mala dicetur, nam quandoque accidit talis vrina per modum criſis.

Quicunque ſanguinem ſponte mingit, his à renibus venæ ruptura ſignatur.

Sanguis mictus ſine apertione venarum in morbis acutis ſanguineis, vt in ſynochis febribus, repletionem ſanguinis ſuperfluam ſignificat.

De harenulis in urina.

Arenulæ rubeæ duræ ſine febre, & cum dolore dorſi, lapidem in renibus denotat, confirmatum, vel confirmandum.

Rubeæ durę cum aleuiatione renum, vel lumborum, diſſolutionem

lapilis

lapidis indicat,& dolorem à lapide processisse.

Arenulæ albæ,& durę residentes in fundo, dolore existente in pectine, lapidem in vesica notat

Arena rubea,& mollis à renibus venit. Alba à vesica. In renibus nephritim, in vesica lithiasim fieri dicunt.

Arenulæ rubeæ molles cum febre,& maximè in fine febris, signant adustionem humorum.

Arenulę rubeæ sine dolore & grauitate renum, indicant caliditatem hepatis,& renum.

Arenulæ in fine febrium cholericarum, significant permixtionem febris cholericæ ad febrem quartanam.

Noli semper terreri cum videris arenulas, nec calculũ iudicare, quia aliquando arenulæ causantur ex arthetica, vel ex longa quartana, vel ex medicina nimis acuta, tunc debent esse molles & non duræ, quod etiã fit in duplici tertiana, aut simplici, vbi arenulæ rubeæ aliquando apparere solent propter distrasiam febrilis caloris.

De Pilis in Vrina.

Notandum, quòd pili non sunt de substantia renum, sed causantur ex humoribus grossis, uiscosis, frigidis: quidam uero a caliditate suprema agente in humidum.

Pili rubei siuec itrini, in quacunque regione urinæ non existente febre, caliditatem renum significant.

Pili pingues solidæ substantiæ sine febre, dissolutionem renum,& lumborum notant.

Pili grossi in substantia, quod si comprimantur euanescunt, aut ex agitatione vrinæ resoluuntur, opilationem ab humoribus grossis,& viscosis indicant.

Pili in vrina solidæ substantiæ vrina existente oleaginosa in febribus dissolutionem totius,& Ethicam significant, & longam & cronicam passionem.

De Squamis & furfuribus, a Crithmoydibus.

Squamæ sunt latę resolutiones & rotundæ, quæ quasi a membrorũ superficie actione caloris lacerantur,& eradicantur,;& fiunt quasi pityra idest furfura, quę ex tritico fiunt,& squamis piscium assimilãtur, vnde petaloides,& squamæ nuncupantur.

Furfur autem sunt quędam resolutiones ad modum furfuris dispositi,& a membris deciduntur violentia caloris,& sunt albę,& sunt grossiores squamis.

Squama in vrina sine febre, scabiem siccam significant.

Squamæ cum febre, hecticam,& cõsumptionem; furfureæ resolutio-

nes ſine febre, aut alio corporis dolore, ſcabiem corporis ſignificat.

Furfur cum grauitate, & dolore circa regionem pectinis, vlcerationem veſicæ indicat.

Furfur in vrina cum febre, ſecundam ſpeciem hecticæ ſignificat.

Crithmoydes, ſunt quædam groſſæ reſolutiones, ſicut Crithmos. Eſt autem crithmos groſsior particula tritici, quę in principio molitionis, & attritionis mole de integritate grani diuiditur. Et in vrina indicant tertiam ſpeciem hecticæ.

Crithmoydes rubeæ vel nigræ in febre acuta peſsimum, quoniam longiſſimam ægritudinem ſignificant.

De atomis.

Atomi, ſunt granula parua rotunda, ad modum punctorum, quandoque alba, quandoq; ruffa, ſignificāt guttam tam in uiris, q̃ mulieribus.

Atomi in fundo apparentes vrinali, & reſidentes dolorem in membris generatiuis, pedibus, & genuis, & per conſequens podagram.

Atomi in media regione, dolorem & guttam in membris ſpiritualibus, & a regione generationis, vſque ad diaphragma.

Atomi in ſuprema regione ſuperiorum partium guttam notat: atomi per totam vrinam omnium membrorum guttam declarant: vrina lucida pura in ſubſtantia, in qua apparuerit aliquid groſſum ſimile nubi, & in ea fuerint atomi deſcendentes, & aſcendentes globatim inferiùs, impregnationem, & conceptum ſignificat.

Atomi pingues in parte inferiori in modum loturæ ſi inferiùs reſideant, & poſt modicum gelentur, ſignificant mulierem concepiſſe, & ſi fuerint ruffæ, vel ſubruffæ, & formæ rotundæ, ſignificat quòd maſculũ concepit. Si apparent liuidæ, & latæ formæ ſignificat concepiſſe femellam. Si autem mulier non concepit & appareant talia ſigna, guttam in muliere ſignificat.

De ſpermate in vrina.

Sperma in vrina ad fundum tendens, aut reſidens in fundo, ſignificat coitum præceſsiſſe, aut nocturnam illuſionem, aut effectum venereorum operum.

Sperma globoſum, truncoſum cum vrina ſecundum fruſta groſſa permixtum, abſtinentiam coitus, vel nocturnam pollutionem.

Sperma apparens frequenter in multis vicibus gonorrhęam, vel pa-

ralysim membrorum genitalium significat, vel debilitatem virtutis retentiuæ. Si per gonorrhęam cognoscitur per virtutis debilitatem & corporis consumptionem.

De cinericijs resolutionibus.

Resolutiones cineritiæ, subtiles in colore adhærentes globatæ, vel congregatæ adinuicem in fundo residentes, retentionem menstruorum significant.

Resolutiones cineritiæ subnigri coloris sparsæ per vrinam, fluxum menstruorum actualem significant.

Cineritiæ resolutiones, subnigræ grossæ, adhærentes substantiæ vrinali in fundo, spleneticam passionem, & apostema splenis.

Cineritię resolutiones in fine febrium phlegmaticarum, febrē phlegmaticam ad melancholiam permutari significant.

Cinis in vrina apparens, significat dolores partium inferiorum sicut matricis, retentionem menstruorum, fluxionem emorrhoidum, & dolorem splenis, condylomata, hoc est duras, & solidas resolutiones circa anum in modum glandium, & rotundas.

Sunt tamen cōdylomata propriè apostemata ex sanguine melancholico in capitibus venarum congelata.

Significat, & ficos in ano, quæ sunt collectiones factæ circa anum distinctè, ex melancholico sanguine, & tuberositatem inducentes.

Octauo de hypostasi, sedimineque.

Hypostasis fundamentū est, & superfluitas tertię digestionis cum vrina emissa, & habet tres differentias secundum locum. Nam si hypostasis sit subsidens, & in fundo non repulsa, vocatur sedimen.

Si autem sit impulsa in mediam regionem vrinæ, vocatur eneorima quasi dependens. Quod si fuerit repulsa vsque ad superficiem vrinæ, vocatur nephilis, idest nubes, ex methaphora nubium sumpta. Et hypostasis naturalis debet esse alba, sedens in fundo vasis mediocris inter subtile, & grossum rotundæ formæ, & piniatæ continua, sine interruptione partium, & leuis in motu, vt si vas moueatur citò sine liquoris turbiditate ascendat superiùs: cum verò vas quiescat, subitò reuertatur ad inferiora, & in forma pineæ, aut pyramidis. Et de hypostasi dantur secundum diuersos auctores plures regulæ.

Prima regula. Nebulosa hypostasis ventositatem, & cruditatem grossam significat, qui morbi materiam sursum portant, & quod natura incipiet digerere, seu decoquere, & ventositatem humorum dissoluere, & subtiliare.

Secunda regula. Nebulosa hipostasis in fundo in aliquo morbo, pessimum signum: quia naturam signat fugere à morbi regimine pro-

pter grofsitudinem,& grauitatem materiæ.

Nebula nigra in ſuperficie vrinæ mortem.

Tertia regula. Hypoſtaſis nebuloſa,ſuſpenſa mediocritatem digeſtionis nunciat,& ventoſitatem,& cruditatem ſurſum leuatam citò diſſoluendum indicat.

Quarta regula. Hypoſtaſis petens ima, perfectam digeſtionem, & bonitatem ſignat,&hoc ſi ſit alba,æqualis,leuis,in motu coniuncta &c. vt dictum eſt.

Quinta regula. Hypoſtaſis alba,leuis,diſiuncta naturam pigreſcere in materia morbi demonſtrat;perfectè tamen digerenda.

Sexta regula. Hypoſtaſis alba diſiuncta in fundo peior eſt leui,quia multam ventoſitatem,& cruditatem oſtendit, quam natura diſſoluere nequit,quare peſsima.

De coloribus hypoſtaſis.

Albus color,leuis,coniunctus &c. laudabilem corporis diſpoſitionem ſignificat. Rubeus longam ægritudinem, & cruditatem materiæ;indicat tamen ægritudinem benè terminabilem.

Subrubeus, eſt peior,quàm rubeus:fit .n. de ſanguine aquoſo,quare minatur ex cruditate humorum ægritudinis prolixitatem.

Niger color in hypoſtaſi,eſt omnium peſsimus,& ad ſignificationem mortis promptiſsimus,aut ob nimiam incenſionem,aut frigiditatem, & hoc maximè ſi liuiditas præceſsit, dehinc nigredo. Si autem purpurea primum ſit hypoſtaſis, dehinc nigra,mors ex incendio expectabitur.

Niger color hypoſtaſis, & ſi vrina ſit alterius coloris præter nigri, perditionem ſignificat.

Hypoſtaſis nigra, & vrina nigra, & maximè granoſa, perditionem certam ſignificat.

Roſea,vel arſenica hypoſtaſis ſubtilis in liquore,diuturnitatem morbi indicat.

Glaucus color conuenit temperato liquori,indicatque choleram.

Citrinus color in febre,materiam cholericam oſtendit,& poſt longum tempus ſalutem morbi,& naturaliter crudos,& non coctos humores oſtendit,& hic color bonum, & malum ſignificat, quæ ſi nebuloſa fuerit,ſignificat ſpem complendi coctionem.

Si natatilis,ſperamus minus,quàm compleri. Si in fundo fuerit cruditatem humorum,& grauitatem cum groſsitie ſignat.

Liuida hypoſtaſis,ſignificat mortificationem.

Hypoſtaſis,quæ mutatur in rufedinem,& glaucedinem,ſalutē notat.

Hypoſtaſis alba,granoſa, in partibus diſpertita, vel cum febre, eſt

acuta

acuta, vel solida, & continua. Si cum acuta, significat humores phlegmaticos calore febris incensos. Si cum continua febre, & fuerit squamosa sicut squamæ piscium, significat dissolutionem membrorum exteriorum, & durorum, & subtilium. Sed si fuerit furfurea, significat dissolutionem humidi, & vesicæ excoriationem. Galenus. Squamosa hypostasis, consumptionem durorum membrorum significat. Furfurea calorem fortiorem in membri perforatione. Hypostasis sicut farina grossa propior est consumptioni in parte membrorum dura, & mortem post longum tempus nunciat. Hypostasis quasi farina grossa in febribus diuturnitatem morbi notat, & mortem ante diuturnitatem. Hypostasis lentina, quasi lentium fractura, passionem hepatis, hypostasis orbina, quasi oroba fractura, fit communiter in complexione sanguinea, quæ hepatis, & renum consumptionem significant, & totius corporis, diuersimode tamen.

Hypostasis arenosa, notat lapidem in renibus, & vesica, secundum diuersitatem granorum, vt dictum est.

Hypostasis cinerosa si fuerit subtilior, quàm oportet in febribus, rigorem superuenturum nunciat, si sine febre, humores cholericos, & non bene coctum phlegma. Si fuerit grossior, quàm oportet, & cum febre grossitudinem fęcum, & viscositatem earum, & morbum diuturnum nunciat, si sine febre, hæc remissiùs significat. Breuiter iuxta mentem Isac de iudicio vrinæ. Nigredo hypostasis, & nigerrima, notat malum absolutè, si granosa, & aspera fuerit, & maximè si vrina fuerit nigra.

Rubedo citrinus, viriditas hypostasis, sunt inter bonum, & malum mediocria, rubedo tamen melior inter eos, & bono vicinior: viridis peior, & timori vicinior; quia humorum incensionem, & sanguinis humiditatis consumptionem. Citrinus color in hypostasi, significat bonum, & malum.

Dicit Auerroes in lib. Colliget, corpora hypostasium extra naturam multarum materierum sunt, quia quædam sunt, quæ tritico fracto assimilantur, & quædam quæ orbo, & notant membrorum liquefactionem, aut humorum adustionem, & in acutis ægritudinibus sunt malæ, & si habuerint colorem rubeum, humorem sanguineum viscum indicant, aut partim hepatis, aut lumborum adustionem, & citrinus in lumbis magis est proprius, sed lamosum est pessimum: quia membrorum radicalium liquefactionem, & incisionem denotat. Sed furfureum aliquando fit propter scabiem vesicæ, aliquando propter liquefactionem membrorum, & quod differre facit illud, quod ex scabie vesicæ, aut ab alio est, quod in ipso pruritus in partibus virgæ sentitur

tur

tur. Et arenosum, significat aut lapidem coagulatum, aut incipientem coagulari.

Et si fuerit rubeum, lapidem in renibus: si album lapidem in vesica demonstrat, & saniosum apostematis rupturam in vrinæ membris locati notat. Et sedimen habens pilos similes capillis, humiditatem grossam in renibus à calore extraneo generatam ostendit, & sanguineum coagulatum, apertionem venæ, aut apostema in vrinæ vijs significat. Hæc Auerrois.

Vrina, in qua
- Non est sedimẽ, mingit ille cuius regimen est in vltimo subtilitatis
- Est sedimen multum, mingit ille, cuius regimen est grossum.
- Est sedimen paucum, mingit ille, cuius regimen est æquale.

Hypostasis multa in sanis, est bonum signum, & notat, quod corpus bene nutritur, & quod membra fortia sunt in expellendas suas superfluitates per hypostasim, & indicat quod corpus non est nimis macrũ, nec nimis pingue, sed in corporibus omnino sanis, qui se debito modo, & ordinatè regunt, in illorum vrinis nulla est hypost. Hypostasis multa, alba, subtilis in liquore, mediocris rotunda, & in motu lenis, sanitatem, & membrorum virtutem ostendit, ad coctionis completionem; & tamen eius multitudo abundantiam humorum denotat.

Hypostasis multa in corporibus infirmis, alba, rotunda iuncta, & leuis morbi naturam à superioribus ad inferiora descendentem nunciat, & maximè apparens in die critica: & si talis hypostasis in febribus apparuerit cum alienatione, & capilli ceciderint, ostendit quietem morbi. Sed si non fuerit nec rotunda &c. multos humores adunatos in corpore notat de genere phlegmatis grossi, aut subtilis. Hypostasis multa, & furfurea in febre cum salute renum, & vesicæ rigorem nunciat febris superuenturæ.

Hypostasis multa, febre non mitigante, neque minuta, consumi corpus notat: hypostasis parua in sanis, significatur siccitas, macies, & subtilitas: hypostasis parua in ęgris notat prauitatem humiditatis sanguinis, & propinquitatem consumptionis, vnde pessima est si sit cum febre acuta.

Temperamentum hypostasis inter multum, & paucum significat temperamentum complexionis, & virtutem membrorum.

Variatio

Variatio urinæ secundum grossitiem, subtilitatemque.

Vrina cum primum exijt subtilis, & cum in vase aliquantulum stabit groscessit, significat, quòd natura coquere incęperit, & humores commiscuit, ventositatemque humorum dissoluerit, quorum bonam partem subtiliauit propter velocitatem, & leuitatem motuum suorum. Vrina exiens subtilis, & subtilis permanens, morbum crudum ostendit, & si sequuntur signa salubria, terminum morbi cum apostemate sub hypocundrijs ostendit. Et si hæc vrina fuerit in febre acuta, & incensa, pessimum signum est, quia febrem calefieri, & succendi, & ad superiora ascendere corporis, & in caput significat.

Vrina existens grossa, & permanens grossa, significat maximam conturbationem inter materiam morbi, & naturam: sed tamen natura superata est à morbo, quia humores turbauit, & commiscuit, & quandam digestionem subtiliationem monstrauit, non tamen coctionem compleuit. Si hæc vrina in initio ægritudinis apparet, perditionem infirmi notat, & si hęc vrina est globosa, vel iumentura dolorem capitis, præteritum, pręsentem, & futurum signat.

Vrina existens grossa, de hinc in vase clarificatur naturam complesse coctionem fæcis, & subtiliasse eam significat, neque remisisse, nisi vt diuidatur, & vnaquæque pars in locum suum naturaliter ponatur, & hæc melior est, quàm ea, quæ exijt grossa, & manet grossa. Et est etiam melior hæc vrina, quàm quæ subtilis erit, & postea groscessit.

Sic hæc vrina, quæ subtilis exijt, & post groscescit, melior est, quàm quæ subtilis erit, & in sua subtilitate, & claritate permanens, quæ significat, quòd nondum natura incœperit coquere humores illos, qui morborum sunt materia. Laus Deo.

Hęc satis sint vt auctoris doctrinam faciliorem habeas, qui autem hanc artem perfectè assequi studet, & alios legat auctores, qui de hac re scripserunt, sed non ante, quàm hæc penitus assecutus sis, ne memoria, & intellectus multis, & varijs opinionibus distractus nulli adhæreat, etsi quid boni hic inerit, Deo, à quo omnia bona proficiscuntur, acceptum referas. sin autē est, quod non approbes, id mei intellectus tenuitati adscribas; scias tamen me iuuandi causa hęc omnia suscepisse, etsi in aliqua re vel defui, vel auctoris sensum assecutus non sum, forsitan in causa ero, vt alius peritior, hanc rem dilucidiorem reddat. Quod si acciderit mei laboris tunc fructum percepisse existimabo. Vale lector, & libello fruere, uel potius utere cum fortuna.

Deo soli gloria, laus, & honor.

AVCTOR AD LECTOREM.



VT qui ædificat in publico, multos censores ferre cogitur. Sic me non latet, postquàm hoc opusculum in vulgus ædiderim, non defore mihi cauillatores, quibus non sit hæc opera, diligentiaq́; mea placitura. Quibus aut aliter, aut nescio quo modo, aut fortaßis animo, nihil scribere debuisse videbor. Sed quis est, qui omnibus omnium ingenijs satisfacere poßit, quum nemo conuiuator tribus conuiuis, ex æquo satis queat placere, iuxta Poetam?

Tres mihi conuiuæ, propè dißentire videntur.
Poscentes vario multum diuersa palato.

Deinde nunc ita sunt deprauati hominum mores, vt quisque ex aliorum dictis, & scriptis hoc solũ excerpat, & amplificet, quòd esse vitiosum videtur. Quæ bona sunt, & rectè probata, nemo expẽdit, ita in vitijs aliorum, acutè cernit oculus inuidiosus. Ego verò, amice lector, nihil curo quid de me sentiant, aut loquantur obtrectatores, ego tibi prodesse studui pro mea vrili, quod si consecutus sum, vt spero, non pœnitebit me laboris, & vigiliarum, lucrubrationisq́; meæ. Si quis autem est, qui nihil hinc vtilitatis se capere posse putat, hic alia sibi esse legenda sciat: solis enim tyronibus, & rudibus artis medicæ sunt hæc scripta, pro ingreßu quodam, & auspicio huius studij. Quod si quis me ob hoc volet reprehendere, scribat ipse melius, ego non obsto. Sed puto æquum esse, vt quisque pro suo captu, & eruditione sua iuuet alios. Propterea si non elegantibus, tamen planis me verbis scripsisse arbitror. Quia in re mihi facilè veniam dabis benigne lector, elaboratiorem stylum à Iuuenibus huius temporis, non à me, aut me, similibus requisiturus. Postremò, si qua inserui paradoxa secundum vulgi opinionem, precor nequis de ignotis iudicet, antequàm cognouerit. Imperiti sunt, qui nihil credunt, aut probant, quàm quod ipsi sciunt, vel experti sunt.

Neque tamen hoc ideo dico, vt quemquam meis verbis addictum esse velim, sed legat quisque authores etiam alios, & antiquiores, & peritiores me, deinde sentiat, ac probet quod videbitur rectißimum. Tu quisquis eris optime lector, boni consule, nostram operam qualemcumque, & bona valetudine diu fruere incolumis. Ex Heidelberga Anno Virginei partus M. D. XXXII.

HERMETIS TRISMEGISTI IATROMATHEMATICA,


(Hoc est, Medicinæ cum Mathematica coniunctio) ad Amonem Aegyptium conscripta, interprete Ioanne Stadio Leonnouthesio.

Cum argumento, & explanationibus IOANNIS PAVLLI Gallucij Saloensis.

Diuisio ac summa libelli.

IN duas hic libellus diuiditur partes, in quarum prima agitur de tribus maximè rebus. De membris primum corporis nostri, quibus planetæ dominātur, quæ planetis læsis vel in genitura, vel hora ingruentis morbi, lædantur: Secundo loco docet planetis natura contrarijs resistendum morbis, qui à planetis contrarijs proficiscuntur, ob id erigendam esse cœlestem figuram vel hora decubitus, vel quæstionis: Tertiò docet, qui morbi generentur à configurationibus lunæ cum cæteris planetis, & his quomodo, & quibus rebus resistendum. In secunda autem parte duo tradit:

alterum eſt quos morbos in ſignis luna mixta maleficis excitet, alterum quibus medicamentis ſuccurrendum ſit.



1 RADII ex ſeptem planetis emiſsi multiplicantur, & commiſcentur in ſingula hominis membra, dum in vtero matris conceptus coaleſcere incipit. Nec ſecùs quidem dum in hanc lucem prodit, euenire ſolet, iuxta poſitum duodecim ſignorum, ita vt Arietę caput dicatum ſit. Senſoriæ partes hoc modo ſeptem planetis tributæ ſint.

2 Soli oculus dexter, Lunæ ſiniſter.

Saturno auditus, aureſque, Ioui cerebrum.

Cruor, ſanguiſque Marti, Veneri olfactus, guſtuſque.

Mercurio lingua, & gurgulio.

3 Mutilatur itaque, aut vitiatur membrum illud, cui in conceptu aut genitura afflictus planeta dominabitur.

4 Sunt ét in homine partes præcipuę, & generaliores quatuor, caput, pectus, manus, pedes. Si verò ſtella, quæ ſingulis partibus præſedit, aut conceptus, aut genituræ tempore malè affecta fuerit, eadem afflixit etiam ſibi attributas partes, aut ſingularum partium particulas.

Nimirum aut oculum alterum, aut vtrunque, Sole aut Luna malè diſpoſitis, auditum, aureſve, aut dentes, Saturno afflicto.

Linguæ aut ſermonis vſum Mercurius oppreſſus adimit, vt quæ radio ex malefico planeta alicunde emiſſo, aut ſugillatæ, vitiatæ, aut mutilatæ ſint. Nec aliter in pectore, aut pulmonem vitiatum, aut iecur, aut ſplenem, aut cor, aut aliquid ex inteſtinis corruptum deprehendimus.

In manuumq́;, pedumque conſideratione obſeruabimus, an digiti, an vngues, aut harum particularum aliqua, iuxta cognationem, aut affinitatem dominantis planetæ malè affecti ſint.

5 Ad illa ergo detrimenta, quæ curatione corrigi poſſunt, conuenientia auxilia adhibere oportebit, & reſiſtere morbo per planetas, contrarias vires, & naturam habentes.

Saturno quidem aſsignata ſunt refrigerantia, & ariditate, ſiccitateque extenuantia.

Mer-

Mercurio congelantia,& flatuosa naturaliter tribuuntur.

Marti calefacientia,& implentia,vt pote accerrimo,incandescenti, & sanguinis generatori.

Ioui,& Veneri emollientia, conglutinantia, & ulcera omnia cohibentia,& sanantia.

Luna verò stellæ (siue benefica illa,siue malefica fuerit) vtri se applicuerit,illi suffragabitur.

6 Cœli igitur positus medicaturo diligenter explorandus est,horaque decubitus,aut ingruentis morbi exquisitè discenda:Stellæ,mutuusque earundem inter sese habitus considerandus. Nihil enim sine harum congressu,siue influxu in rebus humanis, aut valetudinarium est, aut sanum. Recurrentes aut acuti non oriuntur morbi,nemo Medici sedulitate leuatur,sed quantacunque adhibita diligentia,& artis peritia, aut perit æger,aut harum conspiratione seruatur.

7 Quòd si hora decubitus satis exquisitè scrutari non potest,obseruanda erit ea, in qua morbus nunciatus est, erectaque figura cœli positus diligenter contemplandus est.

Etiam ad quem post defluxum Luna applicat,aut à quo separata ad quem defluat: disiuncta quidem cuius diametro aut quadrangulo affligatur: coniuncta quidem cuius congressui consociata suffragetur. Maleficis configurata, ad vitæ desperationem morbum intendit: Beneficis aspectu aut congressu copulata, tunc præsentius, & efficacius opitulatur.

8 Opus erit etiam hac consideratione, an Luna cursum intendens lumine decrescat, an contrarium accidat, nimirum an cursu tardata lumine crescat,an vtrunque simul vsu veniat,an neutrum.

9 Siquidem si Luna post Solis coniunctionem, quando luminis incremento turgescere incipit,motuque velociore proyecta,simul etiam quadrangulo Martis affligetur, aut antequam ad diametrum perueniat,in Martem impingat,non occurrente benefica,lætales,& perniciosos ciebit morbos. Sin autem beneficarum alteri aut applicuerit, aut commixta fuerit,etsi profligata, & desperata valetudine morbidus fuerit prostratus,tamen ex morbo reuiuiscet.

Luna verò decrescente,& motu,& lumine, potissimum quidem Saturni diametro,aut quadrangulo infecta, nisi (postquam Luna diametrum eius assecuta fuerit) sese remiserit morbus, insuperabilis erit, & lætalis: sin Luna beneficis obuiauerit,breui à morbo liberabitur.

Præterea meminisse oportebit,quòd tam diu morbus intendetur, quamdiu Luna citatiore cursu progreditur, etiam morbum in melius mutari,quum cursu tardatur simul etiam nodo superato. Sit hæc qui-

dem consideratio instituta, in primo cuiuscunque morbi insultu.

Quicunque à Saturno, aut Mercurio oppressi, morboq; afflicti iacebunt, tardi, torpidique sunt, & membra vix ægra trahentes, ex frigore nimirum, & defluxione torpentia, & obstructa, paulatim sese prodente morbo, ægrè etiam vellicati expergiscuntur: taciturni, pauidique, vestimentis etiam caloris fomenta quærunt; tenebris gaudent, suspirant continuò, lentè spiritum resorbent: breuis est pulsus, & anxius: ex calidis magnum assequuntur leuamentum. Pulsus etiam languidi sunt, & remissi, tum corporis superficies arida tota, frigidaque significat in his curandis opus esse calidis, tum emollientibus, & constringentibus.

Turbidi verò, inquieti, & mente moti erunt, qui Martis aut Solis insultu decumbent, tota etiam corporis superficie igneo calore accensa. Suntque proni in iram, clamore obstreperi, toruè intuentur, sitibundi, linguæ arentis scabritie: Vini, frigidæque potus tum importuni, blancorum vsus desiderio detenti: Nullus cibus horum appetentiam acuit: In quoslibet linguæ petulantiam continuò vibrantes. Sunt & hi breui pulsu, depressoque, noti, sed inordinato: facie rubicunda, corporis plenitudine grauantur. His conducibilis est vsque in quintum diem sanguinis detractio, & ea quæ corporis plenitudinem, aut euacuare, aut purgare possunt, & quæcunque auxilia naturæ necessitas his morbis remedia reperit, & inuenit.

10 Marti quidem conuenientia Saturno repugnant, vtpote calefacientia, emollientia, obstructionesque soluentia.

Saturno congruentia à Martis natura recedunt, hoc est, quęcunque refrigerant, adstrigunt, & repercutiunt.

Quæcunque etiam cordis passiones, & in ore ventriculi obortæ, tum arteriales, artheticæ, similesque, à Sole & Marte cientur.

11 Continuò veræ febres, pleuritides, & pulmonis exulcerationes, siue inflammationes, similesque, à Saturno, & Mercurio originem trahunt. Atque his morbis refrigerantia aduersantur, vtpote Solanum, Coriandrum, Intibus, Papaueris succus, radicis Halicacabi cortex, Polygonum Semperuiuum, Psyllium, Lens palustris, Vitis folia, Cerussa, argenti spuma, lapis Hæmatites, Portulaca, albumen oui, Lini semen, Arundo, Maluæ folia, Malum punicum, Hypocistis, Cyparissus, Rubus, Acacia, Mala Cotonea, Pyra pyrastra, alumen, flos vitis syluestris, Palmæ maris, fęminæque fructus, Myrtus, Rhus, Rosa viridis, Iuncus, Ladanum, Crocus, Potamogitum.

Calefacientibus quidem tum Sol, tum Mars dominantur: Nimirum vt est inter alia multa Cyprinum oleum, & omnia odore fragrãtia, tum Irinum vnguentum, Cynamomum, Amaracum, Narcissus, Fęnum græcum,

cum, Nardus, Myrrha, Bdellium, Styrax, Cera, Ocimum, Cuminum, pix liquida, & solida, adeps, Medulla Galbanum, Iris, Casia odorata, Spica nardi, Thus, Ammonicum, Ruta, Myrobalanum, Carycæ, Granum Gnidium, Aphronitrum, Staphisagria, Lapis Asius, Cyperus, Halcyonium, Helleborus, Pyrethrum, Chrysocolla, Cepa, Allium, Porrum, Raphanus, Cicer. His itaque medicamentis, & quæ his in calefaciendo, & emolliendo similia sunt, dum morbos à Saturno aut Mercurio prouocatos (quod, & ex Luna, vt docebimus, discere licebit) profligare conabimur. Vtemur autem refrigerantibus, & repercutientibus in ea valetudine depellenda, quæ Solis aut Martis ipsa hora decubitus, aut ab initio ingruentis morbi, significationem referet.

Nunc effectus, quos Luna singulis in signis commixta maleficis prouitet, ordine agemus, & quo remedio afflictis opitulandum sit, monstrabimus.

12 CVicunque verò decumbenti Luna per Arietem (potissimū tarda motu, & lumine decrescens) progrediente, tum Saturni quadrangulo, diametro, aut congressu vitietur, huic origo morbi ex refrigeratione erit. Nimirum capite grauedine, & oculis lassitudine grauatis, tum guttur, & arteria catarrho occupantur, & humorum in pectus distillatione pulsus debiles sunt, & inordinati: Noctu vehementia morbi intenditur: Interiora omnia exæstuant: Superficies corporis refrigerata, & partium extremitates frigore torpescunt: adest animi deliquium, ventriculi fastidium, & sudores intempestiui. His conueniunt calefacientia, emollientia, ventremque soluentia: Sanguinis detractio inutilis est. Quòd si Luna benefico non applicuerit, neque quadrangulo, neque diametro aspexerit, æger non superuiuet, sed morietur. Sin ad beneficium ea qua diximus ratione iuerit, commodè cōualescet æger, aut certè ex vno morbo in aliū recidet, deuolutus ad auersiones nocturnas.

Sin autem & Mars ea, qua diximus configuratione, Lunam venientem expectat, dum morbus non erit recidiuus, sed quando Luna ad diametrum perueniet, morietur. *Luna in Ariete à Marte afflicta.*

Cuicunque decumbenti in eadem configuratione, aut ad Martem, aut Solem feretur, huic ex capite oritur morbus, nimirum ex cerebri membranis afflictis, erunt, & febres continuæ, vigiliæ, insomniaque, os feruidum, sitis intolerabilis, & lingua turbulenta, aridaque: pectoris æstus, iecoris inflammatio, pulsus alti, sublati, inordinati. His sanitatis studiū erit à venæ sectione auspicandum, adhibenda sunt & refrigerantia, & mitigantia. Aderit & mentis alienatio, & phrenesis. Quòd si Luna (potissimum cōcitatius eunte) nullus beneficus adfuerit, sed Satur-

no

no aut coniunctione aut hostili aspectu applicuerit, quando ad illum perueniet Luna, tunc morietur. Quòd si beneficio Luna obuiauerit, etiam ægro deplorato valetudinem dabit integram.

Luna in Tauro à Saturno afflicta.

Si tempore ingruentis morbi Luna per Taurum progrediatur & diametro, quadrangulo, aut coniunctione Saturni afflicta fuerit, maximè tardius prorepente, & eadem lumine minuta, morbum ex crapula, & plenitudine prouocabit, febres ex obstructione nascentur, præcordiorum & articulorum labores molestabunt, sublati & alti pulsus, tum inordinati: totius corporis inflammatio, pulmonis exulceratio. His sanguinis minutio conducet, & omnia talem affectũ reprimentia. Quòd si ad beneficium non ibit Luna, æger morbo ante diametrum intercipietur: Sed à beneficis adiuta, aut illorum aspectu recreata, etiam ex valetudine desperata reuiuiscere videbitur æger.

Luna à Marte in Tauro oppressa.

Marti verò si Luna congressu, opposito, aut quadrangulo in Tauro configurata fuerit, morbum decumbenti ex sanguinis plenitudine producet. Aderunt febres continuæ, totius corporis obstructio, ceruicis collique inflammatio, ossium cruciatus: vigiliæ immodicæ & insomnia, vini & frigidæ cupiditas. Hi venæ sectione multum leuabuntur, & his omnia extenuantia, tum mitigantia conducent. Si itaque hoc pacto sæuiente Marte, nullus benefici radius Lunam iuuerit, languidum nono die extinguet: sed eius vi per benefici cum Luna configurationem repressa, post sextum diem releuabitur.

Luna in Gemini à Saturno oppressa.

Luna in geminis à Saturni radijs afflicta aut cũ illo copulata, maximè lumine decrescente, ex vigilijs, insomnijs, aut itineris lassitudine decubitus causam dabit. Articuli veluti soluti vix cohærere videbuntur. breui morbus sese aperit, aut certè post tertiũ diem increscere incipiet vsque ad tricesimum: ingruent febriculæ, & totius corporis consumptio noctu ægritudinis violentia grauius vrgebit. Rari sunt pulsus & parui, sudor molestus est, & dolor splenis. Si Mars alicundè infaustis radijs Lunam affecerit, valetudinarius quidem post decimũ diem vita soluetur: Assistentibus simul & beneficis, & Lunam suffragio suo iuuantibus, sanitatem post diuturnam ægritudinem recuperabit.

Luna à Marte in gemini oppressa.

Quicunque morbo corripietur, Luna per geminos rapidiore cursu & luminis incremento prouoluta, Martisque infausto aut congressu aut aspectu violata, ille exitiali, & lætali valetudine affligetur: febribus con-



continuis, pernitiosè ardentibus, obstructionibusque: pulsus alti erũt & inordinati: sanguinis diminutionem morbi leuamentum assequetur. Sin autem à nullius benefici aspectu exhilarata fuerit Luna, ipsoque adeò Saturno configurationem impediente, tum mors differetur vsque ad oppositum Martis. Quòd si à beneficis Luna aspicietur, periculoso morbo defungetur æger, & liberabitur.

Luna in cancro à Saturno.

Aduersa valetudine ex balneis aut frigore orta conflictantur illi, qui morbi assultum sentiunt, Luna in cancro à Saturno afflicta: aderunt simul etiam in pectus distillationes, tusses, obstructiones, angustiæ, febres exiguæ. Quòd si Lunę nihil auxilij ex beneficis adest, sed conspiratione maleficorum opprimitur, afflictus morte intercipietur.

Luna in cancro à Marte oppressa.

Similiter Luna à Marte in cancro oppressa, ægritudinis initium dabit ex sanguine, cholera, ventriculi euersione, & morbus erit arcendus refrigerantibus. Quòd si fausti planetæ auxiliares Lunæ radios nõ submiserint, circa proximum quadrangulum vita exuetur deploratus. Sin maleficorum impetus beneficorum auxilio retundatur, post proximũ quadratum liberabitur.

Luna à Saturno in Leone oppressa.

Luna in Leone à Saturno afflicta, morbi originem ex sanguinis plenitudine & redundantia ciebit: excitabit circa totum pectus feruorem, pręcordiorum tensiones, febres intensas, pulsus turbidos, internos & externos ardores. His calefacientia, & mitigantia conueniunt, & nisi Luna opitulantur benefici, moritur in opposito Saturni & Lunæ. Sin secus accidat, & salutares occurrant planetæ, desperatus superstes erit.

Luna à Marte in Leone afflicta.

Luna in Leone à Marte afflicta morbos ex plenitudine sanguinis prouocabit. Aderunt febres fluxæ, vagæ, pulsus languidi, deliquium animi, nullus appetitus, corporis grauitas, & soporis impetus inexpugnabilis, & totius corporis extenuatio debilitasque, & cordis affectus varij. Hisce refrigerantibus & adstringentibus erit succurrendum. De morbi exitu dira minãtur radij maleficorum in Lunam impacti, & post nonum diem occident. Sed succurrentes benefici, morbum post oppositum Martis propellent.

Luna in Virgine à Saturno oppressa.

Luna hostilibus radijs, aut iniquo congressu Saturni in Virgine afflicta, causam mali affectus ex concoctione, & ventriculi cruditate dabit. Intestina & viscera, præcordiaque torminibus corripientur, febres strictæ & inordinatę aderunt. Hi calefacientibus, emollientibus, dissol-

dissoluentibusque curandi sunt. Sin Luna ad beneficorum, vel corpora vel radios non fertur, circa 14. diem morietur. Sin fracta erit Saturni vehementia, aut à beneficis sanitati restitutus, longæuus esse poterit, sed valetudinarius erit.

Luna in Virgine à Marte afflicta.

Luna hostiliter à Marte in Virgine circumsessa, ex fluxu ventris, intestinorum exulceratione, febribus exiguis, & fluxis decumbet æger: pulsus erunt remissi, densi, ventriculi euersio sequetur, & cibi fastidiũ, Horum valetudo obstruentibus est reprimenda. Quòd si Martis sæuitia à beneficis non reprimatur, ægrotum post 30. diem consumet. Sed repressus à beneficis, perniciem non dabit.

Luna à Saturno in Libra oppressa.

Luna à Saturni aspectu, aut congressu in Libra afflicta, ex vini ingurgitatione, & crapula ægrum affectum suscitabit, præcipuè & motu & lumine decrescens, fiet & morbi nocturnus insultus: circum caput, & pectus ægritudines proritabit, destillationes, tusses, raucedines: pectus lassitudine grauabitur, cibi fastidio ventriculus: accessiones febriles noctu duplicabuntur, continui dolores infestant, pulsus sunt remissi. Hi sunt reficiendi calefacientibus. Quòd si Luna nullius aspectui obuiauerit, præcipuè verò quum ad diametrum peruenerit, morbum soluit. Sin per mascula signa moueatur, quousque ad circuli diametrum pertingens, vesperi oriatur, æger inæqualiter, & frequentius morbo impetitus reualescet. Sin tarde mota, nullum in incremento, aut decremento motus, luminisq;, aut quocunque modo interea aspexerit, sanguinis fluxum prouocabit, & circuitu suo morbum depellet, longo tamen tempore etiam restituti pallescent adhuc, & liuescent. Quòd si Mars configurationem quadrãgulo impediat, extinguetur, antequam in aliud morbi genus recidet.

Luna à Marte in Libra oppressa.

Luna à Marte in Libra oppressa ex sanguinis plenitudine morbum prouocabit, dehinc febres intensas, pulsus sublatos, vigilias, insomnia, & totius corporis inflammationem. In his à sanguinis minutione medela est exordienda, atque ab eis, quæ talem morbum depellunt. Sin beneficia Lunam afflictam non iuuerit, in summum discrimen conijcietur, quousque ad diametrum Martis Luna perueniet. Quòd si beneficus radijs Lunæ suffragetur, reuiuiscet ægrotus.

Luna in Scorpione à Saturno vexata.

Luna in Scorpione à Saturno vexata exulcerationibus, aut bubone secreta loca affliget, anum scilicet, aut pudenda. Si numero, & lumine crescat, tollet ab ægro defectum.

Quòd

Luna in Scorpione à Marte oppressa.

Quòd si à Marte Luna cursu, & lumine minuta in Scorpione impetatur, succurrente benefica, morbidus conualescet. Eadem, & de hoc signo intelligantur, quæ de reliquis dicta sunt, siquidem eandem Lunæ configurationem habeat.

Luna à Saturno in Sagittario oppressa.

Luna à Saturno in Sagittario oppressa, potissimùm lumine, & motu decrescente, ex fluxu, & tenuium, acerborumque humorum decursu morbum prouocabit, tum articulorum dolores, febris horrorem, extremitatum refrigerationes, corripiet febrientes duplici accessu. His mitigantibus, & calefacientibus est succurendum, occursus etiam Lunæ, & aspectus cum beneficis ægrum liberat.

Luna à Marte in Sagittario oppressa.

Luna à Marte in Sagittario oppressa, lumine, & motu accrescente, ex crapula, & plenitudine lætales generat morbos, febres fluxas, biliosos affectus, ventris solutionem, pulsus remissos, languidos. Qui sunt refrigerantibus, & obstruentibus curandi. Quòd Lunam beneficus non aspexerit, septima die morbidus intercipietur. Sin benefico aspiciatur, vsque ad diametrum Lunæ cum Marte ægrotus affligetur, deinde restituetur.

Luna à Saturno in Capricorno afflicta.

Si Saturnus Lunam in Capricorno opprimat, eaque tum lumine tum motu minuatur, ex blaneo frigido destillationibus tenuibus morbum prouocat. Adest in pectore grauitas, & in pulmone difficultas respirandi, tusses noctu ingrauescunt, febres intensæ sunt. Horum morbis mitigantibus, & calefacientibus est propulsandus. Quòd si Luna benefico cõgrediatur, aut aspectu, aut coniunctione, producet ægritudinem, & diuturnam faciet, non tamen lætalem.

Luna in Capricorno a Marte.

Luna à Marte in Capricorno afflicta, morbum ex vomitu, & bile prouocat, aut ægra concoctione. Affectus iste est periculo plenus: deest vẽtriculo appetitus, molesta est neruorum intensio, ventris fluxus infestat, digitos acuta cholera exasperat, continuæ, & vagæ febres, tunc pectoris inflammatio affligunt: pulsus sunt remissi. Huic obstruentibus, & constringentibus erit opitulandum. Quòd si Luna beneficis non applicabit, quando ad Martis oppositum pertinget, morietur. Si Martis violentiam beneficus compescuerit, post septimum diem sanitati restituetur.

Luna a Saturno in Aquario.

Quando Saturnus, & tardam, & motu velocem, lumine, vel crescen

te,vel decrescente,in Aquario opprimet,ex labore, lassitudine, aut vigilijs morbum excitaturus est,& illum in remissione,& intẽsione inæqualem,quousque ad oppositionem venerit,reualescet,& maximè beneficis Lunam aspicientibus.

Luna à Marte in Aquario.

Si Lunam Mars in Aquario, & motu tardam, & lumine decrescentem affliget,morbi causa ex acerrimis,acutissimisque affectibus erit, sed æger vno de vicesimo die vires recuperabit, testificante præcipuè benefica.

Luna a Saturno in Piscibus.

Luna à Saturno in Piscibus afflicta, & motu, & lumine minuta, ægros ex refrigeratione balneorum, & distillationem dabit: molestæ erunt febres continuæ,rigores,accessionesque frequentes,suspirationes,mamillarum punctūræ,præcordiorum tensiones. His calefacienti bus,& mitigantibus erit succurrendũ. Quòd si Luna beneficis non occurret,in opposito Saturni morietur. Sin applicabit beneficis,diametro superata sanabitur,*sed longum, & diuturnum neruorum cruciatum relinquẽt.

Luna a Marte in Piscibus.

Luna à Marte in Piscibus oppressa,& veloce,& accrescente,ex plenitudine,& vini ingurgitatione morbi causas mouebit. Quare, & affectus nocturnis intensionibus augebitur,aderunt deliramenta,phrenesis,capitis dolores,febres ardentes,sitis vehemens,& vini cupiditas.His à venæ sectione sanitatis initium exordiendum est, adhibenda sunt & ea,quæ malum hunc habitum abigere possunt. Si Lunam benefici non iuuerint, in proximo quadrato Martis morietur. Si verò Luna cum Ioue,aut Venere in aliquo aspectu fuerit,hoc est,aut quadrangulo,dia metro,aut coniunctione. In quocunque etiam signo tempore decubitus progreditur, afflictus post proximam quadraturam aut oppositio nem restituetur.

Multum etiam referet,in qua hora primus morbi insultus deprehen detur,obseruare, an eo tempore benefici in ortu sint,aut medium cœli occupent. Plus namque sic constituti,collapsis alioqui viribus, opis subministrabunt,quàm præstantissimus posset Medicus. Scrutari igitur & diem, & horam decubitus exactè oportebit, & mundi positum examinare. Nihil enim homini superuenit,quod ex cœlesti consensu, & sympathia non oriatur,& originem ducat.

EXPLANATIONES.

1 *Duo tempora tradit, quibus corpora nostra planetarum vires, ac qualitates suscipiunt,alterum est hora conceptionis,alterum natiuitatis, quæ tempora tan-*

tam

tam habent inter se conuenientiam, vt locus Lunæ in conceptione sit locus ascendens in natiuitate, vt apertissimis verbis tradit Ptolemeus vel potius idem Hermes in libro Aphorismorum Aphorismo 51. cum autem nihil sit difficilius, quàm scire vel a patre, vel a matre conceptionis filiorum horam, & hæc sit potissima cum hæc sit naturale principium, & hora natiuitatis sit accidentale, auctore Ptolemeo lib. 3. de iudicijs cap. 1. Astrologi duas tradunt vias, quibus ea sciri possit, quas Medici discant censeo ex ephemeridibus, quę id tradunt, quod satis dilucidè facit Iosephus Moletus, & Valentinus Naibod in commentarijs in Alcabitium, quæ hoc loco monuisse, non autem docuisse satis esse duximus. Hic enim breuitati studemus.

2 Quid alij sentiant de hac re, vide pagina 6.

3 Planeta afflictus, qui sit vide pag. 31. b. nu. 3.

4 Totum nil aliud est, quàm suarum partium aggregatio, vt cum planeta ostendit vel in conceptione, vel in natiuitate, vel etiam morbi initij hora aliquod membrum lęsum non semper totum illud membrum lęditur, sed aliqua illius membri particula.


5 Detrimenta corporis, quæ a corporibus cęlestibus fiunt in duplici genere versantur: sunt enim vel impedimenta, vel morbi, Auctore Ptolemeo lib. 3. de iudicijs cap. 12. quid autem intersit inter hæc, docet his verbis [impedimenta non nisi semel contingent, nec multum durabunt, infirmitates verò vel semper durabunt, aut reciprocando contingent] infirmitates igitur hic sunt illa detrimenta, quę medici operam non postulant, imò si quis in eam curam incumbit, non solum nihil proficit, sed in perniciosissimas calamitates ægrotum perducit; quod re ipsa ego expertus sum & in me ipso: peritus igitur medicus huius rei sit oportet, ob id dixit auctor quę curatione corrigi possunt idest impedimenta a Ptolemeo dicta, quibus prudentes medici resistere possunt contrarijs rebus. iuxta illud Contraria contrarijs curantur, quæ autem res subiiciantur imperiis singulorum planetarum habebis (præter ea, quę scripta sunt ab hoc auctore) apud Marsilium Ficinnum in lib. da vita, cælitus comparanda, & ab Hasfurto etiam pag. 2. & 3.

6 De modo erigendi cęleste thema docuimus pag. 29. si quis tamen vult hanc rem exquisitius pertractatam, legat vel Alcabitium cum commentariis Valentini Naibod, uel ephemerides Magini, uel alias, si placet, quod cæleste thema si diligenter exploraueris, egritudinum causas habebis, cum in cœlis omnium humanarum rerum causæ existant, preter eas (ut superiùs diximus) quę in Dei, uel hominis libera uoluntate sunt. Quod si ita est, illud sequitur, ut hora decubitus, uel potius, qua ęgrotus ualde molestia morbi afficitur in cęlo adsit causa, quæ ex positu cæli illius horæ, & scrupuli dignoscatur.

7 Sępissimè accidit, ut horam ingruentis morbi ignoremus, tunc erigas cælestem figuram quęstionis hora, cum scilicet ad medicum urina defertur. Quod etsi minorem habeat uim, aliquam tamen habere & Ioannes Hasfurtus, & Galenus, &

alij existimarunt, & quod multi, & periti affirmant id negare impudentis est.
8 Quando Luna intendat, augeat lumen, vel contra docuimus pag. 30.
9 Totum caput 5. secundi libri Hasfuri, docet rationem, qua diiudicas hæc eadem, quare, & ea vnà perlegas censeo.
10 Qui planetæ sint amici, quique inimici discas pag. 12. b. Facile enim ex his rectè intellectis, cognitis morbis, scies quibus remedijs tibi vtendum sit.
11 Pag. 7. a. docuimus, qui morbi à singulis planetis oriantur, & pag. 4. & 5. Ioan. Hasfurtus idem docuit.
12 Quicunque tradit auctor in secunda parte, vbi ait de iudicijs, ita aperta sunt, vt interpretatione non egeant: præsertim si memoria tenueris, quæcunque superiùs tradita sunt de aspectibus planetarum inter se, de fortitudine, ac debilitate eorundem, & cæteris huiusmodi, quæ introductorio modo tradita sunt: ea igitur sæpius repetas lector oportet, quoad penitus tibi in memoria hereant. Neque hoc satis, sed illud memoria teneas, quod ad Trebatium scripsit Cicero. Nullam artem litteris sine interprete, aut sine aliqua exercitatione percipi posse, quod sensisse videtur, & philosophus in moralibus vbi dixit. Nullus medicus fit ex libris. Vt igitur opus sit perfectum, & absolutum necesse est sæpe figuram cœlestem erigere, & alicuius interpretis auxilio iudicare, vt eius rei perfectum habitum, & iudicium rectum consequaris, quo nihil est in medico admirabilius, & illud vnum, quo potissimum boni à malis medicis differunt.

FINIS.



PROGNOSTICA DE DECVBITV EX MATHEMATICA SCIENTIA,

Liber Galeno Ascriptus.

Iacobo Antonio Mariscotto Florentino Medico interprete,

CENSVRA.

Magnæ experientiæ liber, plerisq; tamen neglectus, quia pleriq; etiam diuinæ sunt Astrologiæ ignari. E quibus aliqui ob id ipsum, quòd illam ignorant, eandem etiam contemnunt.

Laudat Scientiam Mathematicam, priuatimque Astrologiam, quam in Medicina vtilem esse affirmat. Cap. I.



AD probandum quidem essentialem esse Mathematicam scientiam, vel ipsa Stoicorum philosophorum virorum authoritas sufficiebat, qui tum libros elaborarunt, tum vitam, qualis sit, ostenderunt. Nihilominus tamen, quoniam etiam in præsentia sermo nobis est de illis, quæ ars medica pollicetur, necessarium est eorum testimonia afferre, qui in ea fuere probatissimi, vt notum fiat cunctis ipsos etiam medicos, quos asciscere sibi oportuit præuisiuam suæ artis partem, si quidem non omnes, plerosque tamen Mathematicæ scientiæ illam tulisse acceptam. Hippocrates igitur & vetustate admodum notus, & scientia admirandus, inquit, Quicunque exercentes medicinam, Physiognomoniæ sunt expertes, horum mens in tenebras deuoluta torpida senescit. Non solum dixit

haud

haud recte facturos, verum etiam erraturos: nam dixit per tenebras vagari mentem illorum, qui Physiognomonia vsi non fuerint. At Physiognomonica pars astrologiæ est particula maxima. Qui igitur aliquam laudauit particulam, multo magis celebret ipsum totum. Diocles verò Carystius [medicus] & rhetor non solum asserit ipse (vt tu quoque nosti) sed & veteres insuper testantur ab illuminatione, & cursu Lunæ morborum prognostica solitos esse conficere. Quando igitur tanti ac tales tum dignitate, tum scientia viri, non tantum eius, quę in medicina habetur, præcognitionis hæredes, sed etiam facti suarum sectarum authores, [huic attestantur, quo pacto homines,] qui hanc quasi per manus acceperunt, fructumque ex alienis laboribus capiunt, quicquam de his addubitabunt? Quocirca tu quoque Aphrodisi charissime, si accurate decubitus elaboraueris modum, & prædictos viros fueris sectatus, e pulcherrima tuę artis parte capies fructum, pręcognoscendo, ac prædicendo, quæ sint ægrotantibus euentura. Hinc vero tractationem inchoemus.

De Lunæ tum motus, tum luminis incremento, ac decremento quocunque loco Zodiaci sit, uariaque eiusdem cum reliquis planetis configuratione. *Cap. II.*

ANte omnia Lunam considerare oportet, num ea moueatur addẽdo, an demendo numeris, non luminibus, sicuti decepti sunt quidam. Si ergo, vbi quis decubuerit, Luna in aliquo duodecim partes constituentium signorum incipia [propriæ magnitudini addendo, &] proprijs numeris moueri, progrediens ad æquipartium: est autem Aequipartium idem quod diameter [siue oppositum:] maximam faciet episemasiam [id est asignationem, seu commotionem, seu turbationem.] Maximè verò, si etiam coniunctionalis fuerit, vbi scilicet coniunctione soluta tendit in plenilunium, & feratur in cursus quantitatem maiorem, sub centesimum, & octogesimum gradum interficit. Si verò, vbi quis decubuerit, Luna demendo moueatur, morbus vsque ad oppositum faciet commotionem. [Luna enim ad oppositum, hoc est centesimum, & octogesimum gradum conuersa] morbum in magis salubrem conuertit. Aduerte autem animum ad motus, testimoniaque stellarum. Si enim, vbi quis decubuerit, Luna in maius moueatur, Marti Saturnoq; [cõfigurata, augebit morbũ, & periculosum reddet. Si vero, luminibus, numerisque augeatur, circa quadratum, periculum proculdubio afferet. Si vero phaetonti] id est splendenti [Ioui quocunque modo fuerit configurata, morbos sine periculo faciet: vel

in

in quadrato facta commotione incolumes reddet ad oppositum. Si vero phlegethonti Saturno configuretur numeris demens, circa nonagesimum gradum instabiles reddit, ac periculosos. Quòd si coniunctione soluta ad minora feratur, circa centesimum, & octogesimum gradum absque vllo dubio interimet. Si vero Soli, vel Marti in decubitu configuretur. numeris demens, vel etiam lumine deficiens, minuetur morbus ad gradum nonagesimum, & facta commotione ad sanitatem conuertetur. Quòd si coniunctionem soluerit, & adhuc minuatur, circa centesimum, & octogesimum gradum incolumitati restituet. Verum assumere reliquas etiam stellas oportebit, per singula signa, quo pacto se habet, illinc etenim: duodecim signa Luna permeante, causæ morborum cognoscuntur. Ante omnia autem scire oportet, si quis negligenter se in calculis gesserit, nihil ei secundum verum esse successurum: si vero non succedat, in ipso, non in re, causam erroris merito futuram. Numeri autem non secus, ac in ipsa natiuitate disquirantur, ex hisce enim veritas certa cognoscetur.

De configuratione Lunæ in Ariete. Cap. III.

SI factus fuerit decubitus, quando Luna est in Ariete, & Marti vel Soli configuratur, morbus à capite erit à Solis æstu, atq; meninges dolebunt, & erunt continuæ febres, & insomnia, & ardor, & sitis, & aspera lingua, & thoracis incendium, vel hepatis dolor, & pulsus elati, ac inordinati. His vtile fuerit sanguinem educere, & adhibere omnia quæ frigefacere queant, & mitigare: nam erit delirium, atque phrenitis. Quòd si nulla benefica Lunæ complicetur, habeatq; Saturnus eandẽ figuram, vsque ad diem septimum, interibit in primo quadrato, & maxime si una numeris, vel lumine augeatur. Si autem factus decubitus fuerit, vbi Luna est in Ariete, & aliqua maleficarum ex opposito, vel quadrato ei configuratur, vel cum ipsa apparet, stellam ipsam videre oportebit, quænam sit. Ac si quidem fuerit Saturnus, causæ in capite sunt, lethargus, sine sensu, alto sono oppressi, infrigiditati: adhuc autem inæquales, nuncquidem remisso morbo, nunc uero intenso.

Quòd si illa quoque luminibus, vel numeris, vel vtrisque demat, vt tibi antea dixi, ad dictum gradum nonagesimum, maximam habebit comotionem. Sed & reliquas quoque adiunge. Nam si Iupiter, vel Venus aliqua annuerit configuratione, in summum veniet discrimen, at oppositum prætergressus seruabitur. Si autem solus Mercurius propositæ cõstõni cõfigurẽt, absq; dubio moriẽt. Et si igneus quoq; Mars, ꝑpositæ figuræ configuretur, redemptores tu potius existimabis. Quare

opor-

oportebit te omni prudẽtia, vti scientem huiusce stellæ frigidiores esse affectus, atque rheumaticos. Si vero Luna configuretur Marti, vel Soli, numeris addens, vel etiam lumini, inducet ea in capite affectus, alienationes mentis, phrenitides, circumdolentias, inflammationes, incendia, αἱμαγμοὺς quasi cruentationes. Oporetbit igitur in cunctis, vti illis, quæ frigefacere valeant, & discutere, atque hisce quidem maximè circa quadratum: nam post tertium [vel quintum] diem augeri incipit morbi magnitudo: affectus vero periculosi erunt, & acutissimi vsque ad oppositum. Si autem Mercurius propositæ figuræ configuretur, periclitatus seruabitur: nanque hic consentit cum Marte, è contra vero à Saturno dissentit. Si vero vbi factus fuerit decubitus, Ioue, vel Mercurio, & Veneri, vel etiam alteri ipsorum tantum Luna configuretur, morbos quidem facit inæquales, & in diuersos affectus deuoluuntur, sed omnino seruantur. Te ergo oportet diætis adhibere animum, horisq;, & deambulationibus, & balneis, & vino exhibendo: qui enim Saturno configurante decubuere, & balnea cupient, & quietem, & lectum, cibumque multum, & calentem potum: Qui autem Marte, potum frigentem, motum, vinum, ventos. Oportet ergo te à proprio iuxta quamlibet stellam desiderio haudquaquam retrahere: quælibet enim stella, quibus rebus delectatur, & optat, his etiam iuuat.] Vt enim mihi videtur optime Aphrodisi, ne putato huiuscemodi curationes medicæ rationi aduersari. Ego enim, qui cognitas habeo stellarum naturas, effatus sum tibi, quibus rebus quælibet delectetur, vt in cunctis, labi non possis.

De configuratione Lunæ in Tauro. Cap. IIII.

SI quis vero decubuerit, quando Luna est in Tauro, & Saturnus in eius est quadrato, vel opposito, vel cum ipsa vnà, præsertim vbi ea, [& lumini numeris demit, morbus ẽt in principio à crapula erit, & ferculis, & plenitudine: & erunt febres astrictæ, & hypochondriorũ dolor, & labor articulorũ, & pulsus elati, ac inordinati, & totius corporis inflammatio, & in pulmone, ac latere sinistro, sensus grauitatis. Hos iuuat sanguinis detractio, eaque omnia, quæ valent habitum demoliri.

Si igitur beneficæ vsq; ad oppositũ, non complicentur proculdubio morietur. Quòd si etiã Mars eandem figurã, aut Sol, retineat, in primo quadrato interibit. At si beneficæ adsint, Lunamque aspiciant, periclitatus seruabitur. Si vero quis decubuerit, quando Luna est in Tauro, præcipue vbi dies est, Mars autem cum ea est simul, vel in eius oppositos aut quadrato, morbus erit ex plenitudine sanguinis, & adstrictio, & incendium, & dolor colli, ossiumque, excessusq; insomnia, & magnũ vini desiderium, & frigidæ.

His

His ergo ſanguinis detractatio conducit, & omnia, quæ relaxant. Quòd ſi Saturnus eandem cum Luna obtineat figuram, nullaque benefica complicetur, nonum diem non ſuperabit: ſi autem beneficæ præſentes adſint, vel configurentur, periclitatus vſque ad vigeſimum diem ſeruabitur. Si vero quis decubuerit, quando Luna eſt in Tauro, ac iuxta propoſitam conſtitutionem, & lumina, & numeros imminuit, ipſi vero Saturnus quomodocunque configuratur, præſertim ſi Mercurius vnà comprehendatur, affectus iuxta ſanè ſigni proprietatem in ipſis initijs tarde mouebuntur, & ægre innoteſcent, veluti ſi non adſit morbus: & corporibus imbecilli, & interrupti loquelis, & ſtomacho nihil appetentes, & calefactiones, quæ ſunt in profundo oſtendentes, & articulis dolentes, & toto corpore reſoluti. Hæc autem ego tibi ſigna in quolibet ſigno propono, vt ſi quod ex illis appareat, facile videas quid de infirmis ſit pronunciandum. Natura enim hoc ſignum, cum habeat ſignificationes aquarum. inducit & terra, & maris tempeſtates, & excitat diuerſorum turbationes ventrorum. Quare te capitis curam gerere oportet: hoc enim oſtendit tibi principij fixam ægritudinis cauſam: vnde, & neruoſum omne compatietur, & noxæ ſtomachi conſequentur, pulſusque abditi, & formicantes, præcipue per diem. Quamobrem nutrire quidem oportet, non autem vereri ob puſillanimitatem, & detractiones ſanguinis, & vētris ſubductionem, omniaque, quæ euacuant, vt quæ magnam admodum debilitatem inducant à quadrato autem vſque ad oppoſitum diligentius ſeruare. Si enim coniunctione ſoluta aſsignatione mutabit in melius, morbus in oppoſito diſſoluetur: at ſi coniunctione ſoluta, in deterius aſsignationes faciet præſertim ſi nulla benefica in decubitu fuerit complicata, oppoſitum non prætergredietur.

Si vero quis ducubuerit, quando Luna eſt in Tauro, & Marti, vel Soli configuratur, præſertim ſi plena lumine ſit, vel gibba vtrinque, numeris augeſcens, in collo, & hypocondrijs erunt cauſæ ex plenitudine, & febres ardentes, ac conſtrictæ, & in lingua aſperitas, & oris amaror: ipſi vero oculis toruè intuentes, facieſque prorſus minabunda, ac verbis temerarij, & frequentius in domeſticos amarulenti inſultant, & ſunt ſiticuloſi. Oportet itaque ventris curam gerere, ne ſit adſtrictus, atque in primis ſanguinis detractionibus vti, neque à deſiderio frigidi potus admodum retrahere: nam morbi à principio vſque ad quintum, ſiue ſeptimum erunt acutiores. Oportet autem eſſe attentum. Si enim videris Leonem in quarto, Lerit affectus cardiacus. Quare oportet in ſeptimo ſingulis horis eſſe attentum, & ad vini, ac frigidæ potionem præparari. A ſeptimo autem, ſi ad deterius vertatur, eius

Hh ſalus

ſalus eſt deſperanda: nam ineuitabiliter morietur. Inſpicere autẽ oportet & horas in hac commotione, quo pacto poſsis horã adaptare ad beneficas, & nutriendo, vel lauando, vel vinum exhibendo, opitulari. Si enim in hac commotione cibus detur, medicæ id rationi aduerſabitur: at ſi in hora detur beneficarum, magnopere iuuerit.

Quòd ſi Lunæ, dum ad eum, qui dictus eſt, ſe habet modum, Iupiter vel Mercurius, vel Venus configuretur, ſiue addat illa numeris, ſiue demat, vſque ad oppoſitum manifeſta fiet ad ſalutem conuerſio. Oportet ergo citra omnem adiectionem diminuendo cibare.

De configuratione Lunæ in Geminis.

SI vero aliquis decubuerit, quando Luna eſt in Geminis, & Saturnus eſt cum ipſa, vel oppoſito aut quadrato aſpicit, origo morbi à labore, & vigilia erit, vel in primis ab itinere, ſi Luna lumini demat, & numeris: habebit enim in articulis dolorem: & paulatim ſe retegit morbus, & à tertio die incipit augeri vſque ad vigeſimum: febres enim tenues erunt, & corporis totius extenuationes ob eas, quæ frequentius noctu fient intenſiones: & dolor ſplenis. Quòd ſi nulla benefica complicetur; & eadem igneus Mars figuram obtineat, poſt trigeſimum diẽ morietur. Sed ſi adfuerint beneficæ, ac Lunam intueantur, in diuturnos, & periodicos delapſus affectus ſeruabitur. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna in Geminis, & Mars vel cum ipſa eſt, vel ex oppoſito ſeu quadrato aſpicit, tum autem numeris, lumineque augeſcit, inſtabilis morbus, ac periculoſus erit. Nam continuæ erunt febres, adſtrictæque, ac ardentes, & pulſus elati, ac inordinati. His igitur conducet detractio ſanguinis. Quòd ſi nulla benefica Lunam aſpiciat, & eandem Saturnus figuram obtineat, vſque ad diametrum morietur. Sed ſi eam benefica aſpiciat, periclitatus ſeruabitur. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna eſt in Geminis, procatarctica morbi cauſa à labore erit, & balneis, atque omnis humiditas morbum retinebit. Quòd ſi configuretur ſplendens Saturnus ſcintillantem Mercurium ſocium aſſumens: præcipue ſi Luna à cõiunctione numeris demat, opertas ſcoptulas dolebit, & lumbos, & totum corpus erit ignitum, ac in ſuperficie veluti ex aduſtione dolens. Erunt autem inutiles ſanguinis detractiones, quod quidem ipſi exoptabunt: & contraria erit frigida potio vſque ad ſeptimum. Cum autem ea coniunctionem ſoluit, & ad minora mouetur, proculdubio interibit. Si vero in propoſita conſtitutione aliqua beneficarum in decubitu configuretur, ab alijs in alios decidunt affectus, vt iſchiadas, & alios quoſdam in ipſis articulis dolores. Quantitas autem temporis innoteſcit tibi ex ipſa Lunæ copulatione, hoc eſt ex ipſo ſtellæ beneficæ progreſſu: nam proculdubio ſeruantur.

uantur. Eadem autem ratio in omni signo. Si vero decubitus fiat omnium carens configuratione stellarum, inæquales morbi sunt, sub oppositum autem liberantur. Inęqualitas vero ita tibi statuatur, quocunque in signo Luna extiterit, in eo ipsam imperium assumere: indicat enim tibi ipsa stella per singulos dies, vtrum intendetur, an remittetur. Si vero in proposita decubitus constitutione Luna fuerit in geminis, & configuretur ei quocunque modo Mars, aut Sol, aut vterque, ac præcipuè si ipsa plena lumine fuerit, vel gibba vtrinque, feratur autẽ in magna suo motu, erit quidem ęgroti ea præsumptio, suam vt salutẽ desperet & lacrymantur, ꝙ tali statu sint: exiliunt autem, & sunt in loquendo audaces, simulachrorum imaginationibus insilientes: quibus omnibus augescentibus augescit affectus. Interdiu autem & stomachi est debilitas, & affectus circa meningem, vt fiant, & fractis viribus, & sine pulsu. Oportet ergo colligando, atque fouendo curam gerere extremorum, & cogitare opportunas esse sanguinis detractiones: iuxta autem signum & præcipuè si ipsi appetant adaugere cibos: à coniunctione enim cognosces signum, & soluere morbum audies, si & stomachus validior tibi esse videbitur, & meninx ab effectu liberata, seruabuntur hi proculdubio. Quòd si ab oppositione morbus tendat ad incrementum, & per ventrem tenuia reddantur, proculdubio intereũt. Magnopere autem conducit, si, quæ consueta sunt, exhibeantur. Si autem beneficæ iuxta hoc signum propositæ constitutioni configurentur, ac si Luna vel demat vel addat, omnia quidem medicamina abdicare oportet. regere autem balneis simplicibus, & placidis, & gestationibus, & exercitamentis, quæ per manus fiunt: nam absq; dubio seruantur. Quidam autem in ipso quadrato, morbo liberantur.

De configuratione Lunę in Cancro. Cap. VI.

SI vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Cancro, & ei iungitur Saturnus, vel ex opposito, aut quadrato aspicit, morbi origo à balneis erit, & frigefactione. In thorace erit fluxio, & tusses, & corporis adstrictio, & febriculæ tenues, ac malignę, & pulsus tenues debilesq; & lateris dolor. His igitur conuenient calefacientia omnia. Quòd si benefica Lunam non aspexerit, morbo producto hic obibit vsque ad diem quadragesimum. Si autem benefica Lunam aspexerit, [in primo quadrato] multis vexatus malis seruabitur. Si verò aliquis decubuerit, quando Luna est in Cancro, & cum ea est Mars, vel ex opposito, aut quadrato aspicit, morbi origo à vomitibus erit, & cholera, ac stomachi subuersione. His igitur conuenient frigefacientia & adstringentia omnia. Quòd si beneficæ Lunam haud aspexerint, in primo quadrato interibit: at si benefica Lunam aspexerit, in primo quadrato seruabitur. Si vero quis

decubuerit, quando Luna est in Cancro, morbus erit ex vini ingurgitatione, ac vsu immoderato. Incipiet autem à distentione, & eleuatione membrorum collaborantium: & ægri differendo declarant locum affectum. Erit autem à frequentioribus vomitibus, atque abundantia bilis: Ægre igitur respirant, & costas dolent proiectantes se valde, ac volentes frigido in aere esse continenter, vt etiam operimenta abijciant, & circa artus dolentes frequentius exurgent, præcipuè ab opposito. Quare oportet non solum absistere à frigida exhibenda, sed adhibere etiam, quæ valeant frigefacere, & discutere, præcipueque principijs. Si vero Marti, aut Soli, aut vtrisque, quocunque aspectus modo Luna configuretur, erunt febres per additionem & augmentum, & pulsus inæquales, aliàs quidem aucti, aliàs autem attenuati. Quare sanguinis detractio conducit: à quinto enim gradu vsque ad nonagesimum hoc est quadratum lateris, successiui & maligni affectus consequentur. Quòd si nulla benefica complicetur, quousq; soluerit coniunctionem, in neruoso patiuntur, & delirant acclamantes, ac vociferantes. Naturaliter autem iuxta hoc signum in noctibus superueniunt affectus. Si autẽ coniunctionem soluerit, & ad minora moueatur, ac beneficè copuletur, in periodicum affectum veluti quartanarium delapsus seruabitur. At si maleficæ copuletur, modo nihilominus periodico perdetur. Si vero in prædicta constitutione, nulla fuerit media vsque ad oppositum, si Luna coniunctionem soluat, & tendat ad minora, seruabitur. At si à coniunctione ad maiora moueatur, malefica autem media fuerit, Saturnus inquam, vsque ad oppositum periclitatus seruabitur. Naturaliter autem, qui hoc in signo decubuerunt, morbis laborabunt, qui ægre intermittant, atque malignis: & quæ illis conferre medicationes videntur, aduersantur. Conuenit autem & vini exhibitio, & balnea, & cibi qui celeriter valeant distribui. Si vero in proposita constitutione Saturnus, aut Venus configurentur, morbi quidem remittentur, vt ostensum est tibi, sed restabunt magis dolores in articulis, auribusque: quidam autẽ in pulmone vel hepate retinent affectus: ita autem diuturnę erunt ægritudines. Si ergo in hac figura Luna numeris demens moueatur, diu durant affectus, & nihilominus in affectu morientur. Quod si Luna augendo & numeris addat & lumini, ac Iupiter quocunque modo aduocetur, decumbent tamdiu, dum Luna ad decimum à decubitu signum deuenerit. Si vero nec à maleficis, nec à beneficis aspiciatur, in ipso signo morbo liberabuntur.

Quod si beneficæ tantum, atque Mercurius quocunque modo configurentur, vsque ad quadratum ipsos soluunt affectus. Oportet ergo à frequentioribus balneis abstinere, conuerti autem ad exercitamenta ge

statio.

stationesque, namque hoc modo morbi mitigabuntur.

De configuratione Lunæ in Leone. Cap. VII.

SI vero quis decubuerit, quando Luna est in Leone & [Mars cum ea est,] vel ex opposito, aut quadrato aspicit, morbi initium erit ex plenitudine, & cruditate. Erit.n. in pectore ac hypocōdrijs dolor, & erunt intensæ febres, & caliditas in profundo, quàm in superficie maior, & aluus adstricta. His igitur omnia conuenient, quæ excalefaciunt & relaxant. Quòd si beneficæ Lunam haud aspexerint, vsque ad oppositū interibit. At si beneficę Lunam aspexerint, multa passus mala seruabitur. Si vero quis decubuerit, quando Luna est in Leone, & simul cum ea est Mars, vel ex opposito aspicit, aut quadrato, morbi initium à sanguinis plenitudine erit. Et erunt febres fluidæ, & pulsus debiles, atq; abditi, & animi defectus, & appetentiæ collapsæ, & grauitas, & cataphora, & totius corporis languor, & cardiaca dispositio. His igitur conuenient constringentia, & infrigidantia cuncta. Quòd si benefica nulla Lunam aspiciat, vsque ad nonum interibit. At, si beneficæ eam aspiciant, post oppositum periclitatus seruabitur. Si vero quis decubuerit, qñ Luna est in Leone quocunq; in gradu (hoc aūt ipsum in alijs ēt signis aduertatur licet ego de illis non decernā) in horoscopo existente Leone, erit morbus ab animali principio, & molestis laboribus, aut negocijs, & alijs sollicitudinib. Pectus quidē erit ardens, extrema aūt frigentia, & causæ in capite erunt, & oculi cauati, & naris contracta, & videbuntur sine pulsu esse ægrotantes, & morbum ostendent diuturnum, & quantum ad plenitudinem viribus valebunt. Oportet ergo è vestigio sanguinem detrahere (si quidem fieri potest) dum Luna in ipso signo mouetur, & præcipue quidem si inceperit ad maiora moueri: sin minus, vsque ad tertium: & extrema fricare, ac exagitare omnia, quæ sunt infra thoracem. Quòd si Mars, & Sol, Lunæ addenti vtrisque nempe numeris ac lumini configurentur, cardiacus erit affectus proculdubio vsque ad quintum diem: sub quadratum vero latus si cesset à numeris, aut etiā adaugeat, Saturno autem configuretur, saluus fiet. Si vero Iupiter, aut Venus Lunę in decubitu configurentur, vbi ipsa Luna ad tetragonum venerit, seruabitur. Si vero ipsa quoque sola numeris demens, saluus fiet. Vtiles autem fuerint ipsæ vini exhibitiones, & blanea, & post tertium, aut quintum gestationes. Si vero in proposita figura, quando in decubitu Luna est in Leone, ac ad magna mouetur, vel lumini addit, Saturnus ipsi configuretur ac Venus, vel beneficarum, vna, ea quidem quæ sunt prædicta, vsque ad quadratum euenient, nihilo autem minus dolores in vesica erunt, & stomachi inflationes, verum seruātur.

Quòd

Quòd si ea à coniunctione maiora percurrat, proculdubio seruabuntur. Quòd si propositæ figuræ Saturnus, & Mars, aut alius quispiam configuretur, ipsaque borealem versus tendat, vbi ea ad oppositum venerit, morbi omnino solutio fiet. Oportet autem haud fouere, neque in locis tenebrosis habere decumbentes, continenter vero longe à cupiditate retrahere. Est vero vtile frigidam exhibere: & vtiles cibi, qui implere valeant, non autem imminuere. Si vero ipsa Luna cunctis sit inconspecta, ad magna autem moueatur, vbi venerit ad oppositum, facta crisis commotione morbum soluet. Quòd si ad minora moueatur, ægrotus, quoad illa coniunctionem sit prætergressa, inæquali morbo detentus, frequentiusque in morbum relapsus seruabitur.

De configuratione Lunę in Virgine. Cap. VIII.

SI vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Virgine, & Saturnus cum ipsa est, vel ex opposito, aut quadrato aspicit, morbi origo erit ex tarditate, & cruditate ventris, & dolor intestinorum, & hypocondriorum inflammatio: & febres adstrictæ, & in remissione & intensione inæquales: & pulsus abditi, crebrique, ac inordinati. His ergo conuenient calefacientia omnia, & relaxantia. Quòd si beneficæ Lunam non aspexerint, circa quadragesimum periclitabitur. Si autem beneficæ Lunam aspexerint, longum passus morbum seruabitur. Si vero aliquis decubuerit, quando est in Virgine Luna, & cum ipsa est Mars, vel opposito, aut quadrato aspicit, erit morbus à fluxu ventris, & in affectum vertetur dysentericum, & erit sanguinis fluor, vlceratioque in intestinis, febres tenues, fluidæ, & pulsus debiles, crebrique, & collapsæ appetentiæ, & stomachi subuersio. Hisce conuenient omnia, quæ constringunt. Quòd si beneficæ Luna non aspexerint, trigesimo die interibit. Si autem beneficæ Lunam aspexerint, seruabitur. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Virgine, erit morbus à dispositione cœliaca, doloribusque, ac inflatione ventris: atque incipient veluti ex læsa coctione] alia quidem per ventrem acuta affluere, alia vero per vrinas ferri virida, & male olentia: præcipue vero punctiones tanquam in diaphragmate fiunt, ac stomachus resoluitur, totum vero neruosum collaborat, ab initio enim statim oculi sunt assidue vigilantes. Quòd si ea ex minimo etiam cursu impulsa ad maiora moueatur, configuretur autem illi Mars, vel Mercurius, vel etiam Sol, delirabunt quoque loquelis impediti. Oportet ergo illis vti, quæ densare, & contrahere humida possint: inutilis autem frigidæ exhibitio, & omnis succus frigidus. Quòd si à quadrato ad maiora vertatur, accuratiùs à quocunque frigefaciente arceantur: etenim vsque ad diametrum periclitati

tati in affectum cœliacum, vel dysenteriam deuoluuntur, atque ita protracto morbo deficiunt. Si autem huic constitutioni Saturnus configuretur cum Mercurio, vel Venere, vel Ioue solo, nihilo minus erit diuturnus morbus, & splenici affectus, atque renales, nisi quòd etiam sic quoque protracto morbo, atque illo afflicti, seruantur. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna sola mouetur, neque aspicitur, siue addat, siue demat, siue quocunque alio figuræ modo se habeat, sanguinis fluxum patietur. Soluit autem hosce morbos Luna, circuitione peracta. Pallidi autem, & coloris atri multo tempore ægrotantes fiunt, nihilo tamen minus seruantur. Si vero Iupiter, vel Venus, vel Mercurius, vel quilibet ipsorum, vel etiam omnes, in decubitu annuant, nihilo minus, quæ sunt in ventre, fluxu laborabũt: in ipso autem signo vsq; ad quintum ægritudine soluunt. Oportet vero vini quidẽ vsum indulgere, balneorum autem deuitare.

De configuratione Lunæ in Libra. Cap. IX.

SI vero aliquis decubuerit quando Luna est in Libra, & Saturnus cũ ipsa est, vel ex opposito, aut quadrato aspicit, morbi origo erit ex potu vini, & maximè ex crapula, si lumini, numerisque Luna demat, fiatq; in nocte decubitus. Affectus autem in capite & thorace erunt, defluxus & tusses à principio, & in capite sopor, & ablatæ appetentiæ, & duplices intensiones, & continuæ febres, & crebræ] atque imbecilles. His ergo conuenient calefacientia omnia. Quòd si cum Marte quoque eandem retineat figuram, proculdubio in opposito morietur. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Libra, & Mars cum ipsa est, vel ex opposito, aut quadrato aspicit, erit morbus ex sanguinis abundantia, & erunt febres intensæ, & elati pulsus, & mentis alienatio, & phrenitis, & insomnię excessus, & in toto corpore inflammatio. His conueniet sanguinis detractio, ac omnia, quæ valeant habitum extenuare. Quòd si benefica Lunam non aspexerit, in diebus decem interibit. Si autem beneficæ aspexerint, vsque ad oppositum periclitatus seruabitur. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Libra, causa erit ad extrema: dolebunt etenim ipsa, & ignea erunt, atque eam, quæ in profundo est magis, caliditatem manifestabunt: statim vero soporantur, & magis oculos tanquam ad somnum conuertunt, & absque appetentia iacent. Ita ergo naturaliter in hoc signo morbi fiunt, in quo falluntur aliqui, assiduum nutrimentum] causantes. Si vero, quando ipsa mouetur ad minora, Saturnus, vel Venus, vel Mercurius, vel quilibet ipsorum accesserit, vsq; ad quadratũ proculdubio in phrenitidem incidunt. Quare calefacere oportet, atque vti ijs, quæ discutere queant, & repercutere, & asseruare in quiete, atque custodia, ne

forte

forte aquam furtim bibant. Ita enim quæ sunt in ventre excreta vsque ad oppositum, morbi facient dissolutionem: nihilo autem minus in longiora, & inæqualia mala deuoluti, veluti periodica, hoc pacto seruabuntur. At si solus Saturnus fuerit, peribunt. Si autem in prædicta constitutione magno cursu feratur, vsque ad oppositum ob febrium intensionem, & remissionem multa passi] seruantur. Si vero, quando Luna est in Libra, Mars, & Sol Lunæ opponantur, causæ in capite erunt, cephalalgia & rheumatismus, & hemicrania. Quòd si Mercurius accedat, causæ erunt in oculis, suffusiones, glaucedines, pupillarum dilatationes. Oportet ergo vt plurimum sanguinis detractione vti: vtiles autem, & excretiones per ventrem. Sic vero diu perdurantes, nihilo minus periclitabuntur, in eodem affectu manentes. Quòd si Iupiter, aut Venus quocunque configurationis modo complicentur salui fient, in eisdem affectibus manentes. Quòd si ipsa haud aspiciatur, ac si decrescat, malignæ quidem ægritudines erunt, & inordinati pulsus, qui difficulter comprehendi queant: nihilo tamen minus, vbi ad oppositum Luna peruenerit, morbum soluit. Hoc autem sciatur, in omnibus tropicis, & æquinoctialib. signis, malignas esse ægritudines.

De configuratione Lunę in Scorpione. CAP. X.

SI vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Scorpione, & Saturnus est cum ea, vel ex opposito aut quadrato aspicit, morbi origo erit ab exulceratione, aut inguinum aut locorum abditorum ad anum, vel pudendum. Quòd si Luna numeris addat, aut lumini, seruabitur ægrotus, ac præcipue si beneficę intueantur. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Scorpione, & cum ea est Mars, vel ex opposito, aut quadrato aspicit, lumine autem deficit, ac numeris demit, maximè si beneficæ intueantur in primo quadrato seruabitur, aut vsque ad oppositum: nam morbi erunt mites, & qui facile mutentur. Scito autem eandem esse rationem in omnibus signis, quando huiuscemodi figuræ inciderint. Si ergo aliquis decubuerit, quando Luna est in Scorpione, morbus erit ab horroribus minimis. Hi enim contemnentes [morbos, atque deambulantes,] augebunt affectus. Causa autem procatarctica erit in vesica, & partibus. quæ coxas interiacent, aut etiam vlceratio sedis. Ad tertium vero vsque diem rectus febricitans, morbum augebit. Quòd si numeris addat, & præcipue ab oppositione, & cum ipsa sit Mars, per Scorpionem, & ferrum in occultis locis noxam patientur. Quòd si Sol quoque vnà fuerit, ac configuretur, apostematum ad costas noxam patientur. Si autem ad maiora vertatur (est autem hoc, [quando diurnus Lunæ motus graduum est] circiter quindecim per longitudinem), noxam ad costas accipient, & per vomitiones sanguinem

nem

nem aut excretiones eijcient. Oportet ergo à frigidæ potu arcere continenter, & in quiete asseruare. Inutiles vero sunt clysteres, & quæ frigefacere queant cataplasmata, & sanguinis per cucurbitulas detractio: inutilia etiam balnea. Vbi vero Luna vsque ad vndecimum venerit, tum sic prætergredientes longos faciunt affectus, tum itidem periclitãtur. Quòd si Iupiter & Venus vnà cum Luna fuerit, aut configuretur, erũt quidem mala proposita, at mora protracta seruabuntur. Temporum autem, vel dierum quantitas à complicatione stellarum tibi innotescet: nam durant affectus vsque ad earum aspectum. Determinatus enim est decubitus vsque ad oppositum: prętergressæ autem oppositum diuturnas stellæ faciunt ægritudines. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Scorpione, & Saturnus est cum illa, aut configuratur, & minora percurrit, vel etiam ad coniunctionem fertur, proculdubio resoluentur: & deuoluentur in mala diuturna, veluti qui defluxum circa pudendum, aut proxima sedi loca patiuntur. Quòd si nulla benefica applicetur aut configuretur, in ipsis interibit malis. Quòd si Luna ad maiora excitetur, & ei Saturnus configuretur, proposita quidem mala obuenient, at protracta mora seruabuntur. Naturaliter autem iuxta hoc signũ sunt inutilia balnea, omniaq; quæ possint fluxionem ciere.

De configuratione Lunę in Sagittario. Cap. XI.

SI vero quis decubuerit, quando Luna est in Sagittario, & est cũ ipsa Saturnus, aut opposito, quadratove aspicit, erit morbi initium ex humidorum, tenuiumq;, & acutorum rheumatum fluxione. Dolebunt autem articulos, & patientur febres, quæ cum rigore inuadunt, & assignationes erunt cum rigore, ac frigebunt extrema. Quando igitur Luna lumini, numerisq; maximè demit, duplices erũt assignationes & febres astrictæ, & abditi pulsus. His conuenient ea, quæ resoluũt, & calefaciũt.

Quod si benefica Lunam aspexerit, periclitatus seruabitur vbi oppositum præterierit. [At si benefica non aspexerit, vsq; ad oppositum interibit.] Si vero quis decubuerit, quando Luna est in Sagittario, & cũ ipsa est Mars, vel opposito, aut quadrato aspicit, vel lumine eadem augescit & numeris, ex plenitudine & crapula instabilis erit morbus, & periculosus. Erunt enim continuæ febres, & intensæ, & fluidæ, & cholerici affectus, & ventris fluxiones & debiles pulsus. His igitur conuenient frigefacientia cuncta, & astringentia. Quòd si maleficæ Lunam aspexerint, die septimo interibit. At si beneficæ eam aspexerint, vsque ad oppositum periclitatus seruabitur. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Sagittario, morbus à balneo erit, & frigido aere, & totum corpus rheuma infestabit, & erunt in facie pulsus, & gingiuarum dolor, & dentium: causa autem procatarctica in-

pectore erit. Quòd si Luna minor percurrat, præcipue vero si ad Solem feratur, & cum illa sit Saturnus, vel Mercurius configuretur, erunt in pulmone vlcerationes, & in septo transuerso inflammationes, totumque corpus erit inflammatum. Oportet autem adhibere vim habentia siccandi. Sunt vero etiam vtiles sanguinis detractiones vsque ad quintum. Quòd si etim à decimotertio gradu ad decimumquartum moneatur, afflicti vsque ad quintum peribunt. Si autem Iupiter, vel Venus propositæ constitutioni fuerint præsentes, futura quidem sunt ea mala, quæ diximus, sed seruabuntur. Quòd si Luna ad maiora festinet, & illi Mars, & Sol configuretur, maximè quidem frigore, aut tussibus corripientur. Naturaliter autem iuxta hoc signum vigiliæ fiunt, & noctu mala intenduntur: fiunt autem valde parui pulsus. Oportet vero fouere, & in obscuro loco habere cubantes. Balnea autem sunt inutilia, & vniuersa, quæ facile resoluunt. Si igitur beneficæ intueantur, periclitatus seruabitur. Quòd si Luna à beneficis aspicitur, aut ab vna ex ipsis, morbi soluentur non admodum vehementes facti, in opposito.

De configurarione Lunæ in Capricorno. Cap. XII.

SI vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Capricorno, atque tum numeris, tum lumini demit, & Saturnus iungitur ei, vel opposito aut quadrato aspicit, initium morbi à perfrigeratione erit balneorum, & rheumatis tenuibus, & in thorace erit sensus grauitatis, atque in pulmone, tussesque à principio, & assigationes cum rigore, & intensiones nocturnæ, & febres intensæ. His igitur calefacientia omnia conueniunt. Quòd si beneficæ Lunam non aspiciant, vigesimoprimo die moritur. Si vero eam beneficæ aspiciant, viuet quidem, sed patietur longum in pulmone affectum.

Si autem decumbat aliquis, quando Luua est in Capricorno, ac iungitur ei Mars, vel opposito, aut quadrato aspicit, initium morbi à vomitu erit, & cholera, vel corruptione, vel [tarda coctione. Morbus igitur erit periculosus, & acutus, & neruorum contentio, & fluxus ventris, & in ano acrimonia, & vlceratio.] His conuenient omnia, quæ frigefaciunt, & astringunt. Si ergo non aspiciat benefica Lunam, quinto, aut septimo die interibit. At si eam benefica aspiciat, post septimum periclitatus seruabitur. Si vero quis decubuerit, quando Luna est in Capricorno, causa procatarctica à labore erit, & idigentia. Erit autem in dorso dolor, & horrorum insultus, & insultum frequentiores assignationes, vt, & secunda, & tertia fiat: & corporis totius pilorum erectiones, & febres adstrictæ, & ordines interupti. Hæc ego tibi

bi

bi frequentiùs propono, vt ex huiusmodi signis assequare, & conijcias ægritudinem.

Quòd si numeris demat, frangit ægrotis vires, & morbum adauget, & in loquela balbos reddit, & cum tarditate sursum spectantes. Si autem Saturnus etiam configuretur, aut sit vnà, periclitantur quidem vsque ad oppositum propter febrium intensiones: at si benefica complicetur, seruantur, ac diu perdurant in malis. Si vero in proposita constitutione Mars, vel Sol configurentur, affectu quidem liberabuntur, sed in affectus periodicos incidunt, & ita seruantur. Quòd si Luna addendo, numeris augescat, sitque ei præscens, vel configuretur Saturnus aut Sol, augescunt mala vsque ad oppositum, & cum periculo ægrotant. Si autem in quinto augescant, oppositum omnino non superabunt.

Si vero Luna fuerit cum Ioue, vel Venere, vel Mercurio, [vel etiam vtrisque, erunt quidem causæ propositæ, sed seruabuntur. Animum ergo aduerte: naturaliter enim iuxta hoc signum morbi periculosi fiunt. Quare balneis oportet abstinere, frigidæque exhibitione: ad gestationes vero seu lectos pensiles,] vnctiones, atque exercitamenta conuertit.

De Configuratione Lunæ in Aquario. Cap. XIII.

SI autem decubuerit aliquis, quando Luna est in Aquario, numeris addens, ac lumini, & ei iungitur Saturnus, vel ex opposito, aut quadrato aspicit, initium morbi erit à laboribus, vel insomnijs, vel itinere. Erit igitur inæqualis in intensione & remissione morbus: & vsque ad oppositum seruabitur. præsertim si benefica Lunam aspexerit. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Aquario lumini demens, ac numeris, & Mars iungitur ei, vel opposito, aut quadrato aspicit, erit morbus [acutissimorum affectum: & periclitatus seruabitur post nonum diem, præsertim si etiam beneficæ Lunam aspexerint. Si vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Aquario, erit morbus] ex prægressa aliqua causa bubonis oborti, vel ex ochreæ, aut ex pudendorum dolore. Et ita febres erunt ardentes, & intensæ, & in primis incendium extremorum, sitibundique, ac frigidæ appetentes, & frequentius exurgẽtes. Quòd si ea per magna feratur, & cõfiguretur, vel accedat insuper Mars, vsque ad quadratum mente permutabitur. Vtiles autem erũt sanguinis detractiones: itemq; si non à frigidæ desiderio prohibeantur, & si in luce decumbant. Si vero etiam ad maiora percurrat, vbi ea fuerit in quadrato, ac nullatenus fuerit morbus imminutus, vsq; ad oppositum intereunt. Si autem propositæ constitutioni Iupiter, vel Venus, vel vtriq;, attestentur, & ipsa Luna ad minora festinabat eo tẽpore, quo decubuit,

vsque ap oppositum periclitatus seruabitur. Si vero lumini demat,& numeris, configuretur autem Saturnus, vel etiam Mercurius insuper accedat, mala quidem eadem erunt, sed largos fluxus ad artus patientur: reddet autem mala longiora,& hydropem aliquo pacto ostendet. Et si etiam à media constitutione per minora moueatur, in ipso affectu morientur. Si vero Luna sub decubitum per media percurrat, quæ quidem proposita est, causa erit, vbi vero diu ægrotarint, seruantur. [Si vero Luna à nullo aspiciatur, sitque cum Venere, vel Mercurio, vel Ioue, in decubitu, vbi inæqualiter habuerint, morbo seruantur.]

De configuratione Lunæ in Piscibus. Cap. XIIII.

SI vero aliquis decubuerit, quando Luna est in Piscibus, ac lumini demit, numerisque,& iungitur illi Saturnus, vel opposito aut quadrato aspicit, morbi initium erit à balneis,& frigefactione, vel tenuibus fluxionibus. Extrema enim crebro frigescent, & erunt cum rigore febres, & assignationes duplices, & capitis constrictio, & puncturæ in mammillis, & dolor hypocondriorum, & pulsus abditi, tenuesque, & articulorum dolor. Hoc conuenient cuncta, quæ calefaciunt, & quæ relaxant.

Quòd si benefica Lunam aspiciat, oppositum prætergressus seruabitur: habebit autem diuturnum articulorum dolorem. Si vero, quando est in Piscibus Luna, numeris addens,& lumine augescens, Mars ei iungitur, vel opposito, aut quadrato aspicit, initium morbi erit à plenitudine, vini potu,& cruditate. Incipit enim à die tertio augeri morbus, noctu autem erunt intēsiones,& thoracis ardores,& ratiocinationum interruptio, & phrenitis,& in capite constipatio,& febres ardentes,& sitis,& vini desiderium, & pulsus elati. His conueniet sanguinis detractio,& omnia, quæ possunt habitum demoliri. Si ergo beneficæ Lunam non aspexerint, in primo quadrato interibit. At si Lunam beneficæ aspexerint, vbi oppositum prætergressus fuerit, periclitatus seruabitur. Si vero quis decubuerit, quando Luna est cum Ioue, vel Venere, aut in opposito, quadratove, idque si quis in quolibet signo decubuerit, vsque ad primum quadratum, vel oppositum. At si maleficæ Lunam aspexerint, nullo morbi ordine seruato vexatus, vsque ad oppositum [seruabitur. Magnum quid autem in decubitu conducit etiam hora. Nam si beneficæ in horoscopo sint, vel cęli medio, Luna vero sit cum maleficis, vel in opposito, quadratove, vitam tutabuntur. Si vero contra maleficæ in horoscopo sint, vel cœli medio,] Luna vero sit cum beneficis, ei officiunt, qui decubuerit. Oportet igitur optimum medicum mathematicæ quidem scientiæ meminisse: scrutari autem diligenter diem, horamque decubitus:& mundum contueri, quo

pacto

pacto habeat, nihil enim fit sine mundi consensu. Si vero aliquis decubuerit, quãdo Luna est in Piscibus, causæ morbi procatarcticæ à balneis, vel frigida potione, erunt. Statim enim neruosum patitur, & sunt circa stomachum dolores, nudi autem discurrnnt, laterum dolores, & spirant difficulter, & febres adstrictæ, & in profundo, & pulsus tenues comprehensuque difficiles in assignationibus: quos tamen infra duas horas immutant, & remissius continenter habent: & quæ circa ventrem, tenuia sunt, deinde vrinæ male olent. Vtiles autem suut [adhibitæ cucurbitulæ, at inutiles] succi omnes, qui infrigidant. Quòd si Luna à quadrato maiora percurrat Saturno configurata, vsque ad oppositum periclitati seruantur. Si vero in proposita constitutione Luna percurrat, Saturno, vel Mercurio, vel etiam vtrisque, configurata, erũt quidem causæ propositæ, ad hęc vero ventrem dolent: ac frequentius exoluuntur, vt sine pulsu fiant. Quòd si à media figura ad minora feratur, configurata Saturno, ne quidem oppositum præteribunt. Si autem Venus quocunque modo complicetur, qui oppositum pręterierint, decidunt in dysenteriam, pallentesque fiunt, ac pedes intumescunt, & carnes collabuntur: cum autem hoc pacto diutius vitam traxerint, nihilo tamen minus intereunt. Si vero currat ad magna, pariterque Marti, vel Soli, vel vtrique, configuretur, causæ procatarcticæ erunt omnes: insuper tamen, & febres intensæ, & inflammatio in hepate, ac toto corpore dolentes, extrema autem ardentia propter assignationes inuicem succedentes.

Conuenit ergo diætis vti, quæ valeant nutrire: naturaliter enim in hoc signo neque sanguinis detractiones per phlebotomiam factæ conducent. Quòd si nulla beneficarum complicetur, vsque ad oppositum periclitabitur. At si Iupiter, vel Venus aspiciat, vel ipsa Luna ad minora feratur, vsque ad oppositum valde vexati seruantur. Vtendum ergo æqualibus remedijs, & quæ facile adhibeantur. Si vero Iupiter, vel Venus configuretur Lunæ, quæ, & ipsa Marti, vel Soli configuretur, numerisque addat, & lumini, nihil proderunt beneficæ, nanque interibunt.

De Partubus, casibus, & vulneribus: de Chirurgia eligẽda, & vario eius euentu: de euentu tandem duorum, qui eodem tempore sint morbo correpti. Cap. XV.

VOlo autem nihilo minus & hoc te scire, ea, quæ circa partus accidunt, & casus, & vulnera, quæ repente fiunt, & quæcunque his sunt similia, eodem modo esse inspicienda, quo in decubitibus ostensum est: Chirurgias vero, quæ ex delectu fiunt, & quæcunque his similia sunt, nempe chirurgiæ in oculis, verbi gratia dilationis pupillæ, vel suffusionis, vel glaucomatis, & quæ-

cunque

cunque his sunt similia, tunc esse exercendas, quando Luna lumine ac numeris ad augmentum tendit, & ei beneficæ configurantur. [Reliqua vero, quando illa minuitur, vel beneficæ complicantur, aggredienda, & inchoanda. Vlceribus vero depascentibus, tumoribusque, medici adhibeant manum, quando Luna lumine deficit, & Ioui, ac Mercurio configuratur, magis autem, quando etiam hi horoscopum contuẽtur. Quando vero illa Soli coniungitur, vel coniunctionem soluit, vel à maleficis aspicitur, & vel est in Virgine, vel Capricorno, vel Piscibus: nemo incidat: nam quibus inciditur, detrimento afficiuntur. Quòd si cum Luna maleficæ quoque horoscopum inspiciant, maximè autem Saturnus, non curabitur id, quod est incisum, nisi rursum incidatur.] Nosse autem oportet, cum augescit Luna, & numeris addit, & iunguntur ei Mars, aut Sol, vel configurantur, consumi corpora illis, quibus ignis adhibetur: Cum vero illa minuitur, & numeris demit, atque ei Saturnus, vel Mercurius iunguntur, aut configurantur, consumi corpora illis, qui confrigidantur. Illud vero tibi adijcio, Quando duo eodem die, atque hora decubuerint, hoc pacto considera, eorum ætates comparando. Atque si Luna numeris demat, quando aliqui decubuerint, & configuretur Saturnus, aut Mercurius, qui iunior est, priùs conualescet, sicuti antea quoque dixi in superioribus præceptis: & vltra signi congruentiam, in opposito liberabitur. Qui vero est senior, periclitabitur, vel in alios affectus deoluetur pro signi congruentia: vel morbo diuturno detentus seruabitur. Quòd si Luna augeatur numeris & lumine, & Mars, aut Sol configuretur, periclitabitur iunior post quadratum, & oppositum iuxta signi, in quo Luna fuerit, congruentiam. Sed si Luna beneficis & in senioribus, & in iunioribus configuretur, iuxta ipsius signi congruentiam seruabuntur. Hæc ego tibi idcirco enarraui, vt hac ipsa considerandi ratione vtens, nulla in re labi posis.

FINIS.



IOANNES PAVLLVS GALLVCIVS.

LECTORI.



QVAECVNQVE à diuino Ficino in his libellis ſcripta ſunt, ea ex tribus fontibus emanarunt, Philoſophia Medicina, & Aſtrologia. Hæc autem omnia etſi interpretatione egere videntur: tamen cum in eorum gratiam nunc edantur, qui medicorum inſigna conſecuti ad praxim ſe accingunt, facilè ijs erit, tum phyſicas res, tum medicas ſine interprete intelligere. Reliquum igitur eſſet, vt Aſtrologicas, vt in ſuperiores fecimus, exponeremus, ſed id quoque conſultò prætermiſſimus. Nam qui diligenter ſuperioribus noſtris explanationibus operam dederit vnà cum ijs, quæ tum ab Hasfurto, tum ab Hermete conſcripta ſunt, is & Galeni, et Ficini ſenſum profectò aſſequetur. Ob id Hasfurtum in hoc opere primum non dignitatis, ſed ordinis locum habere, voluimus.

MARSILII FICINI FLORENTINI MEDICI ATQVE PHILOSOPHI CELEBERRIMI.

In Librum de triplici vita.

Ad Magnanimum Laurentium Medicem Patriæ seruatorem.



BACCHVM poetę summum antistitem sacerdotum bis natum canunt, forte significantes, vel futurum sacerdotem statim initiatum oportere renasci, vel perfecti tandem sacerdotis mentem Deo penitus ebriam, iam videri renatam. Aut forsan humiliore sensu vinum bacchi germen generari semel in vite quasi Semele, maturis sub Phębo racemis, regenerari rursum post ipsum vindemiæ fulmen in suo vase vinum velut in Iouis femore merū: sed de sacris in præsentia mysterijs non est loquendum: vbi mox physica potius ope languentibus opitulaturi sumus. Nec agendum stylo grauitatis seruo, sed libero potius, & iocoso: postquàm à libero patre, nescio quomodo statim exorsi sumus. Et rectè inquàm, nescio quomodo: nam forte prudentior aliquis à Phębo medicorum primo potius, quàm à Baccho medicinam auspicatus esset. Quid vero, si quod non vanum omen sit in ore, nunc forte quadam proferente Bacchum. Hic enim almo quondam vino, securitateque lætissima salubrius forte medetur, quàm herbis ille suis, carminibusque Phębus. Quocunq; vero sensu vel illa, vel hæc acceperis dux ille sacerdotum Bacchus geminas quasi matres habuisse fertur: Melchisedech autem summus ille

sacerdos

sacerdos vnam vix matrem vnum vix patrem habuit. Ego sacerdos minimus patres habui duos, Ficinum medicum, Cosmum Medicem, ex illo natus sum, ex isto renatus. Ille quidem me Galeno tum medico tum Platonico commendauit: hic autem diuino consecrauit me Platoni. Et hic similiter, atque ille Marsilium medico destinauit, Galenus quidem corporum, Plato verò medicus animorum. Iamdiu igitur sub Platone salutarem animorum exercui medicinam, quando post librorum omnium eius interpretationem, mox decem, atque octo de animorum immortalitate libros, & æterna fęlicitate composui, ita pro viribus patri meo medici satisfaciens, medico vero patri satis deinceps faciendum putans, librum de litteratorum valitudine curanda composui. Desiderabant præterea post hæc homines litterati, non tantum bene quandoque valere, sed etiam bene valentes diu viuere. His ergo deinde librum de vita longa dedi. Diffidebant autem medicinis, atque remedijs in re tanta terrenis, adiunxi librum de vita tum valida, tum longa cęlitus comparanda, vt ex ipso mundi corpore viuo, vita quædam vegetior in corpus nostrum quasi quoddam mundi membrum, velut ex vite propagaretur. His verò tu medicinæ libris ignosce præcor indulgentissime Laurenti, si dum medicus esse volo, ne scio quomodo etiam volens sum, etsi non bonus sæpe poeta. Nam & Phœbus idem est medicinæ repertor, poesisque magister, vitamq; ille suam nobis non tam per herbas, quàm per cytharam, cautumque largitur, ipsa quinetiam Venus apud Astrologos musicum æquè parit, & Medicum. Sed hactenus dum litteratorum, ciuiumque similium vitæ curiosius consulo, librorum meorum salutem negligo, quamdiu inter se partior esse seiunctos. Quamobrem in eos nunc primum prius in corpus vnum copulo, cuius artubus in vnam formam iam compactis vita protinus adsit. Non potest autem hoc opus physicum, id quasi corpus meum vitam accipere nisi meam, eiusmodi verò uita ex mea dũtaxat pendet anima. Hæc autem iam diu penes te magna nomine Laurenti mi patrone viuit: in ea præsertim amplissimarum ædium tuarum parte, vbi vna cum Platone nostrum illud de animorum immortalitate seruatur opus, tuo iampridem nomini dedicatum. At animus iste meus, etsi in beata quadam quasi patria penes te uitam agit, veruntamen, quod & theologi volunt, inquietus est interea, donec opus id physicum tanquàm suum corpus accipiat. Accipe igitur optime Laurenti, post illos de anima, hos etiam de corpore libros, eodemque afflatu, quo & illis dudum, fęliciter his aspira. Ita enim & corpus hoc sub tuo spiritu per suam viuet animam, & anima vicissim nostra cum hoc iam suo corpore in tuis laribus conquiescet.

MARSILII FICINI FLORENTINI MEDICI ATQVE PHILOSOPHI PRÆSTANTISSIMI,

LIBER PRIMVS.

De vita ſana: ſiue de cura valetudinis eorum, qui ſtudio litterarum incumbunt.

De nouem ſtudioſorum ducibus. Cap. I.



QVICVNQVE iter aſperum, arduumque, & longum ingrediuntur, quod quidem vix tandem ad excelſum nouem Muſarum templum aſsiduo labore perducit, nouem omnino itineris huius ducibus indigere videntur, quorum primi quidem tres in cęlo, tres ſequentes in animo, poſtremi tres in terra nos ducunt. Principio in cœlo Mercurius, vt inueſtigando muſarum iter aggrediamur, vel adhortatur, ſi quidē Mercurio tributum eſt inueſtigationis omnis officium. Deinde Phœbus ipſe, & quærentes animos, & res quæſitas ſplendore vberrimo ſic illuſtrat, vt perſpicuè quod quærebatur, à nobis inueniatur. Accedit gratioſiſsima Venus, Gratiarum mater, atque almis omnino, lætisq; radijs ſuis rem omnem adeo condit, & ornat, vt quicquid & inſtigante Mercurio quæſitū fuit, & monſtrante Phœbo iam erat inuentum, mirifica quadam, & ſalutari venuſtate Veneris circumfuſum delectet ſemper, & proſit. Sequuntur tres itineris huius duces in animo, videlicet voluntas ardens, & ſtabilis, acumen ingenij, memoria tenax. Tres in terra poſtremi ſunt,

pru-

prudentissimus pater familias, probatissimus præceptor, medicus peritissimus. Absque his nouem ducibus nemo ad ipsum nouem Musarum templum peruenire vel potuit, vel poterit vnquam. Cæteros quidem duces ab initio nobis præcipuè Deus omnipotens, naturaq; tribuit: tres vero postremos nostra adhibet diligentia. Sed præcepta, officiaque, quæ ad patremfamilias, & quæ ad præceptorem circa litterarum studia pertinent; antiqui plures, sapientesque tractauerunt, præcipuè Plato noster, & sæpe aliàs, & in libris de Rep. ac de Legibus diligentissimè. Deinde Aristoteles in Politicis: Plutarchus quoque, & Quintilianus egregiè. Solus autem litterarum studiosis hactenus deest medicus aliquis, qui manum euntibus porrigat, salutaribusque consilijs, atque medicinis adiuuet eos, quos neque cœlum, neque animus, neque paterfamilias, præceptorve destituit. Ego igitur sortem eorum laboriosissimam miseratus, qui difficilè Mineruæ minuentis neruos inter agunt primus tanquàm medicus debilibus, & valitudinarijs adsum, sed vtinam facultate tam integra, quàm propitia voluntate. Surgite iam adolescentes, Deo duce, alacres, surgite iuuenes, atque viri, quos ardentiùs Mineruæ studium nimis eneruat. Accedite libenter ad medicum, qui vobis ad instituti vestri perfectionem, monstrante Deo, atque fauente consilia, remediaque salutaria largietur.

Quam diligens habenda cura sit cerebri, cordis, stomachi, spiritus. Cap. II.

PRincipio quantam cursores crurium, athletæ brachiorum, musici vocis curam habere solent, tantam saltem litterarum studiosos cerebri, & cordis, iecorisque, & stomachi oportet habere. Immo verò tanto maiorem, quanto & membra hæc præstantiora, quàm illa sunt: etsi frequentius, atque ad potiora his membris, quàm illi illis vtuntur. Præterea solers quilibet artifex instrumenta sua diligentissimè curat, penicillos pictor: malleos, incudesque faber ærarius, miles equos, & arma, venator canes, & aues, citharam citharedus, & sua quisque similiter. Soli vero Musarum sacerdotes, soli summi boni, veritatisque venatores tam negligentes, proh nefas, tamque infortunati sunt, vt instrumentum illud: quo mundum vniuersum metiri quodammodo, & capere possunt, negligere penitus videantur. Instrumentum eiusmodi spiritus ipse est, qui apud medicos vapor quidam sanguis purus, subtilis, & lucidus definitur. Atque ab ipso cordis calore ex subtiliori sanguine procreatus

volat ad cerebrum, ibique animus ipſo ad ſenſus tam interiores, quàm exteriores exercendos aſsiduè vtitur. Quamobrem ſanguis ſpiritui ſeruit, ſpiritus ſenſibus, ſenſus denique rationi: ſanguis autem à virtute naturali, quæ in iecore, ſtomacoque uiget, efficitur. Tenuiſsima ſanguinis pars fluit in cordis fontem, vbi vitalis viget virtus, inde creati ſpiritus cerebri, & (vt ita dixerim) Palladis arces aſcendunt, in quibus animalis, ideſt ſentiendi, mouendiq; vis dominatur. Itaque talis plurimum fermè contemplatio eſt, quale ſenſus ipſius obſequium, talis autem ſenſus, qualis & ſpiritus. Spiritus verò talis, qualis & ſanguis, & tres illæ vires, quas diximus, naturalis ſcilicet, vitalis, & animalis, à quibus, per quas, in quibus ſpiritus ipſi concipiuntur, naſcuntur, atque fouentur.

Litterati pituitæ, & atræ bili obnoxij ſunt. Cap. III.

NOn ſolum verò membra illa, viresque, & ſpiritus homines litterarum cupidi curare diligentiſsime debent, verum etiam pituitam ſemper, & atram bilem non aliter, quàm nauigentes Scyllam atque Carybdim cautiſsimè deuitare iubentur. Quantum enim reliquo corpore ocioſi ſunt, tantum cerebro, ac mente negotioſi. inde pituitam, quod greci phlegmate, hinc atram bilem, quam ijdem melancholiam vocant, gignere compelluntur. Illa quidem ingenium ſępe obtundit, & ſuffocat: hæc verò ſi nimium abundauerit, flagraueritve, aſsidua cura, crebriſque deliramentis vexat animum, iudiciumque perturbat. Vt non immerito dici poſsit, litteratos fore, & præcipue ſanos, niſi cum pituita moleſta eſt, & lætiſsimos, ſapientiſsimoſque omnium, niſi bilis atræ vitio vel mœrere ſæpe, vel interdum deſipere compellantur.

Quot ſint cauſæ, quibus litterati melancholici ſint, vel fiant. Cap. IIII.

VT autem litterati ſint melancholici, tres potiſsimum cauſarum ſpecies faciunt, prima cęleſtis, ſecunda naturalis, tertia eſt humana. Cœleſtis, quoniam Mercurius, qui vt doctrinas inueſtigemus, inuitat, & Saturnus, qui efficit, vt in doctrinis inueſtigandis perſeueremus, inuentaſque ſeruemus, frigidi quodammodo, ſiccique ab Aſtronomis eſſe dicuntur, vel ſi forte Mercurius non ſit frigidus, fit tamen ſæpe Solis propinquitate ſicciſsimus, qualis eſt natura apud medicos melancholica, eandemque naturam Mercurius ipſe, Saturnuſque litterarum ſtudioſis eorum ſectatoribus impertiunt ab initio, ac ſeruant, augentque quotidie. Naturalis autem cauſa eſſe videtur, quòd ad ſcientias præſertim difficiles conſequendas, neceſſe eſt animum ab externis ad interna, tanquàm à circumferentia quadam ad centrum ſeſe recipere, atque dum ſpeculatur in ipſo, vt ita dixerim, hominis centro, ſtabiliſsimè per-

mane

manere. Ad centrum verò à circumferentia se colligere, figique in centro maximè terræ ipsius est proprium, cui quidem atra bilis persimilis est: Igitur atra bilis animum ad se & colligat in vnum, & sistat in vno, contempleturque, assidue prouocat, atque ipsa mundi centro similis, ad centrum rerum singularum cogit inuestigandum, euehitque ad altissima quæque comprehendenda, quandoquidem cum Saturno maximè congruit altissimo planetarum. Contemplatio quoque ipsa vicissim assidua quadam collectione, & quasi compressione naturam atræ bili persimilem contrahit. Humana verò, idest ex nobis causa est, quoniam frequens agitatio mentis cerebrum vehementer exsiccat. Igitur humore magna ex parte consumpto, quod caloris naturalis pabulum est, calor quoque plurimum solet extingui, vnde natura cerebri sicca, frigidaque euadit, quæ quidem terrestris & melancholica qualitas nominatur. Præterea ob frequentissimum inquisitionis motum spiritus quoque nati continuè dissoluuntur: resolutos autẽ spiritus ex subtiliori sanguine instaurari necessarium est. Quapropter subtilioribus, clarioribusq; sanguinis partibus sæpe consumptis, reliquis sanguis necessariò densus redditur & siccus, & ater. Accedit ad hæc: quòd natura in contemplatione cerebro prorsus, cordique intenta, stomachum, eparque destituit. Quare alimentis præsertim, vel vberioribus, vel durioribus malè concoctis sanguis inde frigidus, crassusque, & niger efficitur. Postremò nimio membrorum ocio, neque superflua excernuntur, neque crassi, fuscique vapores exhalant. Hec omnia melancholicum spiritum, mœstumque, & pauidum animum efficere solent: siquidem interiores tenebræ multò magis quàm exteriores mœrore occupant animum, atque terrent. Maximè verò litteratorum omnium hi atra bile premuntur, qui sedulo philosophiæ studio dediti mentem à corpore, rebusque corporeis seuocant, incorporeisq; cõiungunt, tum quia difficilius admodum opus, maiori quoque indiget mentis intentione, tum quia quatenus mentem incorporeæ veritati coniungunt, eatenus à corpore disiungere compelluntur: hinc corpus eorum nonnunquàm quasi semianimum redditur, atque melãcholicũ. Quod quidem Plato noster in Thimæo significat, dicens animũ diuina sæpissimè, & intentissimè contemplantem alimẽtis eiusmodi adeo adolescere, potentem euadere, vt corpus suum supra quam natura corporis patiatur, exsuperet, ipsumque vehementioribus agitationibus suis aliquando vel effugiat quodammodo, vel nonnunquàm quasi dissoluere videatur.

Cur melancholici ingeniosi sint, & quales melancholici sint eiusmodi, quales contra: Cap. V.

HActenus quam ob causam Musarum sacerdotes melancholici vel sint ab initio, vel studio fiant, rationibus primò cælestibus, secundò naturalibus, tertiò humanis ostendisse sufficiat. Quod quidem confirmat in libro problematum Aristoteles. Omnes enim inquit viros in quauis facultate præstantes melancholicos extitisse. Qua in re Platonicum illud, quod in libro de scientia scribitur, confirmauit, ingeniosos videlicet plurimum concitatos, furiososque esse solere. Democritus quoque nullos inquit viros ingenio magnos, præter illos, qui furore quodam perciti sunt esse vnquàm posse: quod quidem Plato noster in Phędro probare videtur, dicens, poeticas fores frustra absque furore pulsari. Et si diuinum furorem hic forte intelligi vult: tamen neque furor eiusmodi apud Physicos alijs vnquàm illis, præterquàm melancholicis incitatur. Deinceps verò assignandæ à nobis rationes sunt, quare Democritus, & Plato, & Aristoteles asserant, melancholicos nonnullos interdum adeo ingenio cunctos excellere, vt non humani, sed diuini potius videantur. Asseuerant id Democritus, & Plato, & Aristoteles absque dubio, rationè verò tantæ rei haud satis explicare videntur: audendum tamen, monstrante Deo, causas indagare. Melancholia, idest, atra bilis est duplex, altera quidem naturalis à medicis appellatur, altera verò adustione contingit. Naturalis illa nihil est aliud, quàm densior quædam, sicciorque pars sanguinis: adusta verò in species quattuor distribuitur. Aut enim naturalis melancholiæ, aut sanguinis purioris, aut bilis, aut salsæ pituitæ combustione concipitur. Quæcumque adustione nascitur, iudicio, & sapientiæ nocet, nempe dum humor ille accenditur, atque ardet concitatos, furentesque facere solet, quam Græci Maniam nuncupant, nos verò furorem. At quando iam extinguitur, subtilioribus, clarioribusque partibus resolutis, solaque restante fuligine tetra stolidos reddit, & stupidos, quem habitum melancholiam propriè, & amentiam, vecordiamque appellant. Sola igitur atra bilis illa, quam diximus naturalē, ad iudicium nobis, sapiētiamque conducit, neque tamen semper. Sane si sola, si atra nimium: densaque mole obfuscat spiritus, terret animum, obtundit ingenium, si verò pituitæ simplici misceatur, cum frigidus obstiterit circum præcordia sanguis, crassa quadam frigiditate segnitiem adducit, atque torporem. Atque vti densissimæ cuiusque materiæ natura est, quando eiusmodi melancholia frigescit, ad summum frigiditatis intenditur, quo in statu nihil speratur, timentur omnia, tædet cęli cōuexa tueri. Si

bilis

bilis atra, vel simplex, vel mixta putrescit, quartanam gignit febrem, lienis tumores, & multa generis eiusdem, vbi minus exuberat, siue sola sit, siue coniuncta pituitæ, spiritus crassiores facit, atque frigidiores, continuo animum afficit tædio, mentis aciem hebetat, neque salit arcadico circum præcordia sanguis. Oportet autem atram bilem neque tam paucam esse, vt sanguis, bilis, spiritus quasi freno careant, vnde instabile ingenium, labilemq; memoriam esse contingat: neque tam multam, vt nimio pondere prægrauati dormitare, atque egere calcaribus, videamur. Proinde necessarium est omnino, eam esse quoad eius natura patitur subtilissimam. Si enim tenuata pro natura sua maximè fuerit, poterit forsitan absque noxa etiam esse multa, atque etiam tanta, vt æquare bilem saltem pondere videatur: abundet igitur atra bilis, sed tenuissima. Non careat humore subtilioris pituitæ circunfuso, ne arescat prorsus, durissimaq; euadat, non tamen misceatur omnino pituitæ, præsertim vel frigidiori, vel multæ, ne frigescat, sed bili, sanguinique adeo misceatur, vt corpus vnum conficiatur ex tribus dupla sanguini ad reliqua duo proportione compositum. Vbi octo sanguinis partes, duæ bilis, duæ iterum atræ bilis portiones existant, accendatur aliquantum a duobus illis atra bilis, accensaque fulgeat, non vratur. Ne quemadmodum solet materia durior, dum feruet nimiũ, vehementius vrat, & concitet: dum vero refrigescit, similiter frigescat ad summum. Bilis enim atra ferri instar quando multum ad frigus intenditur, friget ad summum, quando contra ad calidum valde declinat, calet ad summum. Neque mirum videri debet, atram bilem accendi posse facilè, atque accensam vehementius vrere: siquidem videmus calcem illi similem aqua perfusam feruere statim, atque exurere. Tantam ad vtrumque extremum melancholia vim habet vnitate quadam stabilis, fixæque naturæ, quæ quidem extremitas cæteris humoribus non contingit. Summè quidem calens, summam præstat audaciam, immo ferocitatem: extremè verò frigens timorem, ignauiamque extremam: medijs verò inter frigus, caloremque gradibus affecta variè, affectus producit varios, non aliter, quàm merum præcipuè potens, bibentibus ad ebrietatem, vel etiam paulo liberiùs affectus inferre varios soleat. Igitur opportunè temperata sit atra bilis oportet, quæ cum ita moderata est (vt diximus) & bili, sanguinique permixta, quia & natura sicca est, & condictione, quantum ipsius natura patitur, tenuissima, facilè ab illis accenditur, quia solida est, atque tenacissima, accensa semel diutissimè flagrat, quia tenacissimę siccitatis vnitate potentissima est, vehemẽtius incalescit. Quemadmodum lignũ paleis, si vtraq; accendantur, magis, diutiusq; calet, & lucet. Atqui à diuturno, vehemẽtiq; calore fulgor ingens

gens, motusque vehemens, & diuturnus proficiscuntur huc tendit illud Heracliti, lux sicca anima sapientissima.

Quo pacto atra bilis conducat ingenio. Cap. VI.

QVæret fortè quispiam, quale sit corpus illud humoris eiusmodi, ex tribus illis humoribus, ea qua diximus, proportione conflatum. Tale est fermè colore, quale aurum esse videmus, sed aliquantulum vergit ad purpuram, & quando tam naturali calore, quàm vel corporis, vel animi motu accenditur, fermè non aliter, quàm ignitum, rubensque aurum purpureo mixtum calet, & lucet, atq; velut iris trahit varios flagrante corde colores. Quæret aliquis iterum, quonam pacto humor eiusmodi conducat ingenio. Nempè spiritus ex hoc humore creati, primò quidem subtiles sunt, non aliter quàm aqua illa, quam & vitę, seu vitis aquam nominant, & ardentem, quoties ex crassiori mero, quadam ad ignem distillatione vt fieri solet, exprimitur. Spiritus enim sub angustioribus atræ bilis eiusmodi compressi meatibus, vehementiore ob vnitatem calore maximè tenuantur, perque artiores meatus expressi subtiliores erumpunt. Deinde calidiores similiter, atque eadem ratione lucidiores, tertio motu agiles, actione vehementissimi, quartò solido, stabilique humore iugiter emanantes actioni diutissimè seruiunt. Tali autem animus noster obsequio fretus indagat vehementer, perseuerat inuestigando diutius facilè quæcunque inuestigauerit, inuenit, clare perspicit, sincere dijudicat, ac diu retinet iudicata. Adde, quòd quemadmodum in superioribus significauimus, animus instrumento, siue incitamento eiusmodi, quod centro mundi quodãmodo congruit, atque (vt ita dixerim) in suum centrum animum colligit, semper rerũ omnium, & centra petit, & penetralia penetrat. Congruit insuper cum Mercurio, atque Saturno, quorum alter altissimus omnium planetarũ inuestigantem euehit ad altissima. Hinc philosophi singulares euadunt, prȩsertim cũ animus sit ab externis motibus, atque corpore proprio seuocatus, & quam proximus diuis, & diuinorum instrumentum efficiatur. Vnde diuinis influxibus, oraculisque ex alto repletus, noua quædam, inusitataque semper excogitat, & futura prædicit. Quod non solum Democritus, atque Plato affirmant, sed etiam Aristo. in problematum libro, & Auicenna in libro diuinorum, & in libro de anima confitentur. Quorsum hæc de atræ bilis humore tam multa, vt meminerimus, quantum atra bilis, imò candida bilis eiusmodi quærenda & nutrienda est tanquam optima, tantum illam, quæ contra se habet (vt diximus) tanquam pessimam esse uitandam. Adeo enim dira res est, vt à malo dęmone eius impetus instigari Serapio dixerit: & Auicenna sapiens non negauerit.

Quinque

Quinque sunt præcipui studiosorum hostes, pituita, atra bilis, coitus, satietas, matutinus somnus. Cap. VII.

VT autem redeamus illuc, vnde iam longiùs digresſi ſumus, longiſſima via eſt, quæ ad veritatem, ſapientiamq; perducit, grauibus terraque maris que plena laboribus. Quicunque igitur hoc iter aggrediuntur, vt poeta quiſpiam diceret, ſepe terra, marique periclitantur. Siue enim mare nauigent continue inter fluctus, ideſt humores duos, pituitam ſcilicet, & noxiam illam melancholiam, quaſi inter Scyllam, Carybdimque iactantur. Siue terra (vt ita dixerim) iter agant, tria monſtra protinus ſeſe illis obijciunt, primum terrena Venus, ſecundum Bacchus, & Ceres, tertium nocturna Hecate frequenter opponit. Ergo, & Apollo ab ethere, & Neptunus ab æquore, & à terra Hercules ſæpe vocandi, vt monſtra eiuſmodi Palladis inimica iaculis Apollo transfigat, Neptunus tridenti domet, claua Hercules contundat, & laceret. Primum quidem monſtrum eſt venereus coitus, præſertim ſi vel paulum vires exceſſerit, ſubitò namque exhaurit ſpiritus, præſertim ſubtiliores, cerebrumque debilitat, labefactat ſtomachum, atque debilitat, atque præcordia, quo malo nihil ingenio aduerſiùs eſſe poteſt. Cur nam Hippocrates coitum comitiali morbo ſimilem iudicauit? niſi quia mentem, quæ ſacra eſt, percellit, tantumque obeſt, vt Auicenna in libro de animalibus dixerit, ſi quid ſpermatis ſupra quàm natura toleret, coitu profluat, obeſſe magis, quàm ſi quadragies tantundem ſanguinis emanarit, vt non iniuria priſci Muſas, atque Mineruam virgines eſſe voluerint. Huc platonicum illud ſpectat, cum Venus Muſis minitaretur, niſi ſacra venerea colerent, ſe contra illas ſuum filium armaturam. Reſponderunt Muſæ ò Venus Marti, talia minitare: tuus enim inter nos cupido non volat: denique natura nullum ſenſum longiùs, quàm tactum ab intelligentia ſegregauit. Secundum monſtrum eſt vini, cibique ſatietas, quippe ſi vinum, vel nimium, vel nimis calidum, vehemēſque fuerit, caput ipſum humoribus, peſsimiſque fumis implebit mitto, quòd inſanos facit ebrietas. Cibus vero nimius, primum quidem ſtomachum in ipſo coquendo omnem naturæ vim reuocat, quo fit, vt capiti ſimul, ſpeculationique intendere nequeat, deinde ineptè coctus multis, & craſsis vaporibus, humoribuſque aciem mentis obtundit. Quin etiam ſi ſatis coquatur: tamen vt Galenus ait, animus adipe, & ſanguine ſuffocatus cœleſte aliquid præuidere non poteſt. Tertium denique monſtrum eſt ad multam noctem, præſertim poſt cenam frequentiùs vigilare, vnde etiam poſt ortum Solis dormire cogaris: quoniam verò in hoc errant, falluntur que ſtudioſi per multi, iccirco quantum ingenio noceat latiùs explicabo, atque rationes

ſeptem præcipuas afferam. Primam ab ipſo cœlo, ſecundam ab elementis, tertiam ab humoribus, quartam ab ordine rerum, quintam à natura ſtomachi, ſextam à ſpiritibus, ſeptimam à phantaſia deductam. Principio tres planetæ, quemadmodum in ſuperioribus dicebamus, contemplationis, & eloquentiæ maximè fauent, Sol, Venus, atque Mercurius. Hi vero paribus fermè paſsibus concurrentes, aduentante nocte nos fugiunt, die verò, Solis ortu in plagam cœli duodecimam, quæ carceri, tenebriſque ab aſtronomis aſsignatur, repente truduntur. Ergo non qui, vel nocte quando nos fugiunt, vel die poſt ſolis ortum, quando carceris, tenebrarumque domum intrant, ſed qui vel propemodum petentibus ortum, vel iam ſurgentibus ad contemplandum, ſcribendumue, ipſi quoque conſurgunt. ii ſoli acutiſsime ſpeculantur, & eloquentiſsimè inuenta ſua ſcribunt, atque componunt. Ratio ſecunda ſcilicet ab elementis eſt talis, oriente ſole mouetur aer, tenuaturque & claret, occidente verò contra, ſanguis autem, & ſpiritus motum, qualitatemque aeris circumfuſi, naturæque ſimilis ſequi neceſſariò compelluntur. Tertia ratio, quæ ab humoribus ducitur, eſt eiuſmodi, in aurora mouetur ſanguis, & regnat, motuq; tenuatur, & caleſcit, & claret, & ſpiritus vero ſanguinem ſequi: imitarique ſolent. Verum accedente nocte, melancholia illa craſsior, & frigidior, atque pituita dominantur, quæ ſpiritus ad ſpeculandum ineptiſsimos proculdubio reddunt. Quarta ratio, quæ traditur ab ordine rerum, hæc erit, dies vigiliæ, nox ſomno tributa eſt, quoniam cum Sol vel ad hæmiſperium noſtrum accedit, vel ſuper ipſum incedit, radijs ſuis meatus corporis aperit, atque a centro ad circunferentiam humores, ſpiritusq; dilatat, quod quidem ad vigiliam, actionesque excitat, atque conducit. Contra verò quando recedit, omnia coarctantur, quod naturali quodam ordine inuitat ad ſomnum, maximè poſt tertiam, aut quartam noctis partem. Quiſquis igitur mane quidem dormitat, quando Sol, mundusq; excitat ad multam verò noctem vigilat, quando natura dormire iam, & à laboribus quieſcere iubet, hic abſque dubio cum ordini vniuerſi, tum ſibi ipſi repugnat, dum contrarijs ſimul motibus perturbatur, atque diſtrahitur. Sane dum ab vniuerſo mouetur ad extima, ipſe ſeſe mouet ad intima, atque contra, dum ab vniuerſo ad intima trahitur, ipſe ſe interim retrahit ad extima. Ergo peruerſo ordine, motibusq; contrarijs tum corpus totum, tum ſpiritus, ingeniumque prorſus labefactatur. Quinto loco à natura ſtomachi in hunc modum argumentamur: ſtomachus diuturna diurni aeris actione, apertis poris admodum dilatatur, euolantibusque ſpiritibus tandem valde debilitatur, igitur ſubeunte nocte nouam ſpirituum copiam exigit, qua foueatur. Quapropter qui-

cunque

cunque eo tempore contemplationes longas, & difficiles inchoat, ipſos ad caput ſpiritus retrahere nititur:hi vero diſtracti, neq; ſtomacho ſatis,neque capiti faciunt. Maximè vero nocet, ſi poſt cœnam lucubrantes diu eiuſmodi ſtudijs attentiùs incumbamus: pluribus.n.tunc ad concoquendum cibum ſpiritibus,multoque calore ſtomachus indiget. Hæc vero duo lucubratione, ſtudioque tali diuertuntur ad caput, quo fit,vt neque cerebro,neque ſtomacho ſuppetant. Adde, ꝙ caput ob eiuſmodi motum craſsioribus cibi repletur vaporibus, atque cibus in ſtomacho à calore,& ſpiritu deſtitutus crudeſcit,& putret,vnde rurſus caput opplet,& lædit. Denique matutinis horis,quando ſurgendum eſt,vt excrementis omnibus ſomno retentis ſingula membra purgentur,tunc id,quod peſsimum eſt;qui nocte lucubrando concoctionem penitus interruperat, idem dormiendo mane excremẽtorum expulſionem diutius impedire compellitur, quod quidem tam ingenio, quàm corpori medici omnes obeſſe quamplurimum arbitrantur.Merito ergo qui nocte contra naturam pro die, atque conuerſo,die rurſus pro nocte vtuntur tanquàm noctuæ. ij etiam in hoc vel inuiti noctuas imitantur,vt quemadmodum illis ſub Solis lumine caligant oculi,ita & ijs mentis acies ſub veritatis ſplendore caliget. Sexto loco a ſpiritibus idem ita probatur, ſpiritus fatigatione diurna præſertim ſubtiliſsimi quique denique reſoluuntur, nocte igitur pauci craſsique ſuperſunt litterarum ſtudijs ineptiſsimi, vt non aliter mancis horum fretum alis ingenium volare poſsit,quàm veſpertiliones,atq; bubones. Contra vero poſt ſomnum mane ſpiritibus recreatis,membriſq; adeo corroboratis,vt minimo ſpirituum adminiculo egeant,multi,ſubtileſque ſpiritus adſunt, qui cerebro ſeruiant,atque expeditius obſequi poſſunt in membris fouendis, regendiſque parum admodum occupati. Poſtremo ſeptima ratio ſic à phantaſiæ natura deducitur, phantaſia, ſiue imaginatio, ſiue cogitatio,ſeu quouis alio nomine nuncupanda videtur,multis longis contrarijs inuigilando imaginibus, cogitationib. curiſque diſtrahitur, atque turbatur. Quæ quidem diſtractio, perturbatioque ſequenti contemplationi,tranquillam,ſerenamque mentem penitus poſtulanti, nimium contraria eſt. Sola vero nocturna quiete agitatio illa ſedatur tandem,atq; pacatur, igitur accedente quidem nocte ſemper turbata mente,recedente vero,vt plurimum,mente tranquilla ad ſtudia nos conferimus.Quicunque verò mente nimium agitata res ipſas iudicare conantur.ij nõ aliter, quàm illi,qui vertiginẽ patiuntur, omnia verri putant (vt Plato inquit) cum ipſi vertantur. Quamobrem ſcitè Ariſtoteles in œconomicis iubet ante lucem ſurgere aſſeritque id & ad corporis ſanitatem, & ad philoſophię ſtudia pro-

desse quàm plurimum. Sed hoc ita accipiendum est, vt cita, & modica cęna matutinam cruditatem diligentissimè deuitemus. Denique sacer ille vates Dauid omnipotentis tuba Dei vnquàm dicit vespere: sed mane semper, atque diluculò in Deum suum canendum se cithara, psalmisque surgere. Surgere quidem mente ea hora omnino debemus, mox etiam corpore, si modo id comode fieri possit.

Quæ sit hora inchoandis studijs opportunior, quisue continuandi modus. C. VIII.

EX ijs, quæ in superioribus disputata sunt, fermè iam satis constat opportunè nostra nos studia exordiri, vel statim oriente Sole, vel hora vna saltem, vel duabus ad summum ante solis exortum. Sed antequam è lecto surgas, perfrica parumper, suauiterque palmis corpus totũ primò, deinde caput vnguibus, sed id paulo leuiùs, hac in re tè Hippocrates admoneat. Nam frictione inquit, si vehemens sit, durari corpus, si leuis molliri, si multa minui, si modica impleri. Cum e lecto surrexeris, noli subitæ lectioni, meditationique prorsus incumbere, sed saltem horæ dimidium cuilibet expurgationi concedito, mox meditationi accinge te diligenter, quam ad horam circiter vnam pro viribus prorogabis. Deinde remittes parumper mentis intentionem, atque interim eburneo pectine diligenter, & moderatè pectes caput à fronte ceruicem versus quadragies pectine ducto. Tum ceruicem panno asperiori perfrica, demum reuersus ad meditãdum, duas insuper horas, aut saltem horam vnam studio dedicato, produci verò nonnunquàm studia possunt, sed aliquanta interdum intermissione facta ad horam vsque meridianam. Quinetiam interdum, quàmuis rarò, nisi cibum interim cogamur assumere, post meridiẽ circiter horas duas. Sol enim circa ortum potens est, potens & in medio cœlo, in plaga quoque illa cœli, quæ medium proximè sequitur, quam nonam astronomi vocant, & sapientiæ domum, Sol maximè gaudet. Quoniam vero poetæ omnes Phębum musarum, scientiarumque ducem esse volunt, meritò si quid altiùs excogitandum est his horis potissimum cogitetur, si musæ quærendæ, horis iisdem Phębo duce quærantur. Reliquæ enim horæ vetertbus, alienisque legendis potius, quàm nouis, proprijsq; excogitandis accommodatæ videntur. Semper autem meminisse debemus qualibet hora semel saltem paulisper remittendam esse mentis intentionem: cum enim ob intentionem eiusmodi spiritus resoluantur, meritò si nunquàm cesses tendere, lentus eris. Dum laboras animo, interim corpore conquiesce, mala est defatigatio corporis, peior animi, vtriusque simul pessima, oppositis hominem motibus simul distrahens, vitamque disperdens. Denique haud vlteriùs meditatio procedat, quàm voluptas, potius vero citra.

Quomodo

Quomodo sit vitanda pituita. Cap. IX.

OPeræ precium fore videtur, quæ noxia litteratis esse diximus, repetere breuiter, atque remedia singulis adhibere. Ego ne pituita nimis augeatur, exercitatione quottidie stomacho fermè vacuo bis vtendum, nunquàm tamen laboriosa, ne acuti spiritus dissoluantur, excrementa diligentissime ab omnibus meatibus expurganda. Sordes à corporis totius cute, capitis præcipue, tum lotione, tum frictione penitus abstergendæ. Vitanda alimenta frigida nimium, atque nisi obstiterit atra bilis, etiam humida, & omnino quæ pinguia, virulenta, viscosa, vncta, glutinosaque sint, vel quæ facilè putrescere soleant. Si stomachus, vel natura, vel ætate sit frigidus, aut dimittendus omnino, aut certè minuendus aquæ potus, moderatus cibus sit oportet, sed potio moderatior, habitatio alta à graui, nubiloque aere remotissima. Cum ignis, tum calidi odoris vsu humiditas expellenda, prohibendum frigus à capite, maximè verò ceruice, atque pedibus. Multum enim obest ingenio, prodest moderatus vsus aromatum in frigidioribus epulis, nucis muscatæ præsertim, & cinnamomi, & croci, zinziberis quoque conditi mane stomacho vacuo, qđ sensibus etiã, & memoriæ maximè prodest.

Qua ratione vitanda sit atra bilis. Cap. X.

PEssimam verò illam, quam in superioribus detestabamur, atram bilem hæc augent crassum, turbidumque vinum præcipue nigrum. Cibi duri, sicci, salsi, acres, acuti, veteres, vsti, assi, fricti, carnes bouis, & leporis, caseus vetus, salsamenta, legumina, præcipue faba, lenticula, melongia, eruca, brassica, sinapis, radicula, allium, cepa, porrum, mora, cariotæ, & quæcunque calefaciunt, vel frigefaciunt simul, atque desicant, & omnia nigra. Ira, timor, misericordia, dolor, ocium, solitudo, & quecunque visum, & olfactum, auditumque offendunt, omnium verò maximè tenebræ. Præterea exiccatio corporis nimia, siue longis nata vigilijs, siue multa mentis agitatione, vel cura, seu frequẽti coitu, vsuque rerum calidarum multum, atque siccarum, seu immoderata quadam deiectione, atque purgatione, vel exercitatione laboriosa, vel inedia, siti, calore, vel sicciore vento, vel frigore. Cum vero bilis atra semper siccissima sit, frigida quoque, licet non æque, huic certe resistendum est rebus quidem modicè caldis, humidis verò quàm maximè. Cibis elixis assidue, qui coquantur facile, & subtilem gignant sanguinem atque clarissimum. Sed interim, vt stomachi, & pituitæ ratio habeatur, perinde, atque bilis atræ epulæ cinnamomo, & croco, & sandalis condiantur. Conferunt semina peponis, atque cucumeris & pinei nuclei abluti, conueniunt lacticina omnia, lac, caseus recens, amygdalæ dulces, conueniunt carnes auium, & pullorum gallinaceorum, quadrupedumve

dumve lactentium, oua sorbilia maximè, & ex membris animalium cerebellum, dulcia mala, pyra, persica, pepones, pruna damascena, atque similia. Cucurbita ritè cocta, herbæ humidæ, non viscosæ, cerasa verò ficus, vuas minime laudo, nauseam verò, & satietatem valde detestor. Nihil autem aduersus hanc pestem valentius est, quàm vinum leue, clarum, suaue, odorum, ad spiritus præ cæteris perspicuos generandos aptissimum. Nam (vt Platoni, & Aristoteli placet) hic humor hoc vino non aliter mollitur, atque dulcescit, & claret, quàm vel lupini aqua perfusi, vel ferrum flammis accensum: verum quàntum eius vsus spiritibus, & ingenio prodest tantum nocet abusus. Præterea infundere aurum, vel argentum maximè ignitum, eorumque folia in poculis, vel in ipso iure prodesse consentaneum est, atque aureo, vel argenteo vasculo bibere, cibosque sumere. Item perutile est, si sępe stomacho vacuo liquiritiæ succus deglutiatur, succus quoque punici pomi dulcis, atque dulcis arancei. Conducunt non mediocriter suaues odores temperati maximè, at si regnat frigus, ad calidum declinantes, sin dominetur calor, vergentes ad frigidum. Temperandi sunt igitur ex rosis, violis, myrto, camphora, sandalis, aqua rosacea, quæ frigida sunt. Rursus ex cinamomo, citro, arancco, gariophylis, mentha, melissa, croco, ligno aloe, ambra, musco, quæ calida. Verni flores prosunt in primis, & folia citri, siue arancei, odoraque poma, sed maximè vinum. Odores verò calidos multum, siccosque, si soli fuerint, & cõtinui, non probamus. Tenendus ore hyacintus, qui animum vehementer exhilarat, hierobotanum quoque, idest sclarea siluestris tum cibo, tum odore confert, buglosa rursus, borrago, melissa, horumque trium aqua. rursus lactuca, endiuia, vua passula, lac amigdalinum mensæ familiarissima esse debent. Fugiendus aer, aut feruens, aut glacialis nimium, aut nubilus, sed aer temperatus, serenusque liberrimè admittendus. Mercurius, Phytagoras, Plato iubent, dissonantem animum, vel mærentem cithara, cantuque tam constanti, quàm concinno componere, simul atque erigere, Dauid autem poeta sacer psalterio, psalmisque Saulem ab insania liberabat. Ego etiam si modo insima licet componere summis, quãtum aduersus atrę bilis amaritudinem dulcedo lyrę, cantusque valeat, domi frequenter, experior. Laudamus frequentem aspectum aquæ nitidæ, viridis, rubeive coloris, hortorum, nemorumque vsum, deambulationem secus flumina, perque amęna prata, suauem equitationem quoque, gestationem, nauigationemque lenem valde probamus. Sed varietatem in primis, facilesque occupationes, diuersaue negoca non molesta, asiduam hominum gratiosorum consuetudinem.

Cura stomachi. Cap. XI.

SEquitur, vt curam stomachi diligētissimam habeamus, ne nauseam, cruditatemve adducat vnquàm satietas, caputque offendat. Bis cibus quotidie sumendus est, & modicus, atque leuis cinamomo, mace, nuce muscata moderatè conditus. Semper tamen siccus cibus pondere alimenta mollia, potumque exuperet, nisi forte atræ bilis siccitatem admodum vereamur. Famem (si commode fieri potest) cibus sitim potus expectet, auiditas vtriusque supersit mensæ, fastidium, & saturitas procul absint. Abstinendum ab ijs, quæ ob nimiam humiditatem, vel virulentam, & vnctam, viscosamque materiam stomachum relaxando debilitant, vel etiam frigida, aut calidissima sunt, aut propter duritiam ægre coquuntur. Et quæ talia sunt, vt diu post mensam palato saporem reddant molestiorem, siue inflent, siue caput multis vaporibus impelant, ab omnibus in primis, quæ facile, vel extra aluum, vel in aluo putrescant. Dulces sapores, aut acres si soli sint, nullo pacto probamus, sed dulces acri quodam, vel acuto, vel sicco volumus temperari. Mastix, & mētha sicca, saluia recens, vuæ passulæ, cydonia, poma cocta condita saccharo, cicorea rosa, corallus, lotus capparis, & aceto conditus stomacho amicissima sunt. Mala præterea punica sapore inter acidum, dulcemque medio, & omnino quæcunque moderatè arida sunt, & aliquantulum austera, quæ medici stiptica vocant, siue quæ aliquantum acuta sunt, vel salsa, vel aromatica, myrobalani autem omnia superant. Vinum quoque rubeum potius, quàm album sapore quasi paululum subamaro, ac nisi caliditas, vel distillatio aliter postulauerit, optimum erit merum bibitum paulatim: omnino autem liquidiores epulæ priùs sumendæ, quàm duriores. Sumpto vero cibo, conuenit coriandrum, pomumque cydonium conditum saccharo, mala punica, & pyra austera, mespila quoque, & persica sicca, atque similia. Mandere vero oportet ante quam deglutiantur singula exactissime, fouendus stomachus, si oportet extrinsecus, mastice, rosa, mentha, corallo. Cauendum ne post cibum, duabus, aut tribus proximis horis, vel cogitationi difficili, vel lectioni sedulo incumbamus. Necessariæ forsan erunt horæ vacuationis quattuor, si cibus, potusue vberior fuerit, aut cibus durior. Malum est cibo, potuue ventrem extendere, pessimum stomacho sic extento difficilia cogitare, aut igitur nutrimentum sume leuissimum, aut sumpto vaca, donec quasi concoxeris. Neque dormiendum post cibum meridie, nisi maxima cogat necessitas, atque id quidem non priùs, quàm horas duas vigilauerimus: nocte tamen sumpta cœna, hora (vt videtur) vna vigilia, sufficit. Coitus stomacho pestilens, præsertim si, vel saturo statim, vel esuriente concumbas, ocio mœret stomachus,

chus, exercitatione gaudet, nisi dum cibo sit plenus. Sumpto cibo statim modice deambulandum, mox vero sedendum.

De ijs, quæ fouent membra, præcipue vires spiritus. Cap. XII.

SEd iam præstare videtur, vt nonnulla ex medicorum officina in medium producamus, quæ stomachi, cordis, cerebri, spirituum ingenij vires, vel seruent integras, vel restituant, ac si vel pituita, vel atra bilis excrescat, vel immineat nausea, longè propellant. Omnes sine controuersia medici consenserunt, nihil esse salutarius theriaca, fouendis, confirmandisque tum singulis membris, & viribus, tum spiritibus atq; ingenio. Huius igitur in primis vtemur drachma dimidia, aut saltē drachmæ tertia parte bis qualibet hebdomada, hyeme, & autumno, sed æstate, atque vere semel, vel sola, vel (si placet) frigidis, humidisque temporibus cum pauculo mero claro, suaui. Temporibus vero calidis, siccisque, præsertim si natura, vel ætas sit calidior, cum aquæ rosaceæ duabus vncijs, aut tribus, stomacho scilicet vacuo, sex aut septem horis ante cibum. Si theriaca desit, dabimus mithridatum, sed vbi theriacam, mithridatumve sumimus eo die ab omni re calida penitus abstinendū, ac si æstas aut ver fuerit, frigidis est vtendum: secundo vero loco eadem in causa probatur ab omnibus aloe ritè electa, atque lota. Sume myrobalanarum chebularum drachmas duas, rosarum purpurearum, sandali, rubei, emblicorum, cinnamomi, croci, corticis pomi citri, been, melissæ idest citrariæ, singulorum drachmam vnam, aloes electæ, ritèque ablutę drachmas duodecim. Ex his confice pillulas optimo mero, quibus hebdomada qualibet semel vtaris diluculo, eo scilicet pondere, quod naturæ tuę conueniat, æstate quidem cum aqua rosacea, aliàs vero cum vino. Quibus autem diebus neque theriacam, neque pillulas assumes, vtere confectione eiusmodi mane, atque vespere, duabus, aut tribus ante cibum horis. Summe cinnami electissimis drachmas quattuor; chebularum, myrobalanorum duas, & totidem emblicarum, croci, rosarum purpurearum drachmam dimidiam, sandalorum rubrorum drachmas duas, coralorumq; similium drachmam vnam, sacchari albissimi quantum satis est. Funde sacharum aqua rosacea, atque succo citri, vel limonū, æqualibus videlicet portionibus, coque suauiter, deinde adde musci tertiam drachmæ partem, atque ambræ tantundem, demum confice bolos solidos, quos morsulos vulgo nominant, auroque inuolue. Tria hæc ipsa eo vsu, quo præscripsimus, experti sumus theriacam, & aloem, ita (vt diximus) temperatam, confectionemque illam singulis cōferre membris, & viribus, & spiritibus, acuere sensus, atque ingenium, memoriam confirmare, pituitam quoque, & bilem, atque atram bilem illis pillulis facile, vel educi, vel emendari. Pręterea ętati

cuili-

cuilibet,& naturę tria, quę diximus familiarissima iudicantur.

Medicinæ contra pituitam. Cap. XIII.

SI aduersus exundantem pituitam acriùs pugnandum fuerit, pillulas aurora ex hierapicra Galeni, vel quas Mesues Elefanginas nominat, dabimus scilicet quot, & quotiens oportuerit, vel etiam in robustiore natura pillulas ex Hiera, atque trociscis agarici pari portione compositas, semper vero cum melle rosaceo liquido, atque oximelle, aquaque maratri, idest. fęniculi. Qui certe syrupus in pituita digerenda etiam ante pillulas, atque post eas maximè prodest. Si vnà cum pituita cęteri quoque humores turbent, pillulis ex reubarbaro Mesues, vel pillulis, quæ sine quibus à posterioribus nuncupantur, opportunè purgabimus. Omnem vero vehementem, repentinamq; deiectionem, purgationemq; penitus detestamur. Nam stomachum, corq; debilitat, spiritus multos exhaurit, confundit humores, spiritus fumis humorum fuscis obtenebrat.

De distillatione, atque eius cura. Cap. XIIII.

VBi caput propter pituitam distillationibus fluctuat, quandoq; hora somni aliquot ex pillulis, quas modo descripsimus dabimus. Iubebimus pręterea ea hora, & alijs thus sępe mandere: nã mirificè distillationibus, & sensibus omnibus, memoriæque succurrit. Rursus muscata nux, & theriaca ore retenta probatur, maiorana quoque, quam amaracum nominat, vel eius aqua admota naribus, vel infusa. Post cibum vero alimentorum fumos coriandro, cidoneisque cohercebimus.

De dolore capitis, & cura eius. Cap. XV.

SI caput sępe doleat humore grauatum frigido, præter illa, quæ narrauimus, confectionem illam, quam diambram nominant, vel dia chori, vel plirisarchoticon tenere ore iubebimus. Qui etiam masticem sępe mandere, præterea linire frontem, tempora, ceruicem maioranæ, fęniculi, rutæ folijs, vnà cum oleo rosaceo tunsis. Similiter aloe, aceto, oleo, aquaque rosacea perfectè diluta.

De cura visus. Cap. XVI.

VBi oculi caligant, neque rubent tamen, neque aliud præbent vllum caloris indicium, tum sane collirium ex aqua fęniculi, maioranæ, celidoniæ, rutæ adhibito croco, & antimonio, confert, sed aquam eiusmodi prius densiori panno est exprimenda: nihil tamen admoueas oculis, nisi antea pillulis lucis sæpe purgaueris. At si caligantes oculi rubeant, subito pillulis ex fumo terræ compositis purga, mox collirium ex aqua rosacea, & saccharo prodest: nonnunquàm verò albumine oui, tucia, lacte adiectis, quàm primum opitulatur. Omnino autem quottidianus vsus maratri visum seruat, & acuit, semen quidem eius frequẽ-

ter ore tenere oportet, folia vero comedere, trifera minor à Mesue descripta optima est. Optimum quottidie vacuo stomacho myrobalanum chebulam conditam sumere, atque cum ea nonnihil panis ex sacharo, maratroque in puluerem ducto compositi. Quod insuper ingenio mirum in modum, ac producendæ vitæ, prodest, eufragiæ quinetiam vsus oculis est singulare præsidium. In omni, vel dolore capitis, vel caligine oculorum diuertendi sunt retro vapores frictionibus, cucurbitulisque, ac si calor in causa sit, sanguisque abundet, hirudines ceruici, & humeris adhibebimus.

De gustu instaurando. Cap. XVII.

STomachus sępe litterarum studiosis gustum ferè omnem amittit, si id pituitæ vitio incidit, quod accidns oris sapor, vel saliua multa, & glutinosior indicat, post quam aluum subduxeris, medicinis, quas supra narrauimus aromatico rosaceo vtere, scilicet saccharo rosaceo mixto melle quoque rosaceo cum cinamomo solo, etiam, vel zinzibere condito, vel mente syrupo, sed in primis theriaca. Sin autem bilis copia forte contingit, quod quidem os amarum ostendere solet, similiter post purgationem ex aloe, sicut diximus præparata, vel reubarbaro, assume, vel triasandalum, vel oxizacharum, & saccharo aceto albo, & vino acrioris punici mali composita, vel persica, pyrave, siue condita, siue syrupo confecta, sicut Mesues docet, vel nostram eiusmodi confectionem gustui saluberrimam. Sume sacchari rosacei vncias quattuor dia marenati vnicas duas, diacitonitem tantundem, scilicet vncias duas, mirobalanorum chebularum semunicam, emblicarum tantundem, sandali rubei, coralli rubri, vtrumque æque drachmam dimidiam, funde insuper iuleb ex succo citri, vel limonis tres vncias, aut duas. Quod si stomachus debilis est, & frigidus, adijce duas cinnami drachmas, his autem cibum duabus horis vtendum. Nauseam semper ab vtroque natam humore tollit diacitonitem, & vsus capparis cum aceto: item potus modicus ieiuno stomacho albi aceti rosacei, si duplo sacchari pondere misceatur, rursus menthæ syrupus, atque absinthij. Item mentha, vel aceto condita vel acido mali punici succo diluta.

De exacta atræ bilis cura Cap. XVIII.

VErum missa hæc tanquàm leuiora iam faciamus, atque ad id, quod periculosissimum est, reuertamur, scilicet ad atram bilem, quæ quotiens abundat, & furit, cum corpus totum, tum, vel maximè spiritum quasi quoddam instrumentum ingenij, ipsumque ingenium, & iudicium labefactat. Primum in ea curanda præceptum sit, vt docuit Galenus, ne repente illam educere contendamus, ne forte parte eius liquidiore, subtilioreque subducta, residuum densius admodũ, sicciusq;

resi-

resideat, sed paulatim molliatur, digeraturque pariter, atq; educatur. Secundum, vt interim tam cibis humidioribus, quàm lauacris dulcibus, & modicis, vnguentisque similibus caput, & corpus totum ad summum pro viribus humectetur: ea tamen cautione, ne vel distillatio irritetur, vel destruatur stomachus, aut iecur, vel meatus corporis obstruãtur. Tertium verò, & id quidem maxime necessarium, vt continue cor foueatur, roboreturque rebus congruis, partim intus acceptis, partim extra pectori, naribusve adhibitis. Aspiciantur quoque & audiantur, odorẽtur, & cogitentur assidue, quæ oblectent, contraria vero longiùs arceantur.

De syrupis. Cap. XIX.

MVlta quidem à multis aduersus hunc humorem composita sunt. Ego autem in præsentia tria quædam remediorum genera è plurimis afferam electissima omnium, atque tutissima, accepta primum à priscis, deinde à recentioribus confirmata, interdum etiã à nobis ad vsum nostrum accõmodata. In primo est syrupi optimi compositio, in secundo pillulæ probatissimæ, in tertio electuaria saluberrima. His tribus opportune adhibitis, melancholicus humor mollitur, & digeritur atque soluitur, spiritus accuuntur, & illustrantur, fouetur ingenium, memoria cõfirmatur. Syrupus est huiusmodi, sume boraginis, buglossę, florumque vtriusque melissæ, capillorum veneris, endiuiæ, violarum, cuscutæ, polipodij, senæ, epithymi singulorum quantum manu capitur, pruna damascena numero viginti, odora poma numero decem, passularũ vnciam vnam, liquiritiæ vnciam dimidiam, cinnami, sandali rubri, corticum citri, singulorum drachmas tres, croci drachmã dimidiam, coquantur in aqua omnia præter epithymum, & aromata, donec pars tertia consumatur. Decoctio expressa post cum saccharo iterum, & epithimo moderatè coquatur, postremò infundantur aromata scilicet cinnamomum, atque crocus. Huius syrupi aurora calefacti vnciæ tres bibantur, simulque vnciæ duæ, aut tres aquæ buglossæ, atque vna cum his ex sequentibus pillulis accipi debent, duæ saltem, ac plures, prout cuique conuenit, eo scilicet pacto, vt aluus quotidie paulum moueatur.

De pillulis. Cap. XX.

PIllularũ verò quãtum ad propositum spectat, duo sunt genera, aliæ. Delicatis cõgruũt robustiorib. alię. Primæ aureæ, siue magicæ noĩari pñt, partim magorũ imitatione partim nostra inuẽtione sub ipso Iouis, Venerisq; influxu cõpositæ, quæ pituitã, atrã bilem educunt absq; molestia, singula membra corroborant, spiritus acuunt, & illuminant. Ita eos dilatant, nec constricti męstitiam pariant, sed dilatatione, & lumine gaudeant ita rursus stabiliunt, ne extensione nimia euanescant. Sum-

me igitur auri grana duodecim, maximè foliorum eius, si pura sint thu ris, myrrhæ, croci, ligni aloes, cinami, corticis citri, melissę, serici crudi coccinei, menthæ, been albi, been rubei singulorum dragmã dimidiã, rosarum purpurearum, sandali rubri, corali rubri, myrobalanorum triũ scilicet emblicarum, chebularum indarum, singulorum drachmã vnã: aloes ritè ablutę tantundem quantum cunctorum pondus, confice pil lulas mero quàm electissimo. Sequuntur pillulę ad soluendam melan choliam aliquanto validiores, verumtamen minimè violentæ. Sume peoniæ, myrrhæ, sticados arabici, melissæ, thuris, croci, myrabalanorum trium scilicet emblicharum, chebularum indarum, rosarum, singulorũ drachmam vnam. Trociscorum agarici, polipodij, epithimi, senę, lapi dis lazuli loti ritè, & præparati, lapidis armeni effecti similiter, drach mas tres singulorum, aloes lotæ vncias duas vino perfecto pillulas cõ fla. Si cum melancholia manifesta caliditas dominetur, quæ in hac cõ positione sunt frigida, ad tertiam insuper ponderis sui partem augen da erunt. Has pillulas (vt litterarum studiosis conuenit) græcorum, latinorum, arabumque imitatione composui, nolui vero fortiora misce re, quale veratrum, quo Carneades Phanaticus vtebatur. Viris enim litteratis tantum vel paulò firmioribus consulo, quibus nihil pestilen tius est, quàm violentia, ideo prætermisi pillulas indas, lapidisque lazu li, vel armeni notas, & quam compositionem hieralogodion appellant. Si denique decet simpliciorem compositionem inserere, qua ego fami liariùs vtor, sume aloes lotæ vnciam vnam, myrobalanorum emblica rum, atque chebularum vtriusque pariter drachmas duas, masticis dra chmas duas, duas quoque rosarum, præsertim purpurearum, confice pillulas vino, proinde pillulis, aut ijs, aut illis. ex ijs scilicet quas pro bauimus, nemo vnquàm solis vti debet, ne forte nimium exsiccetur. Quod quidem in melancholia pessimum est, immo, vel vna cum syru po, quem secuti partim Mesuẽ, partim Gentilem Fulginatem supra de scripsimus, vel cum vini odori, leuisque vncia vna, siue duabus, siue tri bus, vt cuique conuenit, aut cum aqua mellis, & passularum, atque li quiritiæ, aut ficubi caliditas dominatur, cum iuleb violaceo, aquaque violacea. Omnino autem consulo litteratis, quicunque ad atram bi lem sunt proniores, vt hac purgatione bis quolibet anno, vere scilicet, autumnoque vtantur diebus quindecim continuis, vel viginti, pillulis scilicet cum syrupo, atque similibus. Quicunque verò paulo minus huic morbo obnoxij sunt, sat habebunt, si pillulas primas, aut vltimas toto anno sumant, semel hebdomada qualibet, ęstate quidem cum iu leb (vt diximus) aliàs vero cum vino.

De

De medicina liquida. Cap. XXI.

MEminisse vero oportet vbi maximum in exsiccatione periculum imminetur, purgare tamen necessitas cogit operęprecium esse pillulas intermittere, atque in ipso syrupo, vel simili quadam decoctione facta in aqua buglossæ quando purgandum est, interdum infundere diasenæ, vel diacatholiconis, vel tripheræ persicæ vnciam vnam, aut saltem dimidiam. Quòd, si vel corpus robustius sit, vel astrictior, & durior aluus, addere electuarij hamech drachmam vnam, aut duas. Vtilis quoque hic est confecta cassia, vtilior manna, nec omni melancholiæ speciei conueniunt, sed illi maximè, quæ adustione creatur. Sin autem melancholia naturalis sit, conueniunt quidem, verum præcipuè, si in syrupo addatur pollipodij portio dupla, vel tripla, similiter liquiritiæ, crocique, & passularum, item medicinæ addantur mellis rosacei liquidi vnciæ duæ. Quotiens vero syrupus sumendus sit, in superioribus diximus, sed medicina cum ipso ter viginti diebus sumenda erit. Verum si melancholicus nullus humor appareat, tantum verò complexio melancholica, scilicet frigida membrorum qualitas, atque sicca, memento ducere aluum, vel mittere sanguinem minime expedire. Sed reliqua duntaxat facere, quæ, vel diximus, vel dicemus, præsertim quæcunque ad corpus pertinent mediocriter calefaciendum, atque magnopere humectandum, spiritusque quoad fieri potest, illuminandos, fouendaque membra. Vbi vero ipse atræ bilis humor exundat, non madefacimus tantum corpus, atque humorem, sed etiam soluimus aluũ ea cautione, qua diximus, nunquam verò vehementer. Siquidem Plato in Thimæo nos monet diuturnum morbum, qualis est melancholicus, non esse nimis valentibus medicamentis, atque molestis pharmacis irritandum.

De sanguinis mißione. Cap. XXII.

SVnt nonnulli in sanguine mittendo audaciores, quos medici sapientes admodum detestantur. Nam sanguis est atræ bilis temperamentum, spiritus fomes, uitæ thesaurus. Solum vero vbi abundantiam sanguinis indicat, vel profusior risus, audaciaq;, & confidentia multa, vel color rubens, venarumque tumor, mittere sanguinem litteratis, quando res postulat, debemus è vena lienis sinistri brachij, lata quadam incisione, quattuor vncias mane, vespere totidem. Deinde paucos post dies, saltem septem, ad summum quattuordecim, tum frictione quadã asperiore, tum admotis hirudinibus, quas sanguisugas nominant, mariscas irritare, ut sanguinis vnciæ tres, aut quattuor inde distillet. Hæc ambo robustioribus tantum facienda videntur, debilioribus verò, si necessitas postulat, mariscas solum: sicut docuimus, irritare. Sed neque

ventrem

ventrem medicinis ſoluere, neque mittere ſanguinem licet niſi prius clyſteribus pinguibus,mollibusque lenieris. Atque hoc ſit in melancholica natura commune præceptum,dandam eſſe operam, vt ſi oportuerit,eiuſmodi clyſteribus frequentatis venter inferior lubricus ſemper ſit,atque purgatus.

De electuariis. *Cap. XXIII.*

SEquuntur electuaria,ex quibus laudo equidem,quod Raſis exhilarãs appellauit, præterea quæ in libro de viribus cordis Auicenna componit, ſed multo magis quod Meſues ita conſcribit: Sume crudum ſericum colore coccineo nuper tinctum,pondere libram vnam, id merge ſucco bugloſſæ,aquaq; roſacea, ſingulorum libra vna,poſt quatuor, & viginti horas totum decoque ſuauiter] donec aqua rubeat. Deinde extrahe ſericum, atque inſuper exprime diligenter], infunde mox ſacchari candidiſsimi centum & quinquaginta dragmas,coque rurſus donec quaſi mel ſpiſſetur,amoue tunc ab igne; atque infunde dum calet, ambræ crudæ diligenter conciſæ drachmas ſex, & vt liqueſcat ambra permitte, poſtremò adde his puluerem eiuſmodi. Sume ligni aloes crudi, cinami, vtriuſque ęquè ſex drachmas, lapidis lazuli ritè abluti, drachmas tredecim, vnionum, ideſt albarum margaritarum drachmas duas,auri veri drachmam vnam,muſci electi partem drachmę dimidiã. Dantur ex eo cum vino drachmę duę,vel vna mane,ac veſpere ante cibum tribus,aut quatuor horis,id mihi præ cæteris valde placet.Veruntamen probo etiam diamuſcum Meſues dulcem, compoſitionemq; gẽmarum,modo cum aqua roſacea aſſumantur. Laudarem quoque mirificè, quod eſt à Petro Aponenſi philoſopho ſummo conflatum, niſi ipſemet ex eius immodico vſu dilatationem,exhalationemq; ſpirituum nimiam formidaret. Quamobrem duo quædam inſuper excogitaui tutiſsima,atque ob temperationem ſuam cuilibet tempori, ætati,naturæ conuenientiſsima, in quibus miſcetur vtile dulci. Quæ tantum nutriunt,quantum fouent,& roborant,præterea ſpiritui,& ingenio tantum ſtabiliendo,quantum acuendo,&illuſtrando conueniunt. Sume ſacchari roſacei vncias quattuor, ſacchari vnà cum floribus bugloſſæ concocti vncias duas, corticis pomi citri ſaccharo conditi vnciã vnam chebuli conditæ vncias duas, cinami electi drachmam vnam, ſandali, coralli,ſcilicet vtriuſque rubri. Item ſerici,coccinei,crudi conciſi,croci,margaritarum,ſingulorum drachmam dimidiam auri,argenti,ſingulorum tertiam drachmę partem, ambræ, muſci, vtriuſque grana duo, funde omnia ſimul ſucco citri,vel limonis ſaccharo cocti.Sequitur confectio altera aliquanto ſalubrior,certè multo ſuauior,ſume amygdalarũ dulcium quattuor vncias,nucleorum pineorum, ſcilicet ablutorũ diei

vnius

vnius ſpacio, ſeminum cucumeris, vtrorumque pariter vncias duas, ſacchari duri, quod candum, ideſt candidum vocant quattuor vncias, ſacchari alterius, ſed albiſsimi libram vnam, atque dimidiam. Funde cuncta hæc aqua roſacea, atque limonis, & citri, in quã extinctum fuerit ignitum aurum, & argentum, ſimul coque ſuauiter, demum adde cinnami, been rubri, ſandali rubri, coralli ſimilis, ſingulorum drachmã vnam. Margaritarum nitidiſsimarũ, croci, ſerici, crudi, coccinei minutiſsime attriti, ſingulorum drachmam dimidiam, auri, argenti, vtriuſque grana duodecim, hiacynthi, ſmaragdi, zaphyri, carbunculi, ſingulorum tertiã drachmę partem. Si cui verò deſunt, aurum, argentum, ambra, muſcus præcioſi lapilli confectiones illæ etiam prodeſſe multum ſine his poterunt, quarum tres potiſsimum, ligo, vnam, ſcilicet Meſues quam recenſui, duas vero noſtras, quas modo deſcripſimus, quo verò pacto his vtẽdum ſit, ſuperiùs ſatis expoſuimus. Si quis autem ſimpliciùs aliquid appetat, omnibus tamen accommodatum, hic citri pomum perfectè maturum integrum perfectè contundat, multoque ſaccharo, & multo roſarum ſucco adhibito coquat. Coctum vero modico cinnamo, crocoque cõdiat, aut aromatico roſacco vtatur ſic temperato. Sume aromatici roſacei vnciam vnam, ſacchari roſacei, ſacchari diabugloſati, vtriuſq; vncias duas, aut ſimiliter miſceat diamuſcum. Quanquàm enim duo hæc non ſint ſimplicia: tamen facilè ſatis habentur, ac ſi caliditas timeatur, diaprunis, & ſaccharum violaceum adiungantur.

De nimia vigilia. *Cap.* XXIIII.

SÆpe melancholicis, præſertim literatis accidere ſolet, vt nimiũ exiccato cerebro, vigilijs longis extenuentur: quoniam vero nihil atræ bilis mala magis auget, quàm longa vigilia, tanto malo omni ſtudio ſuccurrendum. Ideo lactucas poſt cibos alios edant vna cum pane modico, pauculo croco, vinumque purum ſorbeant poſt lactucam, neque vltra horam lucubrent. Cumq; ſe dormitum conferunt, confectionem eiuſmodi ſumant, in qua ſeminis papaueris albi vnciæ duæ ſint, ſeminis lactucæ vncia vna, amomi, croci ſcilicet vtriuſque pars drachmę dimidia ſacchari vnciæ ſex, dilue, & coque omnia ſimul ſyrupo papaueris. Edant huius drachmas duas, ſimulque non nihil ſyrupi papaueris guſtent, aut vini: illinias eis frontem, temporaque oleo ex violis, & ex nenufare adiecta camphora, item lacte, oleoque amygdalio, atque violaceo. Odorem croci, & camphoræ, putaminumque dulcis mali naribus admouebis, aceti inſuper modici, ſed aquæ roſaceæ plurimæ, ſternes quoque lectum plantarum folijs frigidarum, aures grauibus cantibus, ſoniſque delinies. Humectabis ſæpe caput eiuſmodi lauacris, ſci-

licet

licet aqua, in qua cocta sint frusta papaueris, lactucæ, portulacæ, maluæ, rosarum, vitis, salicis, arundinumque folia, addita camomilla. Balneis quoque dulcibus ex rebus eiusmodi sæpe tibiæ, brachiaque sæpe totum corpus est humectandum. Lac insuper bibere mixtum saccharo scilicet stomacho vacuo, si modo stomachus optimè tolerauerit, maximè prodest. Humida hæc melancholicis etiam, si satis dormiant, mirifice conferunt, memēto lac amygdalinum mensæ familiarissimum esse debere.

De hebetudine, atque obliuione. Cap. XXII.

ACcidit vero nonnunquàm, vt studiosis, vel quia sedulo inclinato capite legant, scribantve, vel quia ocio nimio torpeant, pituita quædam viscosior vnà cum frigida nimis melancholia caput occupans grauet, atque hebetes, obliuiososque efficiat. His ergo caput exonerandum est ijs remedijs, quæ alias diximus pituitæ conuenire: sin minus illa suffecerint, ad pillulas indas, & cocchias, hieralógo dionque confugito. Præterea ad hieram, diacoloquintidos, vel Archigenis, vel Andromachi, vel Theodotionis, aut ad pillulas Iudei, quas Mesues in capitulo de capitis dolore describit. Quod si natura ætasve frigidior sit, nec æstas obstiterit, post purgationem vtere confectione illa anachardina, quam Mesues sapientum confectionem nominat in antidotario, rursus anachardina illa, quam in capitulo de obliuione ex sententia filij Zachariæ recensent. De summo mane drachmam vnam, sed qui eam sumit, ab ira, coitu, ebrietate, labore, rebusque calidis eo die prorsus abstineat, hæc quidem aduersus hebetudinem, obliuionemque valentissima sunt. At vero si familiaria magis optes, da Zinziber saccharo conditum, sed modico thure mixtum, quod sensibus, & memoriæ magnopere prodest, præsertim his adiectis scilicet melle anachardino, melle chebularum, acoris, ciperis, ambra, musco: prodest etiam diambra pliri sarchoticon, diacori. sed hæc ore diutiùs retinenda, naribus etiam, & auribus infundenda. Odor quoque thuris, amaraci, maratri, nucismuscatæ, gariophilorum prodest non mediocriter. Memento tamen theriacam in his, atque similibus, quemadmodum ab initio diximus, nulli vnquàm remedio postponendam, præterea hebetibus, obliuiosisque tempora, & ceruicem vnctione eiusmodi vnge. Sume olei sambucini vnciam vnam, olei de ben vncias duas, euforbij vnciam dimidiam, castorei quoque tantundem perfricabis brachia, crura, ceruicemque vehementer, ac si opus fuerit, ceruici cucurbitulas admouebis, verticem præterea capitis amaraco, thure, nuce muscata tunsis operies, atque fouebis.

Quod corporeum quidem spiritum curare debemus, incorporeum verò colere, veritatem denique venerari, primum medicina præstat, secundum disciplina moralis, tertium vero religio. Cap. XXVI.

SI homines veritatis cupidi tanta medicorum diligentia corporeum spiritum curare debent, ne forte omino neglectus, vel impedimento sit, vel ineptè seruiat quærentibus veritatem multo proculdubio diligentius incorporeũ spiritũ. i. intellectũ ipsum disciplinæ moralis institutis colere decet, quo solo veritas ipsa cũ sit incorporea capitur. Nefas enim est solum animi seruum idest corpus colere, animi vero corporis dominum, regemque negligere: præsertim cum Magorũ, Plantonisq; sententia sit, corpus totum ab animo ita pendere, vt nisi animus bene valuerit corpus bene valare quam non posit. Quapropter medicinę auctor Apollo non Hippocratem, quis ex sua stirpe genitũ, sed Socratem sapientissimum iudicauit. Quippe cum quantum Hippocrates corpori, tantum Socrates animo sanando studuerit, quamquàm, quod tentauerant illi, solus Christus effecit: proinde si mentem nostram optimis colere moribus à Socrate iccirco iubemur, vt lucem, varietatemque à nobis naturæ instinctu quæsitam, serena mente faciliùs assequamur, quanto magis veritatem ipsam diuinam in primis religione Sancta fas est venerari? Ad quam quærendam, capiendamque non aliter creata mens est, quàm oculus ad lumen Solis perspiciendum. Atque (vt Plato noster inquit) queadmodum visus nihil vsquàm visibile perspicit, nisi in ipso summi visibilis, idest Solis ipsius splendore, ita neque intellectus humanus intelligibile quicquàm apprehendit, nisi in ipso intelligibilis summi, hoc est Dei lumine nobis semper, & vbique præsente, in lumine inquam, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In lumine, de quo canit Dauid, in lumine tuo videbimus lumen. Profecto quemadmodum purgatis oculis, inque lumen ipsum aspicientibus, subitò splendor eius infunditur, coloribus, figurisque rerum abundè refulgens, ita cum primum ab omnibus corporis perturbationibus per moralem disciplinam purgata mens est, atque in diuinam veritatem, idest Deum ipsum religioso quodam, flagrantissimoque amore directa, subitò (vt diuinus inquit Plato) diuina menti veritas influit, rationesque rerum veras, quæ in ipsa continentur, quibusve omnia constant, fœliciter explicat, quantoque mentem circunfundit lumine, tanto simul, & voluntatem gaudio beatè perfundit.

Finis primi Libri.

Nn

MARSILII FICINI FLORENTINI MBDICI, ATQVE PHILOSOPHI CELEBERRIMI,

De vita longa ad Philippum Valorem Epistolare Proœmium.



ARSILIVS Ficinus Florentinus Philippo Valori ciui optimo, atque nobilissimo. S. D. Quamquàm Plato noster genio suo viuit, & victurus est (vt arbitror) dum mundus ipse viuet, meus me tamen genius huc semper impellit, vt post diuinum cultum ante omnia Platonis vitæ prospiciam. Ad hoc ipsum iamdiu nobis aspirat præ cæteris medica domus, ad idem conspiras & tu mi Valor medicum amicissimus, & Platonicæ gloriæ, atq; disciplinæ admodum studiosus, quam ergo vitam Platoni semper exopto, eandem opto medicibus, similemq; Valori. Quamobrem hortor, & obsecro te mi Valor, vt quanta semper opera gloriæ Platonicæ faues, tanta aliquando diligentia præcepta hæc nostra de vita producenda legas, atque serues. Quibus diu viuens resurgenti nuper disciplinæ Platonis diutiùs vna cum magnanimo Laurentio Medice patrocinari possis. Vale.

MARSILII FICINI FLORENTINI MEDICI CLARIS.

DE VITA LONGA

LIBER SECVNDVS.

Ad perfectionem scientiæ necessaria est vita longa, quam etiam diligentia præstat. Cap. I.



D artem, scientiamque perfectam non tam vel docilitas ingenij, vel memoriæ firmitas, quàm prudentis iudicij perspicacia nos perducit. Iudicium vero propter ambiguitatem ex coniecturarum diuersitate conceptam adeo difficilè est, vt experimento sit necessario confirmandum. Experimentum quoque fallax, tum propter iudicij ipsius difficultatem, tum propter fugacem opportuni in experimento captando temporis breuitatem. Quibus sane de causis artem esse longam vnà cũ Hippocrate rectè concludimus, nec posse nos eam, nisi vitæ longitudine consequi: vitam vero longam non solũ ab initio semel fata promittunt, sed nostra etiam diligentia præstat, quod & Astrologi confitentur, vbi de electionibus, & imaginib. agunt, & medicorum cura diligens, experientiaque confirmat. Qua quidem prouidentia non solum homines natura validi sæpissimè, sed etiam valitudinarij vitam longam aliquando consequuntur, vt non mirum sit Herodicum quendam litterarum studiosum, omnium sui temporis infirmissimum (vt Plato, Aristotelesque testantur) eiusmodi prouidentia, annum ferè centesimum impleuisse. Plutarchus prætera narrat multos corpore alioquin parum firmo, vitam sola diligentia longam consecutos. mitto in præsentia, quot imbecillos ipse nouerim, prudentiæ munere robustissimorum annos superauisse. Neque igitur inutile fuerit, neque vanum, post librum de curanda valitudine litteratorũ à nobis compositum, præcepta quædam insuper ingenijs scientię cupidis, ad vitam longã conducentia tradere. Instituta verò hæc nec iner-

tibus, ignauisq; communicari volumus, quid enim cupiamus istos diu viuere? qui neque viuunt quidem, quasi fucos nutriamus, non apes. Nec hominibus diuulgari, perdita voluptatum libidine dissolutis, qui breuem quottidie voluptatem longè stulti præponunt, nec improbis: iniquisque patefieri, quorum vita mors est bonorum. Sed viris duntaxat prudentibus, atque temperatis, solertis ingenij, viris humano generi, vel priuatim, vel publicè profuturis.

Vitalis calor nutritur humore, quo deficiente fit resolutio, quo excedente fit suffocatio. Cap. II.

Vita quidem tanquàm lumen in naturali calore consistit, caloris vero pabulum est humor aereus, atque pinguis quasi oleum. Siue igitur humor eiusmodi forte deficiat, siue prorsus excedat, vel inquinetur, calor statim debilitatur & tandem debilitatus extinguitur. Si humoris defectu calor debilitatur, & perditur mors resolutione contingit, si potius obruitur, humoris excessu, vel vitio, vita suffocatione perit. Suffocatio verò humoris cuiuslibet exundantia, vel putrefactione contingit, præsertim pituita, vel excrescente, vel quomodolibet putrefacta, vt non immerito pituita petens vitam fuerit nominata. Præcepta igitur ad producendã vitam maximè necessaria, hinc quidem resolutionem, inde suffocationem, putrefactionemque æque deuitant, æque inquàm ratione communi. Nam si calidiorem, sicciorem ve hominem forte curant, & cui meatus quidem aperti sunt, humores autem spiritusque subtiles resolutioni magis occurrunt. Si autem contraria ratione corpus affectum tractant, potius suffocationi subueniunt, maximè vero in alterutro student, si ad alterutrum locus, tempus ve declinet. At vbi ingeniosis, studiosisque consulitur, vtrunque præceptum ferme est pariter necessarium in vtroque similiter laboratur. His enim acutum quidem, calidumque ingenium, & imaginationis motus assiduus, resolutionem, ocium vero corporis, atq; cruditas suffocationem minitari videntur, nusquàm igitur medici vehementias, quàm in eiusmodi hominum curatione laborant. Et si tota libri superioris disputatio ad prorogandam vitam maximè confert: propriam tamen quandam res tanta curam, qualem deinceps (quoad potero) paucis comprehendam, postulare videtur.

Quomodo temperandus calor ad humorem quodam Mineruæ consilio. Cap. III.

CÆterum dum oleum istud pingue, igneo huic vigori nostro necessarium pingui Minerua tractamus, Minerua interim oliuifera, olei vitalis origo almi videlicet Iouis capite nata ridet, quòd sui muneris quantitatem plane cernentes, interea non satis vidimus qualitatem.

tem. Ridens ergo, vobis inquit, oleum, non modo quantum sat flammæ nutriendæ foret abunde dedi, sed etiam sine amurca sincerum infundi lucernæ, hæc illa. Nos autem interloquendum errantes offendimus: quoniam lucerna pedibus nostris verbum suum non dum nobis auditum. Ex hac ergo lucerna discamus oleum iugiter flammę sub ministrandum, ea scilicet diligentia, vt nec repentina quadam lumen obruamus illuuione, nec rursum differamus sitibundo potum. Sed hęc quidem duo satis in superioribus tractata putamus, reliqua nobis duo sunt, quorum alterum leuiter tetigisse, alterum vix attigisse videmur, tangentes interim ita Palladem, vt ridere nunquàm solita nos rideret. Quid ergo? primo quidem considerabimus flammam, vel pauculam esse prorsus edacem, ideoque lucernam illam lucere diutiùs, in qua sic flammula est ad ellychnium idest lucinium temperata, vt non ebibat oleum, sed pitisset. Itaque, & nos in omni dieta cauebimus, ne quando præsertim in iuuentute nimium inualescat, insitus ignis suapte natura vorax: sat verò fuerit tum humorem inundantem, tum penetrabile frigus hinc arcere. Deinde lucernam cogitabimus frequenter extingui, quando non sincerum oleum instillauerit, sed (vt ita dixerim) amurcosum, vnde paulopost concrescunt ex amucra fungi, lumenque extinguunt. Iam vero nos almum à Pallade suscepimus oleum scilicet aerium quàmplurimum, purumque, & natiuo quodam lentore tenax, atque firmum. Quod ergo huic paulatim absumpto subgeritur, non solum huic æquale debet esse, sed simile, vt verò sit simile, non tantum aereum esse debet, & pingue, sed penitus ab amurca secretum, idest à fece quadam ex terra, & aqua crassiore congesta. Hanc ergo congestionem, fecemque vitaturi, alimenta eiusmodi fugiamus, & ocium, & cruditatem, atque sordes. Interea vero Mineruam ea moderatione colamus vt caput quidem, de quo nata est ipsa, nobis augeat, neruos autem, stomachumque non minuat.

Quibus de causis arescit humor naturalis, vel peregrinus exundat, quàm necessaria sit ad vitam perfecta digestio. Cap. IIII.

NAturalem humorem velociter hęc exsiccant, sanguinis fluxus vberior, violenta solutio ventris, diu lubricus aluus, profusus sudor, latius patefacti meatus, coitus, ad debilitatem factus, sitis anhela, fames crucians, vigilia longa. Vsus calidarum rerum, simul atque siccarum, laboriosus animi, corporisque motus, anxietas, ira, dolor, siccior simul, atque feruentior: aer præsertim igne calescens, ventus aridior, & violentus, atque diuturnus humorem supra modum augent. His contraria, ebrietas frequens vtrumque facit: nimio enim tum calore siccat,

tu-

tu humore suffocat, ebriosum: nihil autē magis, quàm cruditas ad vtrunque nocet. Vbi enim non concoquitur alimentum, hinc quidem deest quo naturalem irriget humorem, inde verò putrefactū superest, quod exundans calorem obruat naturalem. Quamobrem Auicenna corrumpi sanguinem inquit, vbi digestio ipsa corrumpitur, secutusque Galenum appellat digestionem vitæ radicem. Optima igitur est, & quasi vnica hæc regula Galeni, concoctionem cibi præ cæteris vbique curare: nam quod maximum videtur esse præceptum, salubribus videlicet vti, nihil proderit, nisi coquas, siquidem ex his ferme sicut ex contrarijs noxius humor profluit, si cruda membris influxerint. Ex cibis autem etiam minus arte laudatis, sæpe minus malum accipitur nutrimentum, si vehementius concoquātur. Cruditatem igitur tanquàm grauem resolutionis simul, & suffocationis causam diligentissime deuitemus, quantitate videlicet cibi, potusque nobis accommodata. Qualitate, simplicitate, preparatione, contritione, ieiuno reuocante famē, ac (si opus fuerit) stomachi etiam exteriore fomento, rebusque quibusdam stipticis post epulas intus assumptis. Caueamusque diligenter, ne cibum potus exuperet, neu cibus sit liquidior, aut alimenta sint longe diuersa, aut crudum addamus crudo: hęc enim concoctionē magnopere prohibent. Caueamus insuper diligentissime, ne vel coitu statim post cibum, vel somno meridiano sæpius non necessario, vel nocturna vigilia, vel labore animi vllo, siue corporis importuno, vel alio quopiam pacto digestionem impediamus. Digestionem dico equidem non primam tantum, quæ fit in stomacho, sed secundam etiam, quę fit in iecore, tertiam insuper, quæ in venis, quartam denique, quæ in membris efficitur, quæ longo quodam indiget interuallo, & quauis impedita pabulum non suppeditat humori. Proinde sicut digestionem, sic excrementorum purgationem adiuuare in primis necessarium est ad vitam, necessarium sordes etiam acutè detergere. Necessarius est motus corporis tam continuus, tam temperatus, tam varius, quàm cęlestium, aerisque motus, & ignis, & aquæ, seruata duntaxat concoctionis, & somni necessitate, defatigatione verò, & resolutione uitata. Præterea sub vmbra situm, cariemque obducimus, sub diuo, sub lumine viuimus, quod pater meus Ficinus, medicus insignis frequenter habebat in ore. Sed ad hæc feliciter peragenda operæprecium foret, non tam vrbanis negotijs, quàm rusticis quibusdam exercitationibus à tenera statim ætate corpus assuefecisse, & quodammodo similibus interdum etiam nutrimentis, & vitæ genus quodammodo varium tenuisse, quod me sæpe prudens ille monebat. Qui enim in omni ætate lautissima quadam curiositate viuunt, sæpe minus tuti viuunt: qui verò adolescen-

tes

tes se minus assuefecerint, adulti saltem assuefaciant: cautioribus tamen gradibus id tentantes.

Sanguis, & humor accommodatus vitæ aerius esse debet, qualitate temperatus, substantia medius, atque tenax. Cap. V.

GRæci omnes inter præcepta ad diuturnam vitam maximè necessaria mandant, vt euchimis alamur. Euchimia vocamus alimenta salubria, quę bonum afferunt nutrimentum, idest sanguinem bonum: bonum verò sanguinem appellamus, non frigidum, non siccum, non turbulentum, sed calidum, & humidum, atque clarum. Calidum quidem calore non acri, humidum verò humore non aqueo, clarum quoque, nec tamen interea tenuissimum. Iam vero feruentior sanguis naturalem tum calorem exacuit, tum exsiccat humorem, & quem ipse humorem infert, vel calorem resolubilem præstat, atque fugacem. Sanguis præterea humidior, proniorque ad aquam naturalem, obtundit calorem, humorem quoque naturalem vel hebetat, vel impellit sub calore liquescere, vel suffocat humiditate calorem, & omnino, si qua potio naturalis humoris ex aqueo sanguine extrahitur, tum putrescit facilè, tum citò diffluit, atque dissoluitur. Hinc efficitur, vt qui molliores fructus, herbasq; comedunt, nisi raro forsan, & pro medicina tunc ventrem leniente, sumant, breui venas succo crudo, putrefactioniq́ue obnoxio, penitus impleant, ac ne id accidat, tutiùs pro alimento, vel coquuntur, vel saltem cum pane miscentur. Sanguis vero nec igneus esto, nec aqueus, sed aerius, non aeri crassiori similis, ne procliuior sit ad aquam: non aeri subtilissimo, ne facilè incalescat in ignem, sed substã tiam teneat mediocrem, in qua medius aer dominatum habeat plurimum, cętera elementa insint, quatenus aeris accommodantur imperio. Non sit eius substantia subtilissima, ne humorem instabilem generet, spiritumq́ue volatilem, dissolutioni subiectum. Non sit crassissima, alioquin & ingenio minimè ministrabit, & vix in naturalem humorẽ, ac spiritum permutabitur, meatus obstruet, suffocationi dabit occasionem, & spiritus, qui vix tandem crassus inde creatur, densitate sua & ipse parum idoneus est ad vitam. Et calorem naturalem ita suffocat, sicut fumus densior flammam comprimit protinus, & extinguit, mitto quòd saltem adeo tenebrosus est, vt vitam efficiat mœstam morte deteriorem. In primis autem (vt mihi videtur) ad vitam expedit diuturnam, sanguinem vnà cum substantia quidem aerea valde, nec admodum crassa, habere glutinosum aliquem in se humorem, atque tenacẽ, qualem fermè cum subtilitate habet oleum oliuarum, & humor anguillæ pinguis simul, atque tenuis, & oleum ex terebenthina quadam sublimatione tractum. Tu igitur alimenta, cæteraque omnia, quæ sanguinem

nem pro viribus, humoremque talem efficiant, diligenter eligito. Sanguis enim humorque talis sicut oleum flammæ, ita vitali calori pabulũ est, & vna cum subtilitate habet etiam firmitatem Præceptum enim Rasis est pro iuuentute seruanda, rebus vti sanguinem ad præcordia traducentibus vbique condensantibus, corque fouentibus (quod Auicenna probat) aquosum, labilenque sanguinem præcipiens euitandum. Differens autem in hoc pro differentia corporum ratio est habenda: nam vbi densius corpus est, ad subtilitatem sanguinis, vbi rariùs ad crassitudinem eiusdem omnibus est remedijs declinandũ: vbi media corpo poris habitudo, via similiter media tutiùs imus, nunquàm tamen naturalem corporis habitudinem extirpare conabimur alioquin vitam ipsam extirparemus. Expedit insuper meminisse, vbi subtilitatem sanguinis valde veremur, & stomachus interea non sit admodum natura validus, minutioribus ad crassitudinem gradibus accedendum esse dũ gracilem hominem crassioribus alimentis nutrire contendimus, & fouendum interim stomachum, producendum somnum, exercitationem pro viribus augendam, animi minuendam, quæ plurimis sæpissimè nocet, ac si minus ferat alimenta viscosa nimium, duraque, vel admodum frigida. Vsu saltem corallorum, sandalorum, rosarum, coriandrorum, myrobalanorum, cydoniorum, & diacydonion, saccharique rosacei, stipticarumque rerum eam sanguinis, humorisque firmitatem denique consequemur, quam rebus nimium glutinosis hic tuto consequi non valemus. Commodissimè vero ex nucleis pineis, pistaceisque, & glyzirhizę succo, & amido, additis amygdalis dulcibus, earumque oleo, & cydoniorum semine, atque oleo sisamino vnà cum saccharo candidissimo, aqua rosacea nutrientur, qui viscosa grandiorum animalium membra concoquere nequeant. Concedemus his præterea extrema gallinarum, vel hedorum, & testudines, & limaces, atque testiculos vina dabimus non alba, sed rubra, stipticaque, & quodammodo subamara, aqua vinum ferrea vel mastice atemperantes. Oleo quoque masticis, cydoniorumque cutem leuiter leniemus, & vetabimus interim, quę sanguinem subtilem faciunt, vel feruente, nisi forsan non nihil croci, vel cinnamomi tenacioribus epulis infundamus, vt & faciliùs concoquantur, & cocta per meatus angustos transferantur ad membra. Difficile namque est viscosa, vel alimenta paulo firmiora ex stomacho non admodum validò, vsque ad digestionem tertiam, quartamque producere, nisi eiusmodi vehiculis perferantur. Atque insuper frictionibus leuibus prouocentur, quas quidem cum facies, manibus eas molioribus facito, ac memento madefacere manus odorifero quodam vino, in quo cammomillam, myrtumque coxeris, atque rosas.

Commu-

Communis comedendi, bibendique regula, & qualitas epularum. Cap. VI.

SEd missa in præsentia faciamus obtusissima hominum corpora, vel tenuissima, ad communem viuendi rationem perueniamus, communi, mediæque corporis habitudini prorsus accommodatam. Caue ne vlla ratione meatus corporis vel supra modum pateant, vel nimium obstruantur. Ibi enim in resolutione, & iniuria extrinsecus inferenda discrimen: hic autem in putrefactione, & suffocatione periculum, & si non arctissimo regulæ freno (quod Hippocrates damnat) te cohibeo: non tamen habenas tibi ad licentiam vsque relaxo. Herbas, & fructus humidiores accipe parcè, parciùs lac, & pisces, & vtrumque cum melle, parcissimè fungos, atque cum aromaticis, ac semine pyri, similiter purum aquæ potum, atque vnà cum parcitate. Quæ humidiora sunt vel pinguia, aromaticis, acribusque condito, alioquin & humorem alienum membris plurimum inferunt, atque putridum, & si quem necessarium naturæ humorem suggerunt, hunc præstant citę admodum corruptioni subiectum, quod non aliter, quàm aquosum vinum conturbatur celeriter, & corrumpitur, hinc cita canicies, & pallor, rugositasque senilis. Carnes quoque si quotidie comedantur, ac etiam si pondere pani propinquent citam putrefactionem inferunt, vnde Porphyrius pythagoreorum, antiquorum auctoritate fretus esumanimalium detestatur. Nonne homines accepimus ante diluuium longęuos animalibus pepercisse? quamquàm medici non tam carnium vsum vetant, quàm abusum. Denique humida tanquàm putrefactioni obnoxia fuge, memoria tenens humidos, & pingues senescere citius, atque mori, quod & Hippocrates ait, & res ipsa declarat. Siccissima rursum accipe moderatè, vel saltem liberior tempera potu, media tutus eligito, tametsi Auicenna formam cibi paulò sicciorẽ molli præponit ad caniciem euitandam, ad frigida nimium, aut calida cautissimus esto, calida simul, & humida sequere. Si feruet aer, epularum humor calorem superet, si friget, calor humorem, vtrobique vero modicus sit excessus, vbique calor, & humor, non nihil glutinosum habeat, atque stipticum, vt illinc membris irrigatus humor inhæreat firmiùs, ac diu sub calore perduret. Electum triticum, & panis electus hoc imprimis habet, deinde rubrum, stipticumque vinum, parumque dulce, tertiò pinei nuclei, resque his temperie, & lentore persimiles, quartò carnes humidæ simul, atque laxæ, vt suillæ, & agninæ lactentes. Medici tamen veteres, maximè Galenus suis carnes, & sanguinem propter quandam cum corpore nostro similitudinem valde commendant.

Optimę sunt igitur similibus corporibus, vt rusticis, & robustis, corpusque multum exercitantibus, præsertim si quatriduum gariophylis, coriandris præparatis, sale conditæ seruentur, & sanguis forsan vtilis, si cum saccharo coquatur, defecatusque ad summum fuerit, atq; liquens. Sed vt ad numerum reuertamur, non probantur carnes humidiores quales diximus, non durę simul, atque siccæ, quales vetustioris leporis atque bouis, sed mediæ quædam, vt gallinaceorum pullorum caponũ, pauonum, phasianarum, perdicum, fortè etiam pullorum columbinorum, præsertim domesticorum. Tales quoque sunt capreoli, vituliq; iuuenes, & anniculi verueces, pariter atque apri, hædos non sperno lactentes, caseumque recentem. Auiculas equidem prætermisi, frequens enim subtiliorum alimentorum vsus stomacho solum conuenit, crassiora minimè toleranti, qui vero validior est, fugacem ex his fumum reportat, vel humorum. Oua tamen gallinarum non prætermitto, si vitellus vnà cum albo comedatur. Vitellus namque solus delicatorum est nutrimentum: nam Auicenna probat, nutrimentum nullũ expedire magis in diminutione sanguinis, & dissolutione spiritus cardiaci, quàm vitellum oui gallinæ, vel perdicis vel phasianæ. Neq; fortè ab re fuerit, anseres nutrire spelta, aquave nitida, ac post necem carnes sale, & coriandris aceto pręparatis conditas, dies septem seruare priùs, quàm edas. Ceruumque similiter si stomachus fuerit validissimus, probabile namque est longæua quædam animalia ad vitam conferre longæuam: si tamen huiusmodi carnes iuuenes comedantur, similiterque alię carnes vicissim sunto, tum assæ, tum elixæ. Cibus esto duplus ad potum, panis duplus & sex qualiter ad oua, triplus ad carnes, quadruplus ad pisces, herbas, fructus humidiores. Nec incipiat à potu mensa, neque potus sit semel vberior, semper stipticum aliquid absque potu, vel modico sequatur mensa. Vbi complexio, ætas, locus, tempus ad calidum, siccumve labitur, tu quoque paulisper ad opposita declinato, vbi ad frigidum, aut humidum, similiter ad opposita vergito, vbi temperies, seruato temperiem. Eatenus autem exercitationi quidem corporis est addendum, & animi detrahendum, quatenus epulis vescimur durioribus ad diuturnitatem vitæ aliquando forsitan necessarijs mensæ tibi sint in nouem dici horis duæ, & vtrobique parcæ, parcior verò cena, exercitationes corporis duæ ferme post digestionem primam ad sudorem quasi productę. Somnus quidem nocturnus, quia semper est necessarius, semper bonus: diurnus autem, nisi admodum necessarius, nunquàm bonus.

Ne vtendum alimentis, quæ citò putrescunt, Vinum, & triticum præ cæteris eligenda, putrefactio & resolutionem fuge. Cap. VII.

ANimalia verò quæcunque in nostram custodiam veniũt, mundis, electisq; alimentis nutrienda sunt, antequàm vescamur, atq; hæc, & alia omnia ex pascuis altioribus, & odoriferis eligenda sunt. Inter hæc regulam ante omnes ab Arnaldo philosopho comprobatam memori semper mente teneto, animantes, herbas, poma, fruges, vina, ex altis, odoriferisque (vt diximus) regionibus eligere oportere, quas vẽti temperati serenant, suaues Solis radij fouent, vbi aquæ nullæ stagnãt, culta sterquilinio non pinguescunt, sed humore natiuo, vbi etiã quæcunque nascuntur, diu permanent incorrupta. Hic duntaxat habitandum est, his quoque vescendum, Neque confidendum est, ex alimentis quę breui putrescunt, humorem nos comparaturos diuturnũ, & a putrefactione remotum, neque sperandum facilè nos diu victuros, vbi terræ fructus incorrupti diu non conseruantur vbi raro admodum homines sunt longæui. Quantum vero sit in loco, victuque discrimen, pomum declarat persicum in Persia quidem venenum, in Ægypto cordis amicum, & elleborus in anticyra impune sumptus, alibi vero venenum. Aristoteles habitationem eligit altam, ad meridiem, orientemq; spectãtem sub aere subtili, nec humido, nec frigido, & Plato longæuos editissimis, atque temperatis reperit regionibus. Deterrimum verò est stercorare agros, vel aquas stagnantes ex agris minimè deriuare, omnia.n. illic citę corruptioni subiecta nascuntur. Quamobrem eos non vituperare non possum, qui sapientem Hesiodum iccirco vituperant, quòd in re rustica sterquiliniũ prætermiserit, sed ille prudens salubritati potius, quàm fertilitati consuluit, satis autem ex lupinorum, fabarumque folijs tempestiuè subuersis agrum pinguefieri posse putauit. At verò si regiones humidiores, immundasque colere, & alimenta minimè duratura sumere compellamur, cum quasi seruemus victum, quem sub aere pestilenti medici mandauerunt, qua de re in libro contra pestilentiã satis egimus. Summatim vero suauibus & quodammodo calidis vtemur odoribus, aloe rite præparata sæpe, leuiterque purgabimur. Ritè vero præparatam dicimus si lota fuerit aqua rosacea, vel succo rosarum aut si cum rosis recentibus, contritisque fuerit perfectæ commixta, deinde addatur ei myrobalanus, atque mastix, & forte rosa. Medicina hæc extra controuersiam mirabilis est ad conseruandam diu mentem sanam in corpore sano, præterea corpus exercitabimus, opportuno vtemur foco. Hoc puluere epulas condiemus, myrobalanorum embli-

corum sit pars vnciæ quarta, sandalorum vero dimidia, cinnamomi integra, octaua croci. Hoc itaque puluere, rebusque simul acribus, imminentem ex putridis alimentis, & locis corruptionem forsitan inhibere poterimus. Meminerimus autem, vbi multo plures putrefactione suffocatione, quàm resolutione pereunt, ibi putrefactioni, & suffocationi maximè resistendum. Vbi vero contra vicissim vti condimentis aromaticis, & quodammodo austeris (vt diximus) odoribusque similibus, quouis tempore putrefactionem prohibet. Vngi oleo, frigoris iniuriam, vti lauacris ex aqua, & oleo, resolutionem ex labore, vel calidis temporibus imminentem. Similiter os aqua sæpe colluere, succum glycirhizæ, vel saccharum crystalinum ore tenere aqua rosacea multa, paucoque aceto rosaceo manus, faciemque perfundere, similibusque odoribus vti. Septima quaque hora alimentis modicis recreari, corpore simul, & animo conquiescere, calore vitato. Plurimum verò interest quale sit triticum, atque vinum, quibus assiduè vescimur: hæc ergo sint talia, vt vltra annum, & potius ad triennium integra perseuerent si modo incorruptibilem ex his alimoniam sperare debemus. Vinũ, siue album, siue rubrum sit, esto clarũ, suaue, stipticũ, odoriferum, & quod indigeat aqua, nisi forte vinũ repereris leue simul, atque durabile, quod rarissimum esse solet. Quod vero validius est philosophus Isaac vinum dicit esse vinosum coctum Sole, ventisque purgatum, quod aqua fontis puri temperari iubet aliquãdiu antea, quàm bibamus, vt perfectiùs misceatur. Aquosum vero vinum, atq; debile, vel acerbum fugiendũ monet, vtpote quod intra venas, & membra accidum citò fiat, aut aliter putrefiat. Vinum quidem aquosum putrefactioni subiectum, si conseruata eius substantia coctum fuerit, hoc saltem erit vtile, alioquin non laudatum, quod humorem corruptibilem non creabit, sed acumen eius aqua electa temperandum erit. Vinum verò quale probauimus Isaac antiquorũ sententia theriacis magnis inquit esse persimile, quod (vt diximus) temperatum, habitudinem corporis frigidam calefacit, refrigerat calefactam, humefacit siccam, humidiorem vero desiccat, atq; (vt Galenus ait) naturalem humorem recreat, calorem fouet, vtrumq; contemperat. Miscere verò vinum eiusmodi magis necessarium est iuuenibus, minus senibus, frigidis verò senibus minimè: frigida namque, duraque senectus (vt inquit Plato) ita mero feruet, atque mollitur, sicut vel igne ferrum, vel aqua lupini, quod diximus per vinum opposita fieri, atque dissidentia temperari. Scito etiam per glycirhizam fieri, sed debilius, fieri etiam per oleum rosaceum, sed extrinsecus. Hæc ergo tibi familiaria sunto, neque diffidas quicquid & qualitate temperatum est, & virtute potens posse reliqua temperare, sicut frigus alia frigefacere.

gefacere. Id in primis habere temperamento Iouis, quo etiam saluberrima sunt. sed de his alibi desputandum.

Diæta, victus, & medicina senum. Cap. VIII.

QVi septimum iam septenarium impleuerunt quinquagesimum attingentes annum, cogitent Venerem quidem significare iuuenes, Saturnum vero senes, atque has apud astronomos stellas, inter se maximè omnium inimicas existere. Rem ergo Veneream Saturnij fugiant, quæ iuuenibus etiam vitæ plurimum detrahit: non enim natis consulit, sed nascituris, ipsasque etiam herbas statim producto semine siccat. Preterea frigus, aeremq; nocturnum letiferum sibi putent, atque eum omnino victum seruent, ex quo sanguinem plurimum speret, spiritumq; quamplurimum, ex vitellis videlicet ouorum recentibus, vino aliquantulum quidem dulci, odorifero verò quamplurimum. Nam hic vitellus propriè cordis sanguinem, vinum præcipuè spiritū recreat, carnibus electissimis, coctuq; facillimis omni summatim vtantur dieta calidum pariter, & humidum augente. Spiritum odoribus præsertim vini assidue recreant, vigiliam & inediam, sitimq; deuitent, laborē rursus corporis, atq; animi, & solitudinem, & merorem. Musicam repetant si forte intermiserint, nunquàm intermittendam ludos, quosdam, & mores, quoad decet, olim ante actæ pueritiç reuocent, difficillimum namque est (vt ita dixerim) reiuuenescere corpore, nisi ingenio priùs repuerascas. Itaque in omni etiam ætate magnopere conducit ad vitam non nihil pueritiæ retinere, & oblectamenta varia semper aucupari: longum vero, profusumque risum, minimè: spiritum namq; nimis ad exteriora dilatat. Sed redeamus ad senes, hi præterea si frigeant, fomenta petant aromatica, & calida simul, atq; humida, meminerint puerile illud Auicennæ fomentum factum quidem a Dauide, sed tardiùs forte factum. Fomentum seni mirificum medulla recentis adhuc calentis panis infuso maluatico vino cum puluere menthç apposita stomacho, & sæpe ad olfactum adhibita. Nam & medulla eiusmodi etiam sola Democrito iam expiraturo retinuit spiritum, quoad placuit fugitiuum. Præterea frictionibus vtantur leuibus, seu quandoque lauacris nutrimentum prouocantibus ad extrema, nucleos ante omnia pineos, videlicet ablutos, familiares habeant, hoc enim nutrimentum medici veteres senibus apertissimum probauerunt. Calidum enim & humidum est, & pingue, & omnem lenit asperitatem, atque simul (quod mirum est) dum naturalem humorem auget, interea superfluum desiccat, putridumque expurgat humorem. Sunt qui nucleorum eiusmodi drachmam vnam quottidie post cibos exhibent senibus comedendam, ego drachmam quoque alteram ieiuno stomacho se-

nibus

nibus exhiberem, vel recens calens auratum pinnucleatum, componeremque quoque electuarium hoc pacto Sume amigdalarum dulcium mundarum vncias quattuor, tantundem eiusmodi nucleorum pistaciorum duas, vnam seminum cucumeris, vnam nucum auellanarum mundarum contunde, coque vnà cum candidissimo saccharo, cui tamen addideris vnam zinziberis recentis conditi drachmam, croci dimidiam, musci tertiam, ambræ tantumdem, saccharũ, aqua melissæ, idest citrariæ, rosarumque fundito, multa auri folia his adhibeto. Huius enim vsu quottidiano vitam senes validiorem, longioremque consequentur, possunt, & in mensa hoc accipere, & pluribus horis ante mensam. Vtilius autem tunc erit, si quid albi, odorique vini vnà cum confectione eiusmodi biberit: temporibus vero calidioribus saccharum rosaceum vnà cum auri folijs, & conditæ myrobalani vitam senibus prorogabunt. Theriacam nemo dubitat ad idem humidis conuenire personis, atque temporibus, de cuius vsu satis in libro superiore dictum: nemo etiam negabit his prodesse admodum radices enulæ, beeniasque radices albas similiter, atque rubras, maxime verò recentes, illam quidem pro nutrimento, has etiam pro aromate, & omnia simpliciter calida, humidaque, & aromatica simul, & stiptica, simulque pinguia. Certum est senes electo glycirhizæ succo familiariter vti debere. Tradunt enim glycirchizam esse humani corporis calori pariter, & humori persimilem, præterea varijs senum morbis opitulari: lac quoque amygdalinum, & amidus cibus familiaris esto, & saccharum, atque passulæ. Rasis triferam ex myrobalanis indis, emblicis, belliricis confectam, item myrobalanos indas conditas saccharo, non solum ad retinendam, sed etiam ad retardandam senectutem valde probat. Auicenna laudat triferam myrobalanorum maiorem, atque minorem, rursus confectionem de squama ferri, maximè verò auri iubet quotidie mandere, myrobalanos præcipue chebulas ritè conditas ad differenda senectutis incommoda.

De naturis aromatum, & cordialium necessarijs, & rursum qualis senum victus. Cap. IX.

SCito myrobalanis varias inesse virtutes. Vnam, quæ mirabiliter superfluum exsiccat humorem vnde caniciem prohibet. Secundam quæ humorem colligit naturalem, & à corruptione simul, & inflammatione tuetur, vnde vitam producit in longum. Tertiam, quæ stiptica, aromaticaque potentia virtutem, & spiritum naturalem, & animalem congregat, & fouet, & roborat. Hinc aliquis vitæ lignum in Paradiso myrobalanum forte fuisse putabit. Simile quiddam fermè faciunt aurum, & argentum, corallus, spodiumque, & perciosi lapilli, quàmuis pro

aroma-

aromatica virtute facultatem afferant illustrandi. Tu verò memento aromatica tunc maximè prodesse nobis ad vitam, vt supra significauimus, quando cum vigore quodam aromatico, humida sunt pariter, atque calida, lentoremque pinguem habent commodum augumento, quales sunt in primis radices beeniæ albæ, similiter atque rubentes, præsertim recentes, aut saltem quando cum virtute quadam subtili odorifera, & acuta substantiam densam habeant, & stipticam valde proprietatem, qualis vtique composito inter cordialia frigida, primum myrobalanis inesse videtur, & succino, deinde rosis, & succo, semini citri. tertiò sandalis, & coriandris, atque myrto, cæterisque similibus. Inter calida vero cordialia zedoariæ, ligno aloes, citri cortici, & gariophylis, nuci muscatæ, maci, olibano, mastici, atque doronico, qualem etiam saluiæ experimur inesse, tradunt ambram, & muscum stipticam habere virtutem. Zinziber autem ob quandam eius humiditatem præsertim recens, & conditum senibus sæpe prodest. sed hoc, & gariophylus propter caloris vehementiam cautè videtur accipiendum. Zedoaria quoque cautè, tametsi theriacæ similis iudicatur, & stipticam simul, atque pinguem naturam habet, senibus commodissimam. Ambra propter calorem quasi temperatum tutò fermè sumitur, ac propter lentorem cum stiptica subtilitate mixtum, prærogatiuam habet ad vitam in mẽbris, & spiritibus confirmandam. Tum vero si ex ea fiat aqua, cutisque lauetur, digestionem quartam restituit, ac morbos eius defectu contingentes expellit. Aromatico verò, quæ subtilem admodum substantiam habent qualem cinnamomum, atque crocus, cordialibus frigidis, & durioribus sunt miscenda. Nam aromatica si tantum calida, subtiliaque sint, & sola sumantur, naturalem calorem nimis excitant, humoremque dissoluunt. Necessaria tamen sunt tum frigidioribus, & humidioribus epulis concoquendis, tũ cordialibus duris ad præcordia transferendis. Te namque latere non debet, humorem ipsum vitæ necessarium primas in corde sedes habere, & arterijs, venisque eiusdem, quod Isaac perspicue docet, atque (vt Auicenna probat) hic humor naturali cæterorum membrorum humore frequenter irrigatur, atque fouetur. Quapropter cauendum est, ne membri vllius humor casu quopiam areficat, multò quæ magis, ne præcodiorum humor comminuatur. Atque vt nutrimenta, vel fomenta, & cordialia omnia per angustos meatus ad præcordia latissimè perferantur, his insere crocum. Vt verò sistantur, ibi myrobalanos adhibe. Vt autem consequaris vtrunque, accipe inter calida muscum, atque ambram, inter frigida rosas, atque myrtum. Memento dulce maratrum senibus profuturum. Nam, & nutrimentum per membra diffundit, & qua facultate

cultate lac, eadem humorem auget naturalem, vnde Dioscorides maratro serpentes ait annuam exuere senectutem. Probamus & saluiam, hæc enim naturæ virtutem temperate calefacit, & firmat, paralysim propulsat. Probamus & moderatum conditi zinziberis vsum, habet enim cum calore pinguedinem.

De auro, & aureis alimentis, & recreatione senum. Cap. X.

AVrum omnes ante omnia probant, tanquam omnium rerum temperatissimum, & à corruptione tutissimum. Soli quidem propter splendorem, Ioui autem propter temperantiam consecratum, ideoque posse calorem naturalem cum humore mirificè temperare, humores à corruptione seruare, solarem, & iouialem spiritibus, & membris inferre virtutem. Verum tamen optant durissimam auri substantiam subtiliorem facere, penetratuque facillimam: Nouerunt enim cordialia tunc maximè latentem cordis recreare virtutem quando in eis attrahendis minimè fatigetur, vel subtilissima iam effecta, vel cum subtilissimis sunt exhibenda, optimum fore putant si absque aliena permixtione aurum potabile fiat, sin minus posit, contusum, & in folia redactum accipi volunt. Aurum ferme potabile habebis, vt dicam, collige flores boraginis, buglossæ, melissæ, quam citrariam nominamus, & quando luna Leonem subit, vel Arietem, vel Sagitarium, aspicitque Solem, aut Iouem, coque cum candido saccharo, aqua rosacea liquefacto, & pro qualibet vncia insere diligenter auri folia tria, ieiunus cum vino quodam aureo sume. Item aquam ex capone distilantem foco, vel aliter consumpto vnà cum iuleb sume rosaceo, in quo auri folia quædam ante contuderis. Præterea in nitidissimam fontis aquam aurum extingues ignitum, cum eadem auri contundito folia, eadem vinum aureum temperato, & vnà cũ eiusmodi potu comedito recentem oui vitellum: facile verò in tota corporis arbore seruabis humorem, si in radicibus conseruaueris. Accipe igitur gallinarum, & pullorum eiusmodi, atque caponum cor, iecur, stomachum, testiculos, cerebrum, coque aqua modica, minimo sale. Cocta contunde ex tota carne, & toto iure, & saccharo addito recentis oui vitello, fac placentam modico cinnamomo, crocoque conditam, & auratam. Hac vesceris esuriens semel saltem quarto quoque die, & tunc quidem sola, claro tamen ad potum addito vino.

De vsu lactis, sanguinisque humani pro vita sana. Cap. XI.

SÆpe post decimum statim, & nonnunquàm post nonum septenarium arbor humana arefacto paulatim humore tabescit. Tunc primum humano, iuueniliique liquore irriganda est hæc arbor humana, quo reuirescat. Eliges ergo puellam sanam, formosam, hilarem, tem-

peratam,

peratam,&famelicus lac eius ſugito creſcente Luna,ſtatimque comedi to maratri dulcis modicum puluerem ſaccharo rite confectum. Saccarum quidem lac in ventre cogi, vel putrefieri non permittet, maratrum verò cum & ſubtile ſit, & lactis amicum,dilatabit ad membra, quos hectica ſenilis exedit, medici diligentes liquore humani ſanguinis,qui arte ſublimi diſtilauit ad ignem reficere moliuntur. Quid ergo prohibet, quò minus ſenio iam quaſi confectos interdum hoc etiam potu reficiamus? Communis quædam eſt, & vetus opinio, aniculas quaſdam ſagas, quæ & ſtriges vulgari nomine nuncupantur, infantium ſugere ſanguinem, quo pro viribus iuueneſcant. Cur non & noſtri ſenes, omni videlicet auxilio deſtituti, ſanguinem adoleſcentis ſugant? volentis inquam adoleſcentis,ſani,læti,temperati, cui ſanguis quidem ſit optimus, ſed forte nimius. Sugent igitur more hirudinum ex brachij ſiniſtri vena vix aperta, vnciam vnam, aut duas: mox vero ſacchari,viniqùe tantundem ſumant, idque eſurientes,& ſitibundi facient creſcente Luna. Si crudus ægre concoquitur,coquatur priùs vnà cum ſaccharo, vel ad aquam calidam moderatè diſtillet ſaccharo mixtus, deinde bibatur. Fouere quoque ſtomachum tunc ſanguine ſuillo præſens auxilium eſt,quem vtique ſanguinem ex vena ſuilla fluẽtem ſpongia calente vino madefacta combibat,& ſtomacho ſtatim calens admoueatur. Galenus, atque Serapio morſum rabidi canis ſanguinis canini potu curari dicunt,rationem verò illis aſsignare non placuit. Ego igitur biduum eam quæritans, opinor denique ſaliuam canis rabidi venenoſam impreſſam hominis pedi læſo per venas paulatim ad cor aſcendere more veneni, niſi quid interea diſtrahat. Si igitur interim canis alterius ſanguinem illum biberit, ſanguis ille crudus ad multas horas natat in ſtomacho,eum denique velut peregrinũ deiecturo per aluum. Interea caninus ſanguis iſte ſaliuam caninam ſuperiora membra prehenſantem priùs,quàm ad præcordia veniat,deriuat ad ſtomachum: nam & in canino ſanguine virtus eſt ad ſaliuam canis attrahendam, & in ſaliua viciſsim virtus ad ſimilem ſanguinem proſequendum. Venenum igitur à corde ſemotum,ſanguinique inbibitum in aluo natanti,vnà cum ſanguine per inferiora deducitur, hominemque ita relinquit incolumem. Quorſum hæc? primò quidem, vt rei tam occultæ ſuccurentem inter diſſerendum cauſam aperuerim,deinde vt moneam ſanguinem potari poſſe, & quidem ſalubriter. Atque in ſanguine humano virtutem eſſe, quæ humanum ſanguinem attrahat, & mutuò proſequatur, ne forte diffidas iuuenilem ſanguinem à ſene bibitum trahi ad venas,membraque poſſe, ibique prodeſſe quàm plurimum.

Diæta, habitatio, consuetudo senum. Cap. XII.

MEminisse decrepitos expedit, naturam debilem non esse nutrimentorum pondere fatigandam, vel etiam epularum diuersitate nimia distrahendam: nam & iuuenilis ętas hoc vitio fit citò senilis. Diuidant ergo mensas, nec tam multa naturam alimonia, quàm frequenti reficiant, interuallo tamen interim ad digestionem dato. Nam sæpe etiam postquàm stomachus ipse concoxerit, nisi & iecur quasi digesserit sumere nutrimentum, naturam distrahit, atque fatigat, qua quidem lassitudine sæpius frequentata, aduolat intempestiua senectus. Senes hyeme velut oues aprica petant, æstate velut aues amęna, riuosque reuisant, frequenter inter virentes versentur plantas, & suauiter redolentes: hæ namque viuentes, spirantesque conspirant ad spiritum hominis augendum. Ad loca vero communiter apibus amica confugiant, mellaque hyeme degustent, mel enim cibus est senibus in primis amicus, nisi vbi bilis timetur incendium. Amicus caseus recentissimus, amici dactyli, ficus, passulæ, cappares, dulcia punica, zinzifa, hisopus, scabiosa, betonica, sed pistacia multo magis. Pinei vero nuclei maximè omnium, sicut diximus, ex quibus plurimum referent adiumentum, si eos horas duodecim in aqua paulum calida teneant, priusquàm edant, sic enim stomacho non nocebunt, ac præterea, si dum his vtuntur, etiam inter pineta, & oliueta, vitesque versentur, aut saltem pini vaporem accipiant, & odorem. Item gummi, lachrymæque pini cum oleo, vel vino corpus sæpe deliniant, probabile enim est, arbores longa naturaliter vita dotatas, præsertim si etiam hyeme virescant, ad longam tibi vitam, vmbra, vapore, nouo fructu, ligno, & tempestiuo quolibet vsu prodesse: de animalibus autem longęuis supra diximus. Iam verò ad idem tibi forte conducet, si viuas plurimum penes eos, qui sani, tibi sano natura sint similes, & amici, ac magis forsan, si paulò iuniores. Vtrũ verò, & quommodo frequens adolescentum consuetudo parumper senium retardare valeat pudicus Socrates consulendus.

Quæ adminicula senes à planetis accipiant ad omnia mẽbra fouenda. Cap. XIII.

VErum consulite potius solliciti senes Apollinem, qui Socratem græcorum sapientissimum iudicauit. Consulite Iouẽ insuper, atq; Venerẽ, Phœbus ipse artis medicinę repertor nucem muscatam vobis fouendo stomacho dabit, Iuppiter cum Phœbo masticem, atque menthã, Venus verò corallum. Fouendo rursum capiti Phœbus pęoniam, thus, amaracum, & cum Saturno mirrham, spicam nardi, macemque Iuppiter, Venus denique dulce maratrum, atque myrtum. Ad cor vero fouendum accipietis à Phœbo quidem citrariam, crocum, lignum aloes, thus, ambram, muscũ, doronicũ modicum, garyofilum, citri corticem,

ticem, cinnamomum. Ab Ioue lilium, buglossam, ocimum, & mentham, beeniasque radices, & candidas pariter, & rubentes. A Venere sola quidem myrtum, & sandalum, atque rosam, vnà cum Saturno coriandrum. Hæc vos contundite diligenter, & quæ stomachi sunt cydoniorum oleo in formam ceroti conficite, quæ verò capitis, oleo spicæ perfundite, ac illinite ceruicem, tempora, frontem: quę denique cordis, aureo vino spargite, aquaque rosacea, eaque foris præcordijs admouete. At iecur in primis creando sanguini necessarium (nescio quomodo prætermisimus, huic ergo semper eupatorio, & opobalsamo Phœbus opitulabitur, pistaceis Iuppiter, atque passulis, Venus autem hepatica, endiuia spodio, cicorea. Lieni tandem fouendo Saturnus ille vester vnà cum Ioue capparim dabit vobis, scolopendriam, tamariscum. Sicut vesicam Iuppiter cum Venere, pina, glycirhiza, amido, cucumeris seminibus, malua, althæa, manna, cassia curat. Saturnum vero verendum pluribus, ne adeo vos fugite senes, hic enim quàm peregrinus est iuuenibus, tam vobis domesticus erit. Vt igitur totum ipse quoque vobis corpus vegetet pro viribus, atque confirmet, accipietis nonnunquàm ab eo regnante, pariterque à Phœbo mumiam simul, & anseris assi pulpam, hæc anseris adipe modico delinite, contundite diligenter. Myrobalanarum chebularum, atque indarum melle concoquite, ambra, musco, croco condite, ante omnia verò hæc vobis profutura confidite, credentes medicinarũ ad vitam conferentium vitam esse fidem, qua speretis, & Deum supplicantibus vobis adspiraturum. Et res ab eo creatas, præsertim cœlestes mirifica proculdubio ad augendam, vel conseruandam vitam habere potentiam.

Confabulatio senum sub Venere per virentia prata. *Cap.* X IIII.

SEd à grauioribus his numinibus, ad Venerẽ parumper vos per hortos, & prata senes virentia reuoco ad almam Venerem, vos omnes aduoco, non ludentem quidẽ vobiscum, sed iocantem. Hæc & vobis inquàm, & mihi iam seni primo quidem iocosum hoc fundit oraculum. Ego fili, si nescitis, voluptate, motuque nobis vitam dedi, ego igitur voluptate quadam, motuque, & si non simili, vobis seruabo vitam, eãdem quoque seruabit libertate Liber, vitissator, propagator vitæ. Liber ipse semper odit seruos, & quam vino promittit vitam solis liberis implet longam meæ quidem vitæ simul atque menti quondam profuit regnante Saturno diminuta mentha, placetque quotidie, vobis autem maior mentha, menti, vitæque prodest diminuta nocet, risum ex meis hortis legite, negligite ficum. Has vero violas quando carpitis, carpere vos existimate lilia, præhendentes lilium comprehendere crocum.

Crocum à Phœbo Iuppiter ipse nactus propagauit in lilium, lilium ego à Ioue suscipiens, in has, quas hic videtis, violas transformaui, denique rosa quidem vobis esto lucifer, hesperus verò myrtus. Post oraculum nobis cogitandum mandat rerum viridium naturam, quatenus viret, non solum esse viuam, sed etiam iuuenilem, humoreque prorsus salubri, & viuido quodam spiritu redundantem. Quapropter odorem, visu, vsu, habitatione frequenti, iuuenilem inde spiritum nobis influere, inter virentia verò deambulantes interim causam perquiremus. Ob quam color viridis visum præ cæteris foueat, salubriterque delectet. Inueniemus tandem naturam visus esse lucidam, ac lucis amicã, volatilem tamen, ac facilè dissipabilem: Idcirco dum per lucem se dilatat, velut amicam, interdum nimio lucis excessu rapi prorsus, & vehementi dilatatione dissolui: tenebras autem naturaliter velut inimicas fugere, ideoque radios in angustum inde retrahere. Optat verò visus ita perfrui lumine, vt per amicum hoc suum amplificetur quidem, nec tamen interim dissipetur: iam verò in quocunque calore plus admodũ tenebrarum, siue nigredinis est, quàm lucis, non dilatatur, nec ideo delectatur radius visus ad votum. Vbi vicissim plus admodum splendidi coloris est, quàm nigri, spargitur latiùs, noxia quadam voluptate distractus. Quamobrem color viridis maximè omnium nigrum cum candido temperans, præstat vtrumque, delectans pariter, atque conseruãs, & molli insuper, & adhuc tenera qualitate, sicut & aqua radijs oculorum absque offensione resistit, ne abeuntes longiùs disperdantur. Quæ enim dura sunt simul & aspera, frangunt quodammodo radios, quæ verò rarissima sunt, dissolutioni aditum patefaciunt, sed quæ soliditatem aliquam habent, lenemque simul æqualitatem sicut specularia corpora, nec ipsa quidem frangunt, neq; longius disperdi permittunt. Quæ denique præter hæc beneficia, tenera quoque sunt, & mollia, sicut aqua, resque virides liquidis oculorum radijs mollitia blandiũtur. Denique visui radius quidam est in quadam oculorum aqua naturaliter nobis accensus, ac temperatum lumen in aqua quodammodo resistente requirit. Itaque gaudet aqua, delectatur speculis aquæ similibus, viridibus oblectatur, in quibus sane viridibus Solis lumen insitũ adhuc vernum secum habet humorem, aquamque subtilem occulto quodam lumine plenam, ex quo fit etiam, vt color viridis cum tenuatur, in croceum resoluatur. Quorsum hæc? vt intelligamus frequentem viridium vsum; siquidem visus spiritum recreat, qui in animali spiritu quodammodo præcipuus est, animalem quoque reficere. Atque etiam meminerimus, si color viridis, quia inter colorem gradus medius, atque temperatissimus est, tantum animali spiritu prodest, multò ma-

tò magis quæ per qualitates temperatissima sunt, naturalem, & vitalem spiritum iuuatura, atque admodum profutura nobis ad vitam. Nihil in mundo temperatius est, quàm cœlum, nihil in hoc corpore temperatius est, quàm corpus humanum, nihil in hoc corpore temperatius est, quàm spiritus. Per res igitur temperatas vita permanens in spiritu recreatur, spiritus per temperata cœlestibus conformatur. Denique discamus ex temperie viridis, quæ illuminando æquè congregat animalem spiritum, atq; dilatat, ideoque maximè iuuat. Nos quoque in cordialibus eligendis, componẽdis, vtendis, aromatica, subtilia, & acuta, quæ spiritum extendere, vel etiam illuminare solent, quòd facit crocus, atque cinnamomum, cum aromaticis semper stipticis, cõgregantibusque, ceu myrobalanis, & similibus cõmiscere, atque vicissim. Neque prætermittere, quæ absque acumine etiam aromatico simul vtrunque conficiunt, aliquantum videlicet dilatant, atque admodum congregant, multumque illuminant, quæ & aliàs narrauimus, quod efficit aurum, argentum, spodion, corallus, electrum, sericum, pręciosi lapilli, inter quos hiacynthus, vel ore detentus ob iouialem temperiem plurimum comprobatur. Cum enim sub terra nequeant speciosissima, & quasi cœlestia procreari absque summo quodam beneficio cœli, probabile est rebus eiusmodi mirificas cęlitus inesse virtutes. Compositio verò eiusmodi, quæ dilatando, & illuminando spiritum æque congregat, ita delectat eum intrinsecus, atque recreat, sicut foris viriditas oculos, atque ipsum etiam apud senes in naturali quadam viriditate diutissimè seruat quasi laurum, oliuam, pinum, etiam hyeme virentem. Tantoque magis id efficit, quo efficit & interiùs, atque maximè si compositio talis aromatico flagret odore, alliciatque sapor: profecto sicut corpus ex crassioribus humorum partibus compositum in quintam redigitur formam, ita spiritus ex subtilissimis eorundem portionibus constitutus formam habet quintam naturaliter temperatissimam, atque lucidam: ideoque cœlestem. Atque in hac ipsa forma conseruandus est, vt subtilis quidem sit, & interea firmus, sicut diximus, sit omnino lucidus, sed etiam quodammodo solidus. Ac præterea rebus odoriferis firmis lucidis assiduè foueatur, si vitam cupimus conseruare, quæ viget in spiritũ, & vendicare nobis cœlestia dona. Hæc hactenus iussu Veneris contẽplati Venerem ipsam audiuisse putamus.

Mercurius alloquitur senes, & consulit eis circa voluptatem, odores, cantus, medicinas. Cap. XV.

INterea dum inter senes, ipsa quasi Venus confabularetur forte quidem hactenus satis bellè deinceps vero prolixiùs forsan fabulatura foret. Sermonem hunc his Mercurius vocibus sermonum auctor interpellat.

terpellat. Quid nam vobis est cum Venere, istac semper puella sene, quid rursum Veneri cum sermonibus, nonne mei simul, atque vestri sunt sermones, mea ratio pariter, atque vestra. Audite me igitur eadē nunc attentione, qua illam, & multo maiore insuper attentione, quàm Venerem. Quinq; scitis esse sensus, visum, auditū, olfatum, gustū, tactum, esse rursum quinq; (vt ita dixerim) discite rationes. Dum.n. per quinque sensus quotidie imbuitur vobis animus, rationesq; inde rerū ipse concipit, interea notiones, habitusq; ad res iudicandas quinque, tanquā rationes quinq; resultāt. Præterea sicut quinq; hinc quidē sunt sensus, inde vero quodāmodo rationes ita vitæ tenor quinq; gradibus circa sensum, rationēq; disponitur. Vnde quinq; numerantur ætates, prima quidē sensu tantum trahitur, secunda sensu magis admodū allicitur, quā ratione ducatur, tertia posthęc alterius pariter rationis, & sensus persuasionibus agitur, quarta ratione potius, quàm sensu ducitur. quinta tandem ratione tantum regi debet. Prima igitur ætas, atq; secūda tanquam subiecta Veneri, Venerem (si placet) loquentem audiat, reliquæ verò Mercurium. Ego igitur reliquos vos omnes alloquor, non pro me quidem tantum, sed pro Diana etiam hac, quam ad sinistram meam cernitis. Nempè cum hæc elinguis sit, ego verò bilinguis, iure pro hac ipsa, cuius ego linguam habeo, loquor. Vnam profecto noxiam, quæ Venus vobis indidit voluptatem, qua noceret quidem vobis, prodesset verò futuris, exhauriens paulatim vos per latentem quandam quasi fistulam, aliudque vestris liquoribus implens, atque procreans, vos tandem quasi vetustum quoddam spolium cicadarum iam exhaustum humi relinquens, cicadæ interim teneriori prospiciens. Nonne videtis, quod Venus de materia vestra generat esse recens quoddam, & viuum, sensuque perditum, surripit ergo vobis iuuentutem, & vitam atque sensum, ex toto (inquam) corpore per totius voluptatem, vt efficiat inde totum. Ego interim materię illius, quę quartæ digestioni superest, qualitate monitus, vos cōmoneo, alimenta similiter quarta digestione cocta plurimum vitæ vestræ succurrere ouū recens videlicet integrum, & sorbile vnà cum saccharo, exiguoq; croco. Lac humanum, vel suillum, vel caprinum cum pauculo melle sumptum, atq; hæc duo tunc salubriora sunt, quando natiuo adhuc calore flagrant, & si ouum aliam mox cocturam desiderare videtur, præsertim in stomacho minus valido, sed leuiter est coquendum Verum, vt parumper ad Venerem redeamus, si quando vidistis Venerem, iuuenilem admodum vidistis, & quasi meretricijs fucis, & ornatibus expolitam. Hæc ergo, quæ noua semper est, noua semper affectat, odit vetera facta destruit, vnde construat facienda. Hæc rursum, si dictu fas est, quasi merc-

meretrix non vno quouis est contenta viro, vulgus amat, & (vt dialecticè loquar) speciei passim potius, quàm indiuiduo suffragatur, iam verò neque tactu tantum vos præcipitat, sed etiam gustu fallit quotidie, perditque deceptos. Quos enim vos in rebus sapores percipitis mediocri quadam temperie gratos, hos Diana, hæc Apollinis, Iouisque munere tradidit. Illecebras verò saporum miras, quibus quotidie velut hamo capti clam miseri vitam perditis, Venus insidiosa fabricat. Quid igitur Martem incusatis, quid Saturnum, Mars quidem raro admodum vobis, palamque nocet, Saturnus quoque sæpius vultu se profitetur hostem, nocet tardius, tempusque remedijs nulli negat, sola Venus palam, vt amica venit, clam inimica venit. Hanc igitur incusate potius, si quem inter superos incusare licet, ad multiplices huius insidias, tum oculis argiuos ipsos instruite, tum Palladis clypeo vos munite. Aures autem ad blandas pollicitationes eius, tanquam ad lætales Syrenum cantus obstruite, hunc deniq; prouidentiæ florem à me accipite, quo Circes huius beneficia deuitetis. Hæc vobis duas vix tandem, & has quidem lætiferas pollicetur voluptates potius, quàm largitur: ego vero beneficio patris, atque fratris quinque promitto vobis, quinque præsto, puras, perpetuas, salutares, quarum infima est in olfactu, superior in auditu, sublimior in aspectu, eminentior in imaginatione, in ratione excelsior, atque diuinior. Quo maior delectatio tangendo percipitur, atque gustando, eo vitæ grauius frequenter accidit detrimentum, contra verò quanto maiorem in olfactu voluptatem, & auditu, atque visu, item imaginatione, & sæpe ratione quotidie reportatis, tanto fila vitæ longiora producitis. Verum sicut in blandimentis tangendi, atque gustandi cauendam vobis subdolam admonui Venerem, sic in ipsa secretiore, nimisque assidua contemplatiuæ mentis delectatione, cauete Saturnum. Illic enim frequenter filios ipse suos deuorat. Nam quos sublimiorum contemplationum suarum rapit illecebris, & illic agnoscit, vt suos, hos interim, si modo diutius gradum ibi sistant, falce quadam è terris amputat, terrenamque incautis vitam sæpe surripit. Hoc saltem Venere interim indulgentior, quod Venus quidem vitam, quam tibi detrahit, donat alteri, nihil tibi pro detrimento restituens. Saturnus autem pro vita terrena, à qua separatus ipse, te denique separat, cęlestem vitam reddit, atque sempiternam. Hoc ipso similes esse videntur inter se Venus, atque Saturnus, qui sane, quàm Aquario gaudet, tam regnat in Libra, quòd homines, & hic, & illa generandi libidine vexat, nocetque vexatis, vt inde posteritati prosit. Sed hæc quidem fęcundat corpus, stimulatque fęcun-

dum

dum ille mentem suo semine grauidam vrget ad partum. Vos igitur prouerbij memores, ne quid nimis, aſsiduis prudentiæ frenis parturientis vtriuſque libidinem cohibete, tametſi multo citiùs, grauiusq; illelædit, quos tędio, torpore, mœrore, curis, ſuperſtitione pręmit, quàm quo ſupra vires corporis, moresque mortalium eleuat ad excelſa. Omnino vero ſeruate (moneo) quod æquus Iuppiter Pythagoram docuit, & Platonem, humanam vitam in quadam æquali animæ ipſius cum corpore proportione ſeruari, vtrunque ſuis quibuſdam alimentis, & exercitationibus ali, ac ſimiliter augeri. Si quis alterutrum educatione præcipue ſua multo robuſtius altero tandem efficit, non mediocrem facit vitæ iacturam. Propterea quicunque inter res medicorum arte laudatas potiſsimum eas eligit, quæ corpori ſimul, & ingenio proſunt maximum vitæ ſibi vendicat adiumentum. In earum vero numero vinum, mentham, myrobalanum, muſcum, ambram, zinziber recens, thus, aloem, iacynthum, ſimilesque lapillos, herbasve conſimiles eſſe putate, & quæ ad vtriuſque vtilitatem à medicis pariter componuntur. ſed longioribus his quandoque interceptis ambagibus, ego quoque medicus huc acceſsi. Si ſapores ex rebus accepti non vltra viuentibus, item odores ex aromatis iam ſiccis, vitaque vacuis, multum ad vitam conferre cenſentur. Quidnam dubitatis odores ex plantis radicibus adhuc ſuis hærentibus, viuentibusque mirum in modum vitæ vires accumulaturos. Denique ſi vapores exhalantes ex vita duntaxat vegetali magnopere vitæ veſtræ proſunt, quantum profuturos exiſtimatis cantus aereos quidem, ſpiritui prorſus aereo harmonicos harmonico, calentes adhuc, viuosque viuo, ſenſu periodos ſenſuali, ratione conceptos rationali. Hanc ergo vobis à me fabricatam trado lyram, cantumque cum ipſa Phœbum ſolamen laborum, diuturnæ vitæ pignus. Sicut enim res qualitate temperatiſsimæ, ſimulque aromaticæ, tum humoris inter ſe, tum ſpiritum naturalem ſecum ipſo contemperant, ſic odores eiuſmodi vitalem ſpiritum, ſic rurſum ſimiles quoque concentus ſpiritum animalem. Dum igitur fides in lyra, ſonosque, dum tonos temperatis in voce, ſimiliter ſpiritum veſtrum intus contemperari putate. Ac ne ipſe Venere ſim auarior, quæ ſine Bacco friget, ab hoc ipſo libero patre per me nectar hoc accipite. Qui præcipuè inter vos frigent temporibus ſimilibus, bis ſeptimo quoque die vncias vernacei, vel maluatici dulcis meri duas ſumant cum vna panis vncia, tribus ante menſam horis. Semel autem drachmam vnam ſublimis aquę diſtillantis ex vino cum iuleb roſacei ſemuncia. Quo quidem liquore illinite etiam cutem, & ad olfatum vti commodiſsimè poſſunt, atque vt poſt eiuſmodi nectar, ambroſiam quoque vobis afferam inſuper acce-

ptam

pta ab Ioue largior medicinam. Quattuot myrobalanorum vncias accipite, chebularum tres rosacei, sacchari conditi, zinziberis hyeme quidem vnciam, æstate vero semunciam, tria hæc cum emblicarum melle concoquite suauiter, septemque auri folijs exornate, ieiuni bolum ante prandium quattuor horis accipite, anno saltem integro quottidie id assumite, vt inde velut Aquilæ renouetur vestra iuuentus. Hactenus quasi Mercurium loquutum existimemus.

Confirmatio superiorum, & quod deuitare debemus assiduam cogitationem, & coitum. Cap. XVI.

ASTROLOGI Venerem, & Saturnum inimicos inuicem esse ferunt: cũ verò in cęlo, vbi omnia amore mouentur, vbi defectus est nullus, odium esse nequeat, inimicos, id est effectu diuersos interpretamur. Mittamus in præsentia reliqua, ecce nunc Saturnus quidem nobis in centro, Venus autem in circumferentia posuit voluptatem. Voluptas vero spirituum esca quædam est, igitur ex opposito Venus, atque Saturnus spiritus nostri volatum aucupantur, illa per voluptatem suam allicit ad externa, hic interim per suam ad intima reuocat: distrahunt itaq; spiritum, si fermè eodem tempore moueant, atque dissipent. Quamobrem nihil contemplatori vel curioso pestilentius, quàm venereus actus, nihil vicissim hunc sectanti alienus, quàm cura, & contemplatio esse potest, contemplatorem vero physicum, religiosumque eodem in gradu connumeramus, & gradu simili quemlibet in negotijs suis valde cogitabundum, grauibusque curis obnoxium. Hinc rursus efficitur, vt si quem saturnia vel contemplatione nimium occupatum, vel cura pressum, leuare interim, & aliter cõsolari velimus, per venereos actus ludos, iocos, id tentantes tanquàm per remedia longè distantia, frustra atque etiam cum iactura conemur, atque vicissim si quem venereo vel opere perditum, vel ludo, iocoque solutnm moderari velimus, per Saturniam seueritatem emendare non facilè valeamus. Optima vero disciplina est per quædam Phœbi, Iouisque, qui inter Saturnum, Veneremque sunt medij studia, similiaque remedia homines ad alterutrum declinantes, ad medium reuocare. Sed vt tandem simus medici, sicut flamma duobus communiter modis violentis extinguitur, aut velut difflata ventis, aut contra quasi compressa cineribus, sic spiritum vel celeriter effectu venereo dissipamus, vel sensim Saturnio suffocamus, ac sæpe exprimimus comprimendo, pariterque resoluimus. Spiritus vtique frequenter ad extima volans, intima reddit vel vacua, vel aliena vitæ, sed ad intima

ſæpe coactus cætera circum membra præſtat vitæ minus idonea. Citam igitur ſenectutem tum Venus in interioribus noſtris, tum Saturnus exterioribus infert: Venus quidem præcipuè, vbi ex quouis eius motu facilè corpus debilitatur, atque labaſcit, Saturnus quoque potiſſimum, quando ex quocunque contemplationis officio, vel curæ, labore, ingenij, corporiſque vires labefactantur. Etſi, vel qui ad contemplationem, vel qui ad libidinem natus eſt plerunque ad ſuum vterque officium eſt natura fortiſsimus. Natura enim ſæpe coniungit cum voluptate ſimul, & facilitate potentiam: vnuſquiſque igitur ſe cognoſcat, ſuique ipſius moderator, ac medicus eſto. Coitum quidem frequentaturi cæteros conſulant, ego vero exercitans ingenium libro etiam ſuperiore conſului. Deniq; omni diæta omnibus remedijs vti debent, quibus membra, ſpiritus, ſenſus, ingenium, memoria confirmentur, cogitationes per interualla repetere, nec expectare vel minimum ex cogitatione laborem. Maximè verò cum primum caneſcunt, quamuis nonnulli ſint, qui non tam debilitate naturæ, videlicet adhuc iuuenes canos emittunt, quàm vel ægritudine, vel ægrotatione aliqua præcedente, aut etiam parentum ſimilitudine, quibus ſcilicet iam caneſcentibus fuerint generati.

De medicinis ſenum, & de habitatione iterum, atque diæta. Cap. XVII.

CAldęorum regula eſt forte probanda, ad iuuentutem recuperandam, peregrinos humores inhibitos corpori expurgare gradatim, tum interiores, competentibus medicinis, tum exteriores frictionibus, & lauacris, prouocationibuſque ſudoris, intereaque ſalubribus, duraturiſque alimentis paulatim corpus implere. Sunt autem, qui trociſcis quibuſdam ex vipera factis, vel elleboro præparato promittunt humores omnes veteres, putridoſque prorſus educere. Quibus expurgatis, & humore rurſum ſaluberrimo, alimentis ſalutaribus recreato, reſtituere iuuentutem, & qui cautiores ſunt, elleboro gallinas paſcunt, hominem vero gallinis eiuſmodi verò curationem tanquàm periculoſam in iuuentute arbitror potiùs, quàm in ſenectute tentandam. Ne forte iuuentutem illam à Medea Peliæ ſeni promiſſam experiamur: nã & iuuenes medicinis exquiſitè purgantibus citò ſeneſcere, Hyppocrates aſſerit, ſed vbi diæta non ſufficit clyſtere, vel manna, vel aloe, pręſertim lota ſecurus vteris. Si tibi ſit aluus aſtrictior, manna cum iure caponis, myrobalanique virtute: ſin minus hac te iuuenem etiam in ſenectute purgatione ſeruabis. Sume vnciam lotę aloes vnam, myrobola-

balanotum emblicarum drachmas duas, chebularum quoque tantundem, duas item rosarum purpurearum, masticis quoque tantundẽ, maluatico vino confice pillulas, quando Luna feliciter collocata, propitio fruitur Iouis aspectu, præsertim si domicilia fixa possederit, vel ipsa, vel Iuppiter: hæc enim ad diuturnitatem vitæ magnopere conferunt. Potes etiam vtiliter reubarbarum hic cum aloe componere, scilicet dimidiam aloes partem, dimidium reubarbari, & quoties opus fuerit, vnam mane sumere pillulam, ad tres vsque, vel quinque, modicumque insuper vinum bibere. Vbi vero pituitam magis times, potes commode in his pillulis trociscorum, agarici tertiam partem accipere vnà cũ tertijs aloes duabus, dimisso reubarbaro. Sed primam illam ego iam multis annis pillularum compositionem omni ætati experior esse tutissimam. Eadem hora confectionem eiusmodi facito, sume myrobalanorum emblicarum, belliricarum indarum, chebularum vnciam vniuscuiusq; vnam, cinnamomi verò duas, vnam quoque doronici, rosarũ purpurearum vnam, sandalorum rubeorum duas, vnam croci drachmam, tertiam drachmę partem musci, ambræ tantundem, candidum post hęc cum aqua rosacea, succoque citri fundito saccharum, coque, fac bolos, auroque inuolue. Hoc ante prandium quattuor horis sumentes, atque dantes vtiliter experti sumus ad virtutem corroborandam ad illustrandum spiritum, atque firmandum. Maximè vero proderit, si paulum quid insuper vini aurei biberis, proderit & sæpe calefactum panem aureo mero, & rosacea aqua perfundere, & modico insuper cinnamomo, saccharoque vberiore condire. Frequenter etiam duo hæc cum lacte amygdalino, & modico pane miscere: nam eiusmodi mixtiones naturã referunt Iouialẽ, præter omnia, quæ in superioribus explicauimus, vel saltẽ significauimus, ab his oẽs vrbani diligenter cauere debẽt æstu, gelu quolibet, vel post calorem frigore, vel nocturno. Nebulis, ventis, vel ex palude flantibus, vel irrumpentibus ex angustis locis, itẽ vbi aer, vel mouetur violentius, vel nullo modo mouetur, habitatione quamuis humidiore, fœtore, torpore, mœrore: diligentius autem Mercurij sectatores, diligentissimè senes. Qui præterea postquã mane corpus totum leuiter perfricuerint, delinient ipsum aduersum aeris, & laboris incommoda calente oleo, vel vino quopiã subamaro, cui priùs infuderint myrrham, & rosam, atque myrtum. Saluiam frequenter ore ferant, neruis, ac dentibus amicissimam, & quando dentium vitio, liquida velut infantes alimenta repetere compelluntur, mollissima caueant, lac quidem vino referant moderato. Vtantur igne duntaxat, vt medicina, quantum videlicet expellẽdi frigoris, & suscitandi caloris innati necessitas postulat, alioquin tanquàm edace humorem natura-

lem exsiccaturo. Solem verò, quoad delectat, sequantur vt alimentum, distillatione vitata, & æstu similiter declinato. Faciles quidem motus diligant, excitando calori admodum necessarios, labores autem corporis oderint, & multo magis animi, nec minus longam sitim, & inædiam, atque vigiliam,

De nutrimento spiritus, & conseruatione vitæ per odores, & aromatica, & aerem purum atque musicam præsertim si inter se hæc omnia misceantur.
Cap. XVIII.

LEgimus in calidis quibusdam regionibus, ac plurimo passim odore flagrantibus, multos gracili corpore, & imbecillo stomacho quasi solis odoribus ali. Forte quoniam ipsa natura loci, tum herbarum, & frugum, atque pomorum succos ferme totos redigit in odores, tum corporum humanorum humores illic resoluit in spiritum. Cum igitur vterque, videlicet odor, & spiritus sit vapor quidam, & simile similis nutriatur, nimirum & spiritalis homo plurimum ab odoribus accipit alimentum. Nutrimentum verò, qualecunque id sit per odores, siue fomentum, aprimè senibus, & gracilibus necessarium est, quo defectum alimenti solidioris, atque verioris, vtcunque compensare posimus: ambigere tamen nonnulli solent, vtrum spiritus odoribus nutriatur. Ego autem opinor Solis forsan ita nutriri, vt nisi alimenta, quæ crassa sunt, digestione tandem in vapores extenuentur: spiritus ipse, quem diximus vaporem esse, nullum illinc suscipat nutrimentum: itaque vinum odore plenum spiritum subitò recreat, quem cætera vix tandem reficere possunt. Vaporem vero illum, in quem cibi cocti denique transferuntur, ideo appellamus odorem: quoniam & odor vbique vapor quidam est, & hic tractus intus ex alimentis vapor, nisi spiritui quodam odore placeat, vix illum spiritui exhibet alimentum. Quamobrem Auicennam nostrum valde probamus dicentem, corpus quidem dulcedine, spiritum verò quadam, (vt eius verbis vtar) aromaticitate nutriri. Quoniam crassitudo corporis non nisi crassa natura, qualis est in dulcedine, coalescere valeat, tenuitas vero spiritus non alio, quàm fumo quodam, atque vapore, in quo aromaticitas ipsa viget, refici posit: aromaticam vero qualitatem dicimus odoram, & acutam, & quodammodo stipticam. Proinde quoniam iecur quidem corpori per sanguinem alimentum præstat, dulcedine plurimum augetur: cor autem quia & creat spiritum, & spiritui procreat alimentum, meritò desiderat aromatica. Expedit

pedit tamen, & aromatica pro corde condiri dulcedine, & dulcia pro iecore aromaticis commisceri, dulcedinemque interea nimiam euitare. Quid plura? Galenus ipse secutus Hippocratem spiritum non solum odore putat nutriri, sed aere, aere inquam non simplici, sed potius opportunè permixto. Quibus quidem si fidem habebimus, nec alimentorum, nec rei vllius delectum magis ad vitam necessarium, quàm aeris nobis accommodati esse censebimus. Aer enim & inferiorum, & cœlestium qualitatibus facillimè, semperque affectus, & immensa (vt ita dixerim) amplitudine circumfusus, perpetuoque motu, nos vndique penetrans, ad suam nos mirabiliter redigit qualitatem: præsertim spiritum, præcipuè vitalem in corde vigentem, in cuius penetralia, tum assiduè influit, tum repente. Sic protinus afficiens spiritum, vt est affectus, perque spiritum vitalem, qui & materia, & origo est spiritus animalis pariter afficiens animalem. Cuius quidem qualitas maximi momenti est ingeniosis eiusmodi spiritu plurimum laborantibus: itaque ad nullos potiùs, quàm ad eos attinet puri, luminosique aeris, odorumque delectus, atque musicæ. Hæc enim tria spiritus animalis fomenta præcipua iudicantur: potissimus verò ad vitam est aer electus: nam octauo mense nati in Ægypto plurimi viuunt, & nonnulli in plagis græciæ temperatis, saluberrimi aeris beneficio, quod Aristoteles narrat, & Auicenna confirmat. Sed profectò sicut corpus ex varijs compositum, varijs (quamuis non eadem mensa) nutriendum est alimentis, ita spiritus similiter compositus varietate quadam aeris semper electi oblectandus est, atque fouendus. Simili quoque electorum odorum varietate quottidie recreandus: nam aer, & odor quasi spiritus quidam esse videntur. Iam vero Alexander, & Nicolaus peripatetici vnà cum Galeno concludunt spiritum vitalem, & animalem ideo nutriri, tum odore, tum aere, quoniam vterque mixtus est, atque conformis, & vtrumque haustum in præcordia penetrare, vbi coqui, temperarique ad vitam, perque arterias diffundi. Vbi interque coctus iterum nutrit spiritum (vt aiunt) vtrunque præcipuè animalem.

Aiunt etiam spiratum aerem non solum refrigerando calori prodesse, sed etiam nutriendo: nam & animalia etiam valde frigida spirant. Addunt aerem crassiorem spiritui naturali tanquam magis corporeo conuenire: subtilem verò, purum, lucidum, spiritui potius vitali, potissimum animali. Neque mirum videri

deri debet ſpiritum adeo tenue, rebus quoque tenuibus ali, ſiquidem & piſciculi multi aqua nitidiſsima nutriuntur, & ocimũ in aqua ſimili viuit,creſcit,floret,redolet. Mitto quibus elementis chamæleontem, & Salamandram nutriri nonnulli ferant.Redeamus ad noſtra, intereſt certe quàm plurimum,qualem ſpiremus aerem,quales hauriamus odores. Talis enim & ſpiritus in nobis euadit,eatenus verò nos anima per vitam vegetat, quatenus ſpiritus armoniam ſeruat cum anima concinientem. Spiritus quidem nobis primus viuit,& maximè, & quaſi viuit ſolus,non ne repentino quodam ſæpe caſu,vel effectu,vita,ſenſus, motus ſubitò membra deſerunt regreſſo,videlicet ad cordis penetralia ſpiritu? & ſæpe ſtatim reuertuntur ad membra per frictiones,& odores illuc ſpiritu redeunte, quaſi vita in ipſo ſpiritu, videlicet re volatili potius inſit,quàm humoribus,aut membris: Alioquin propter horum craſſam tenacitatem tardius admodum accederet vita membris, atque recederet. Quicunque igitur vitam in corpore producere cupitis,ſpiritum in primis excolite, hunc augete nutrimentis ſanguinem augentibus,temperatum videlicet, atque clarum, hunc aere electo fouete, hunc quotidie ſuauibus odoribus alite,hunc ſonis,& cantibus oblectate. Sed interea odores cauete calidiores, frigidiores fugite, capeſsite temperatos,frigidos calidis,ſiccos humidis temperate. Odorem vero omnem, quia pars corporis ſubtiliſsima eſt, ſcitote non nihil habere caloris,atque ex rebus, quæ ipſe nutriunt, odores ſeparate potius nutrituros,vt ex aromatico pyro,pomoque perſico,ſimilique pomo,magis antecedente pane calente,maximè carnibus aſsis, quàm maximè vino. Atque ſicut ſapor qui mirificè placet, plurimi, velocisque nutrimenti cauſa eſt, vel occaſio corpori, ſic odorem ad ſpiritum ſe habere putate. Commemorare vobis iterum placet Democritum iamiam expiraturum,vt obſequeretur amicis, ſpiritum ad quatriduum vſque olfactu calentium panum retinuiſſe,vlterius etiam ſi modo placuiſſet ſpiritum ſeruaturum,ſunt & qui dicunt, id mellis odore feciſſe. Ego, ſi modo vſus eſt melle,exiſtimo illum mel vino liquefactum albo,calentibus panibus infudiſſe, neque enim ſpernendus eſt mellis odor. Flos namque florum mel exiſtit, nec parum nutrit ipſa dulcedine, ac diu qualitate ſua res integras à putrefactione tuetur. Itaque ſi quis nouerit hoc etiam ad cibum ita veſci, vt nec dulcedine nimia meatus oppleat,nec quodam calore bilem taliter exaugeat, certum habebit longioris vitæ ſubſidium, ſaltem igitur condimentum hoc frigidis, & humidis adhibete. Verum,vt vos reuocem ad odores,vbicunque ſuffocationem,compreſsionemque ſpirituũ nimiam extimeſcitis,quod mœror frequens, torporque protendit, odóres circumfuſos amate. Vbi

vero

vero fugam exhalantium spirituum expauescit, odores potius infusos nutrimentis accipite, & si quid odorũ præterea foris sumitis, velut clypeum costis duntaxat admouete sinistris. Nonne videtis quàm repente sursum, vel deorsum ad odores se matrix ipsa præcipitet? quam velociter ad os, ad nares spiritus aduolet, suauis odoris esca pellectus? Vbi igitur spiritus vel exiguus, vel fugacissimus esse deprehenditur, quod pusillanimitas sæpe declarat, corporisque debilitas, vel parua de causa multa contingens, odoribus nõ tam extrinsecus obiectis, quàm intrinsecus iniectis allicite, imò potius pascite, retinete, odorem vero vini ante omnes eligite. Multum nanque nutrit spiritum odor exhalans ex natura tum plurimum, & velociter nutriente corpus, tum voluptate sensum afficiente. Tale vero vinum est præ cæteris calidum, humidum, & odorum, atque clarum: tale etiam saccharum esse dicerẽ, si sumat odorem. Cinnamomum quoque simile, & doronicum, anisumque, & dulce maratrum, si acumini suo ad exiguam dulcedinem adderent ampliorem, sed quàm temperiem natura non fecit, vobis ipsi conficite. Et quotiens distractionem spirituum formidatis, calidioribus, acutioribusque, & subtilissimis adhibete, quæ cohibere parumper volatum spiritus, ac sistere valeant, ceu croco, gariophylis, cinnamomo, adustum panem, rosaceam aquam, acetumq; rosaceum, rosam, myrtum, violam, sandalum, coriandrum, cydonium pomum, atque citrum. Horreo vero camphoram, vbi contra caniciem est agendum, recentem verò semper mentham diligo menti etiam salutarem, spirituique tutissimam. Denique mementote res omnes veneno contrarias esse vitæ admodum salutares, non gustu tantum, sed etiam odoratu, maximè theriacam: has vero in libro contra pestilentiam enarrauimus, narrabimus & in libro sequenti. Inter eas autem, ne quid vos lateat, numeramus & vinum: nam sicut huiusmodi venenum est cicuta, ita cicutę vinum, non simul quidem, sed paulo post ebibitum. Ac ne solis uos odoribus hic alliciam, componendum vobis mando electuarium quottidie mane gustandum, olfactu, gustuque suaue, & vitæ admodum salutare. Accipite tres chebularum vncias, vnam emblicarũ, & indarum vnam, vnamque belliricarum, semunciam vero doronici, cinnámomi vncias duas, croci drachmam vnam, ambræ partem drachmæ tertiam, musci quoque tantundem, contundite diligenter, tantum rosacei sacchari adhibete, quantum gustui satisfacit. Sandalorum rubentium quantum sat est colori, mellis item emblicarum, vel chebularum, quantum molli expedit electuarij formæ, auri folia totidẽ, quot prædictæ sunt vncię. Vbi vero difficilior est compositio multiplex, experti sumus simplicem hanc optimam esse, scilicet ex chebulis, mara-

tro,

tro, dulci saccharo, aqua rosacea liquefacto, sumptam verò tum ieiunio stomacho, tum post cęnam. Memineritis autem myrobalanos conditas meliores esse, siccas vero saltem diem integrum oleo amygdalarum dulcium, vel butyro vaccino priùs infundite, quàm conficietis. Probat & Auicenna vobis confectionem ex emblicis, atque indis, cum melle anacardorum, coctoq́ue butyro, item chebulas cum zinzibere, & squama ferri, & potius auri. Probat item Petrus Aponensis compositionem ex croco, mace, castoreo per partes æquales acceptis, atque contusis, & vino commixtis, vnde affirmat vitam etiam propemodum moribundis produci consueuisse. Denique Aly astrologus, Medicusq́ue excellens asserit, vsu triferæ, similiumq́ue rerum vitam effici longiorem. In omni verò trifera myrobalanus fundamentum est, sed hanc temperant subtilibus quibusdam, atque mollibus, præsertim, vbi siccior est myrobalanus, vt & penetret, nec meatus obstruat, nec aluum exsiccet nimium, vel astringat. Cum vino prætereà commodissimè vtimur, sed modico, ne forte diluat, compositionem verò Petri, quam modo narrabam, si modo vtilis est, arbitror olfactu potius, quàm potu vtilem fore.

Magorum medicina pro senibus. Cap. XIX.

MAgi stellarum obseruatores ad Christum vitæ ducem, stella duce, venerunt, prætiosum vitæ thesaurum offerentes, aurum, thus, & myrrham, tria dona pro tribus planetarum dominis stellarum domino dedicantes: Aurum quidem pro temperamento Iouis maximè omnium temperatum: thus autem pro Sole præcipue, Phœbo calore simul, odoreque flagrans: myrrham deinque firmantem corpus, atque confirmantem, pro Saturno omnium firmissimo planetarum. Huc igitur omnes ad sapientes Magos venite senes, munera vobis quoque vitam pro ductura ferentes, quibus auctorem vitæ quondam venerati traduntur. Venite senes inquam senectutem grauiter tolerantes, venite & vos prætereà, quoscunque senectutis propemodum aduentantis formido sollicitat, accipite præcor alacres vitalia dona. Sumite vncias quidem thuris duas, vnam vero myrrhæ, auri rursum in folia ducti dimidiam drachmæ partem, contundite tria simul cōflate, confundite in pillulas, aureo quodam mero, idque tunc opportunè conficite, quando Diana propitio Phœbi, vel Iouis gaudet aspectu. Sumite post hac Thesauri tanti aurora qualibet portiunculam, ac exiguo perfundite meri, potu, nisi forsan incaluerit ęstas: tunc enim aquam rosaceam bibere præstat. Siquis autem inter vos calorem quouis tempore magis metuatis myrobalanum chebulam, aut emblicam ęqualem ad thuris, myrrhæq́ue, & auri simul pondus adijciat. Hoc humorem proculdubio naturalem à

putre-

putrefactione tuebitur, hoc humoris resolutionem longiùs propulsabit, hoc tres in vobis spiritus, naturalem, animalem fouebit, confirmabit, corroborabit, hoc rursum vegetabit sensum, acutè ingenium, memoriam conseruabit.

De periculis euitandis, ex quolibet vitæ septennario imminentibus. Cap. XX.

CVm astronomi singulas deinceps diei horas planetis ordine singulis distribuerit, similiterque septem hebdomadæ dies, atque in ipso fœtu per menses digesserint officia planetarum, cur non etiam per annos eadem disponamus. Vt quemadmodum infantem in aluo latentem rexit primo mense Saturnus, vltimo Luna, sic statim natum ordine iam conuerso primo ipsius anno ducat luna, secundo (si uis) Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars sexto Iuppiter, septimo vero Saturnus, atque deinceps ordo per vitam similis repetatur. Itaque in septimo quolibet vitæ anno, fit in corpore mutatio maxima, ideoque periculosissima, quandoquidem & Saturnus nobis communiter est peregrinus, & ab eo tunc planetarum summo, ad Lunam è vestigio planetarum infimam gubernatio redit. Hos annos astronomi greci climatericos nominant, nos scalares, vel gradarios, vel decretorios appellamus. Fortè verò in morbis ipsum humoris, vel naturæ motum planetæ per dies eorundem ordine regunt, vnde & septimus quisque eadem ratione iudiciarius appellatur, quartus quoque quoniam medium in septennario tenet. Tu igitur si vitam producere cupis ad senectutem, nullis eiusmodi gradibus interruptam, quotiens septimo cuilibet propinquas anno, consule diligenter astrologum, vnde immineat tibi discrimen edíscito, deinde vel adito medicum, vel prudentiam, & temperantiam accersito. His nanq; remedijs prohiberi minas astrorum Ptolemeus etiam confitetur. Addit quinetiam astrorum promissa sic augeri posse, vt agrorum cultor auget terræ virtutem. Probat Petrus Aponensis argumentationibus multis, & testimonio Aristotelis, Galeni, Aly naturalem vitæ finem non esse ab initio ad vnguem determinatum, sed vltra, citraque moueri posse: idque asserit tum ex astris, tum etiam ex materia. Concludit his auctoribus, rationibusque, obitum etiam naturalem differri posse cum Astrologiæ machinis, tum præsidijs medicorum: Igitur neque nos temerè in his præceptis elaboramus, neque te pigeat perquirere à medicis, quæ naturaliter tua sit diæta, & ab Astrologis, quæ stella vitæ faueat, & quando hæc bene se habet, & ad eam Lunam, compone, quæ prodesse didiceris. Neque pudeat sępe illos auscultare, qui non tam fortuna, quàm virtute se-

nectutem prosperam consecuti videntur. Præterea Ptolemeus & cæteri professores astronomiæ imaginibus quibusdã ex certis lapidibus, & metallis, sub certo sydere fabricatis vitam prosperam pollicentur, atque longæuam. Verum de imaginibus quidem ex parte, ac plurimum de reliquo fauore cęlesti commentarium componimus in Plotinum, quem librum huic operi deinceps subijciendum existimamus, quẽadmodum hunc post librum scribi volumus, quem de curanda litteratorum valitudine composuimus. Fauorem vero cęlestem, quem modo dicebam, pro iuuentute longa, nunc quantum quasi poetæ cuidam licet loqui, quantũ rursus medico licet facere, à Phœbo, Bacchoq; petemus.

Solis æterna est Phœbo, Bacchoque iuuentus,
Nam decet intonsus crinis vtrumque Deum.

Phœbus, & Bacchus semper indiuidui fratres sunt, ambo ferè sunt idẽ, Phœbus idẽ est in ipsa sphęre illius anima: sphæra verò Bacchus, immo & Phœbus est totus ipse sphęre circus: Bacchus autẽ est flãmeus ille in hoc circo circulus, immo vero Phœbus est almum in hoc flammeo globo lumen: Bacchus autem existit ibidem salutaris ex lumine calor, semper ergo, fratres, comitesque sunt ferè semper alter, & idem. Quid vero? si Sol in vere quidem Phœbus est cantu suo tunc auiũ cantus excitãs, cithara rursum tempora temperans: in autũno verò Sol idẽ auctor vini Bacchus existit. Tria nobis ad seruandam iuuentutem pater ille liber, qui amat colles, Bacchus affert, nos quidem apricos primũ colles, in his autem collibus suauissimum præcipue vinum perpetuam in vino securitatem. Tria quoque Phœbus Bacchi frater pari benignitate largitur, diurnũ primo lumen, sub fomento luminis herbas suauiter redolentes ad luminis huius vmbrã, citharam, cantumque perennẽ. His ergo penis potissimum, his staminibus Clotho nobis iam non parca longa vitæ fila producet. Tres Parcas ferè omnes poetę canunt, tres quoque nos non poetæ canimus. Prudens quidem in omni victu parcitas vitam nobis longam inchoat, constans quoque in curis subeundis parcitas producit vitam, parcitas verò in cęlo fruendo negligens vitam occat. Tres Pythagoras temperantias ante omnia celebrat, tres etiam nos in præsentia celebramus. Temperantiam in affectibus conseruato, temperantiã in omni victu seruato, temperiem aeris obseruato. Hęc enim prouidentia humorum intemperiem, quæ citæ senectutis, & tempestiuæ mortis causa est, aspirante Deo, procul admodum propulsabis. Aspirabit autem autor ille vitæ, si ea tantum conditione vitam optaueris diuturnam, vt diutiùs cum generi humano viuas, tum maximè viuas illi, quo mundus totus inspirante viuit.

FINIS.

MARSILII FICINI FLORENTINI MEDICI CLARIS.

De vita cœlitus comparanda,



Ad Sereniſſimum Pannoniæ Regem Procemium.



ARSILIVS Ficinus Florentinus Sereniſſimo Pannoniæ Regi ſemper inuicto. Philoſophi veteres, Rex omnium feliciſſime, cœleſtium vires, inferiorumq́; naturas diligentiſſimè perſcrutati, cum exiſtimarent hominem fruſtra ſapere, qui non ſibi ſapit, totam merito perſcrutationem ſuam in primis ad vitam ſibi cœlitus comparandam retuliſſe videntur. Iudicantes (vt arbitror) tum elementa, & quæ ex his componuntur, fruſtra ſibi cognita fore, tum motus cœleſtium, & influxus temerè nimium obſeruatos, niſi hæc vna cum illis cognita ſimul, atque coniuncta, aliquando ſibi ad vitam, fœlicitatemq́; conducerent. Profuit autem illis (vt videtur) eiuſmodi contemplatio ad vitam primo præſentem: nam Pythagoras, & Democritus, Apolloniusq́; Thianeus, & quicunque ad id potiſſimum ſtuduerunt, rerum ſibi cognitarum vſu proſperam valitudinem conſecuti ſunt, vitamq́; longæuam. Contulit inſuper ad futuram vitam, tum per gloriam apud poſteros propagandam, tum apud Deum in æternitate fruendam.

Si quidem ex mirabili mundi totius ordine eius tandem cognouere rectorem, & ante omnia cognitum amauerunt. Tibi vero gloriam per secula cuncta futuram magnanimitas, magnificentia, victoria perpetua pollicentur, vitam quoque apud Deum in æuo beatam, diuina clementia insigni pietati tuæ, iustitiæq; promittit, vitam denique prosperam inter mortales, satisq; longam ex indicijs quibusdam mihi licuit coniectare, fælicia tibi sydera decreuerunt. Vt autem quod pollicentur, id præstent firmissima fide, & cumulo insuper prorogent pleniore, diligentia tua, & medicorum, astrologorumq; cura efficere proculdubio potest. Iam vero id posse scientia, & prudentia fieri doctissimi quique astrologi, ac medici consitentur. Cum igitur inter Plotini libros magno Laurentio Medici destinatos, in librum Plotini de fauore cælitus haurieudo, tractantem nuper commentarium composuissem, inter cætera in eum nostra commentaria numeratum id quidem seligere nunc Laurentio quidem ipso probante, atque maiestati tuæ potissimum dedicare decreui. Spero equidem dum vitæ tuæ, prosperitatiq; consulam, vitæ interim, & splendori sæculi nostri, & humani generis consulturum. Atque vt valitudini, prosperitatiq; regiæ validius hæc nostra prodessent, per Valorem ipsum mittenda putaui. Hunc tu igitur Valorem nostrum clementissimè rex complectere præcor, tantum enim natura, virtus, auctoritas tua valet, vt absque te nequeat vel Valor ipse valere. X. Iulij. M. CCCC. LXXXIX. Florentiæ.



MARSILII FICINI FLORENTINI AD LECTOREM.

SALVE hoſpes ingenioſe, ſalue iterum quiſquis es ſalutis auidus, qui noſtra ad limina tendis, vide præcor hoſpes cupide primum, quàm hoſpitalis ſim, intrantis erat certe ſalutem ſtatim hoſpitio dicere. Ego verò ſalute præueniens, mox proſpectum ſaluere te iuſſi. Intrantem, & adhuc ignotum perlibenter excepi trahentem apud me moras promiſſa, ſi Deus aſpirauerit, ſalute donabo, hoſpitium ergo nactus es amicum quidem omnibus, & amoris nunc erga te plenum. Si quid forte fers tecum amori contrarium, ſi quid habes odij, prius ponito precor, quàm medicinas hic vitales attingas. Vitam enim tibi dedit amor voluptaſque parentum, vitam viciſſim demit odium, atque dolor: quem igitur odioſus vexat dolor, huic nullus vſquàm medicinæ vitali relictus eſt locus, quamobrem deinceps te non vt hoſpitem tantum iam alloquor, ſed amicum. Officina Marſilij tui aliquanto eſt amplior, quàm his cancellis duntaxat, quos hic vides, coerceatur. Non enim ſolo hoc libro ſequente, ſed duobus etiam præcedentibus circunſcribitur. Tota verò ſummatim medicina quædam eſt pro viribus opitulatura vitæ; vt valida tibi vita ſit, vt longa, idque vbique medicorum opera cœlitus adiuta molitur. Varia ſane pro diuerſis hominum ingenijs, atque naturis noſtra hæc officina antidota, pharmaca, fomenta, vnguenta, remedia profert, ſi qua tibi fortaſſe minus placeant, mitto quidem iſta cætera, propterea ne reſpuito. Denique ſi non probas imagines aſtro-

astronomicas, alioquin pro valitudine mortalium adinuentas, quas & ego non tam probo, quàm narro, has vtique me concedente, ac etiam (si vis) consulente dimittito. medicinas saltem cœlesti quodam adminiculo confirmatas, nisi forte vitam neglexeris, ne negligito. Ego enim frequenti iam diu experientia compertum habeo, tantum interesse inter medicinas eiusmodi, atque alias absque delectu astrologico factas, quantum inter merum, atq; aquam, vt etiam infans octauo à conceptione mense natus Florentiæ, mensæ Martio, nocte ascendente Saturno retrogrado semiuiuus, eiusmodi diligentia videatur à nobis, imò à Deo, quasi vitæ redditus potius, quàm seruatus, trienniumque validus fermè iam impleuerit. Iam verò si præter ea generis eiusdem plura narrauero, vera loquar, nec gloriabundus (quod est à philosopho penitus alienum) sed exhortabundus potius afferam. Verum satis iam partim quidem conciliantes, partim etiam exhortantes allocuti te sumus, deinceps igitur cum Plotino loquamur, ita demum tibi diligentius consulturi.

Protestatio catholici Auctoris.

In omnibus, quæ hic, aut alibi à me tractantur, tantum assertum esse volo, quantum ab Ecclesia comprobatur.



MARSILII FICINI FLORENTINI MBDICI, ATQVE PHILOSOPHI CELEBERRIMI,

LIBER TERTIUS.

De vita cœlitus comparanda compositus ab eo inter commentaria eiusdem in Plotinum.

In quo consistat, secundum Plotinum, virtus fauorem cœlitus attrahens, scilicet in eo, quòd anima mundi, & stellarum, dæmonumq; animæ facilè alliciuntur corporũ formis accommodatis. Cap. I.



I tantum hæc duo sint in mundo, hic quidem intellectus, inde verò corpus, sed absit anima, tunc neque intellectus trahetur ad corpus, immobilis enim est omnino, caretque affectu motionis principio, tanquàm à corpore longissimè distans, neque corpus trahetur ad intellectum velut ad motum per se inefficax, & ineptum, longæque ab intellectu remotum. Verum si interponatur anima vtrique conformis, facilè vtrinque, & ad vtraque fiet attractus. primo quidem ipsa omnium facillimè ducitur, quoniam primum mobile est, & ex se, & sponte mobile, præterea cum sit (vt dixi) media rerum omnia suo in se modo continet, & vtrinque ratione propinqua. Ideoque conciliatur, & omnibus etiam æqualiter illis, quæ inter se distant ab ea videlicet non distantibus, præter enim id, quod hinc quidem conformis est diuinis, inde vero caducis, & ad vtraque vergit affectu, tota interim est simul vbique. Accedit ad hæc, quòd anima mundi totidem saltem rationes rerum seminales diuinitus habet, quot ideæ sunt in mente diuina,

na, quibus ipsa rationibus totidem fabricat species in materia. Vnde vnaqueque species per propriam rationem seminalem propriè respondet ideæ, facileque potest per hanc sæpe aliquid illinc accipere, quandoquidem per hanc illinc est effecta. Ideoque si quando à propria forma degeneret, potest hoc medio sibi proximo formari rursum per quę id medium inde facile reformari. Ac si certe cuidam rerum speciei, vel indiuiduo eius ritè adhibeas multa, quæ sparsa sunt, sed eidem ideæ conformia. Mox in materiam hanc ita opportunè paratam singulare munus ab idea trahes per rationem, videlicet animæ seminalem non enim intellectus ipse propriè, sed anima ducitur. Nemo itaque putet certis mundi materijs trahi numina quædam à materijs penitus segregata, sed dæmones potius, animatiq; mundi munera, stellarumque viuentium. Nemo rursum miretur per materiales formas animam quasi allici posse, si quidem escas eiusmodi sibi congruas ipsamet, quibus alliceretur effecit, & semper, libenterque habitat in eisdem. Neque in mundo viuente toto quicquàm reperitur tam deforme, cui non adsit anima, cui non insit & animę munus: congruitates igitur eiusmodi formarum ad rationes animæ mundi Zoroaster diuinas illices appellauit, quas & Sinesius magicas esse illecebras confirmauit. Nemo denique credat ad propriam quandam materiæ speciem, & tempore certo hauriri omnia prorsus ex anima dona, sed pro opportunitate dona duntaxat seminis, quo talis species pululauit, seminumque conformium. Itaque hic homo humanis tantum adhibet, is non proprias piscium, vel auium dotes inde sibi vendicat, sed humanas, atque consimiles. Adhibitis autem, quæ ad stellam talem pertinent, atq; dæmonem stellæ, dæmonisque huius proprium subit influxum, velut lignum per sulfur paratum ad flamam vbique præsentem, atque hunc non modo per ipsos stellæ, dæmonisq; radios, sed etiam per ipsam mundi animam vbique præsentem, in qua & cuiuslibet stellæ, dæmonisque ratio viget, partim quidem seminalis ad generandum, partim etiam exemplaris ad cognoscendum. Hæc enim secundum platonicos antiquiores rationibus suis ædificauit vltra stellas in cœlo figuras, partesque ipsarum tales, vt ipsæ quoque figuræ quædam sint, impressitque his omnibus proprietates. In stellis autem figuris, partibus proprietatibus, omnes rerum inferiorum species continentur, & proprietates earum. Vniuersales verò figuras octo posuit, atque quadraginta, scilicet in zodiaco duodecim, extra verò sex, atque triginta: item in zodiaco triginta sex ad numerum facierum. Rursus ibidem tercentum, atque sexaginta ad numerum graduũ, in quouis enim gradu sunt stellæ plures, ex quibus ibi cõficiuntur imagines. Similiter imagines extra zodiacum in plures di-

uisit

nisit figuras pro facierum ibidem, graduumque suorum numero. Constituit denique ab imaginibus his vniuersalibus ad vniuersales imagines habitudines, & proportiones quasdam, quæ ipsæ quoque imagines illic existunt. Eiusmodi vero figuræ continuitatem quæque suam habent ex radijs stellarum suarum in se inuicem peculiari quadam proprietate coniectis, à quibus formis ordinatissimis dependent inferiorum formæ illinc videlicet ordinatæ. Sed & cœlestes illæ tanquam & inter se disiunctæ procedunt à rationibus animæ coniunctis inuicem, & quodammodo mutabiles à stabilibus. Sed hæ quatenus seipsas non comprehendunt, referuntur ad formas in mente, vel animali, vel eminentiore sese comprehendentes, quæ tanquàm multiplices rediguntur ad simplicissimum vnum, atque bonum, sicut figuræ cœlestes ad polum. Sed redeamus ad animam, quando igitur anima gignit speciales inferiorum formas, viresque eas per rationes efficit proprias, sub stellarum, formarumque cœlestium adminiculo. Singulares vero indiuiduorum dotes, quæ sæpe nonnullis insunt tam mirabiles, quàm in speciebus esse solent, exhibet per seminales similiter rationes, non tam sub adminiculo formarum, figurarumque cœlestium, quàm situ stellarum, & habitu motionum, aspectuumque planetarum, tum inter se, tum ad stellas planetis sublimiores. Anima quidem nostra vltra vires membrorum proprias, communem vbique promit in nobis vitæ virtutem: maximè verò per cor tanquàm ignis animæ proximi fontem. Similiter anima mundi vbique vigens per solem præcipuè passim explicat communis vitæ virtutem, vnde quidam animam, & in nobis, & in mundo in quolibet membro totam, potissimum in corde collocant, atque Sole. Semper verò memento, sicut animæ nostræ virtus per spiritum adhibetur membris, sic virtutem animæ mundi per quintam essentiam, quæ vbique viget tanquàm spiritus intra corpus mundanum sub anima mundi dilatari per omnia: maximè verò illis virtutem hanc infundi, quæ eiusmodi spiritus plurimum hauserunt. Potest autem quinta hæc essentia nobis intus magis, magisque assumi: si quis sciuerit eam alijs elementis immixtam plurimum segregare, vel saltem his rebus frequenter vti, quæ hac abundant, puriore præsertim, ceu electum vinum, & saccharum, & balsamum, atque aurum, præciosique lapilli, myrobalanique, & quæ suauissimè redolent, & quæ lucent. Maximè verò in subtili substantia qualitatem habent calidam, humidamque, & claram, quale, præter vinum, est albissimum saccharum, præsertim, si huic adhibueris,

aurum, odoremque cinnami, atque rosarum. Præterea sicut alimenta ritè in nobis assumpta per se non viua rediguntur per spiritum nostrum ad vitæ nostræ formam, sic & corpora nostra ritè accommodata corpori, spirituique mundano, videlicet per res mundanas, & per nostrum spiritum hauriunt ex vita mundana quamplurimum. Si volueris vt alimentum rapiat præ cæteris formam cerebri tui, vel iecoris, atque stomachi simile quantum potest accipe alimentum, idest cerebrum, & iecur, & stomachum animalium, ab humana natura non longè distantium. Si optas corpus tuum, atque spiritum ex aliquo mundi membro, videlicet ex Sole virtutem accipere, quære quæ ante alia sunt solaria, inter metalla, lapillosque, magis autem inter plantas. Sed inter animalia magis, maximè inter homines: similiora enim tibi magis proculdubio conferunt. Hæc & extra sunt adhibenda, & intus pro viribus assumenda, præsertim in die, & hora Solis, & Sole in figura cœli regnante. Solaria vero sunt omnia ex lapillis, & floribus, quæ heliotropia nominantur, quia vertuntur ad Solem. Item aurum, & auripigmentum, aurique colores, chrysolitus, carbunculus, myrrha, thus, muscus, ambra, balsamum, mel flauum, calamus aromaticus, crocus, spicanardi, cinnamomum, lignum aloes, cæteraque aromata. Aries, astur, gallus, olor, leo, cantaris, crocodilus, homines flaui, crispi, sæpe claui, magnanimi, superiora partim cibarijs, partim vnguentis, subfumigationibusque, partim vsui accommodari possunt. Hæc sentienda, & cogitanda frequenter, & in primis amanda. & luminis plurimum est quærendum, si dubites ventrem ab iecoris fomento destitui, trahe ad ventrem iecoris facultatem, tum frictionibus, tum fomentis per ea, quę iecori congruunt, pet cicoream, endiuiam, spodium, & eupatorium, & hepaticam, atque hepata. Similiter ne destituatur tum corpus ab Ioue, moue corpus in die, horaque in regno Iouis, & vtere interim iouialibus, argento, hiacintho, topacio, corallo, christallo, berillo, spodio, saphiro viridibus, aerisque coloribus, vino, saccharo albo, melle, & cogitationibus, affectibusq; plurimum iouialibus, idest cōstantibus, æquis, religiosis, atque legiferis, & inter homines eiusmodi, sanguineosque, & pulchros, venerabilesque versabere. Sed memento primis illis rebus frigidis inserendum esse aurum, & vinum, menthamque, & crocū, & cinnamomum, atq; doronicum: animalia vero iouialia esse agnum, pauonemque, & aquilam, & iuuencum. Quomodo vero virtus Veneris attrahatur turturibus, columbis, & motacillis, & reliquis nō permittit pudor ostendere.

De

De concordia mundi, & natura hominis secundum stellas, & quomodo fiat attractus ab vnaquaque stella. Cap. II.

NEque vero diffidere debet quisquam, nos atque omnia, quæ circa nos sunt præparamentis quibusdam posse sibi vendicare cęlestia. Nam cęlitus hæc facta sunt, assiduæq; reguntur, & illinc in primis præparata sunt ad illa, & quod maximum est, mundus, animal in se magis vnum est, quàm quoduis aliud animal, si modo est animal perfectissimum. Ergo sicut in nobis membri cuiuslibet præsertim principalis qualitas, motusque ad alia pertinet, ita membrorum principaliũ actus in mundo commouent omnia, & membra inferiora facilè capiunt a supremis vltro dare paratis. Quo enim potentior causa est, eo est promptior ad agendum: eo igitur propensior est ad dandum, exigua igitur præparatio nobis insuper adhibita sufficit cœlestium muneribus capiẽdis, si modo quisque ad id præcipuè se accommodet, cui est præcipuè subditus. Sed ante vniuscuiusque nostrum proprietatem, humanæ speciei proprietatem considerare debemus: hanc igitur esse solarem Astrologi arabes consenserunt. Quod ego è statuta hominis erecta, pulchraque, humoribusque subtilibus, & spiritus claritate, imaginationisque perspicuitate, studioque veritatis, & gloriæ verum esse coniecto: addo quinetiam proprietatem huic mercurialem, ob strenuum versatilis ingenij motum. Et quoniam humanum genus natum nudum, inerme, omnium egenum, hæc omnia propria industria sibi comparat, quod est Mercurij proprium: addo etiam iouialem, ob complexionem corporis temperatam, atque leges. Et quoniam secundo mense, quo Iuppiter dominatur, vitam accipimus, atque nascimur nouo, quo iterum recipit dominatum, itaque humana species ab his tribus potissimum, dotes insuper ampliores ita demum sibi poterit vendicare, si per solaria, mercurialiaque, & iouia seipsam eis magis in dies, atque magis accommodabit. De reliquis autem quid Saturnus non facilè communem significat humani generis qualitatẽ, atque sortem, sed hominem ab alijs segregatum, diuinum, aut brutum beatum, aut extrema miseria pressum, Mars, Luna, Venus affectus, & actus homini cum cæteris animantibus æque communes: ad Solem igitur, & Iouem, atque Mercurium reuertamur. Solaria quidem nonnulla, & Iouia diximus, mercurialia vero nescio quomodo prætermisimus: sunt autem eiusmodi, stannum, argentum, præsertim viuum, marcasita argentea, lapis achates, vitrum porphyriticum, & quæ croceũ cum viridi misceant, smaragdum, atque lacca. Animalia sagacia, & ingeniosa simul, & strenua, simiæ, canes, homines, eloquentes, acuti, versatiles oblonga

facie, manibusque non pingues. Sunt autem quærenda, & exercenda, quæ ad aliquem planetam attinent, eo videlicet dominante (vt diximus) in die, & hora eius, si fieri potest, etiam quando ipse sit in domicilio, vel exaltatione, vel saltem triplicitate sua, & termino, & angulo cœli, extra combustionem directus, ac sæpius orientalis, si Sole sit superior, item in auge, & aspiciatur à Luna. Si quis autem ab ipsa Luna beneficium, & à Venere poscat, tempora similia obseruare debebit, à Venere quidem per animalia sua, quæ diximus, & per corneolam, & saphyrum, lapidemque Lazuli, ęs croceum, atque rubeum, & corallum, omnesque pulchros, variosque, vel virides colores, & flores, atque concentus, suauesque odores, atque sapores. A Luna per alba, & humida, & viridia, per argentum, atque chrystallum, & vniones, & argenteam marcasitam. Quoniam vero Saturnus quidem statui, & perseuerantiæ dominatur, Mars autem efficaciæ motus, cogimur nonnunquam horum quoque gratia, ab eis patrocinia postulare, temporibus videlicet similiter obseruatis. Ab illo quidem per materias quosdam quodammodo terreas, & fuscas, atque plumbeas, & fuscam iaspidem, & magnetem, & camoinum, atque calcidonium, & ex parte quadam per aurum, & auream marcasitam. A Marte verò per ignea, rubea, æs rubeum, sulphurea omnia, ferrum, lapidemque sanguineum. Neque diffidas Saturnum habere non nihil in auro: nam propter pondus id putatur habere quinetiam Soli aurum simile, sic omnibus metallis inest, sicut Sol in planetis omnibus, atque stellis. Iam verò si quis conuicerit Saturnum, & Martem natura noxios esse, quod equidem nunquam crediderim: tamen his quoque vtendum, quemadmodum venenis nunquam vtuntur & medici, quod Ptolemeus in centiloquio probat. Proderit ergo quandoque vis Saturni cautè sumpta, sicut apud medicos, quæ adstringunt, atque continent, immo & quæ stupefaciunt, sicut oppium, & mandragora: Martis quoque, sicut euphorbium, & elleborus. Cautissimi verò hac in re fuisse videntur Magi Brachmanes pythagorici, qui cum ob sedulum philosophandi studium, Saturni tyrannidem formidarent, vestibus albis amiciebantur, iouialibusque, siue phębeis quotidie sonis, & cantibus vtebantur, plurimumque sub diuo viuebant. Vbique verò memento per affectum, studiumque animi, & per ipsam spiritus qualitatem nos facillimè, subitoque exponi planetis eundem affectum, ac eiusmodi studium, & qualitatem significantibus. Persæpe rationem igitur à rebus humanis, per ocium, solitudinem, firmitatem, per theologiam, secretioremque philosophiam, superstitionem, magiam, agriculturam. Per męrorem Saturno subijcimur, per ciuilia, & ambitiosa negotia, per philosophiam naturalem,

lem, communemque, per religionem ciuilem, perque leges Ioui; Marti per iram, atque certamina: Soli, Mercurioque per studium eloquentiæ, cantusque, & veritatis, & gloriæ, atque solertiam, Veneri per lætitiam, & musicam, & festiua: Lunæ per victum plantis similem. Sed hanc inter hos differentiam mente teneto, exercitationem ingenij magis publicam, atque amplam ad Solem spectare, priuatam verò & artificio mancipatam potius ad Mercurium. Tum vero musicam grauem quidem Iouis, Solisque esse: leuem Veneris, mediam vero Mercurij similis quoque de stellis fixis ratio est. Hæc quidem communis humanæ speciei regula: propria vero vnicuique regula fuerit explorare, quæ stella, quid boni cuique in genitura promiserit, atque ab ea potius, quàm ab alia reposcere gratiam. Et ab vnaquaque non quodlibet donum, & quod aliarum est, sed eius proprium expectare: nisi forte tum à Sole communia multa reportes, tanquam communi quodam duce cœlestium, & ab Ioue fermè similiter, tum mundana pariter omnia ab anima, spirituque mundi. Quem sicut & quoduis animal, multoque efficatius animatum esse, non solum platonicæ rationes, sed etiam astrologorum Arabum testimonia comprobant. Vbi etiam probant, ex applicatione quadam spiritus nostri ad spiritum mundi per artem physicam, affectumque facta, traijci ad animam, corpusque nostrum bona cœlestia. Hinc quidem per spiritum nostrum in nobis medium, & tunc à mundi spiritu roboratum, inde verò per radios stellarum fœliciter agentes in spiritum nostrum, & radijs natura similem, & tunc se ipsum cęlestibus coaptantem.

Inter animam mundi, & corpus eius manifestum est spiritus eius, in cuius virtute sunt quatuor elementa, nos uerò per spiritum nostrum hunc possumus haurire. Cap. III.

PRofecto mundanum corpus quantum ex motu, generationeque apparet, est vbique viuum, quod indorum philosophi probant ex eo, quòd passim ex se viuentia generet: ergo per animam viuit vbique sibi præsentem, ac prorsus accommodatam. Igitur inter mundi corpus tractabile, & ex parte caducum, atque ipsam eius animam, cuius naturam nimium ab eiusmodi corpore distat, inest vbique spiritus; sicut inter animam & corpus in nobis, si modo vbique vita est communicata semper ab anima corpori crassiori. Talis namque spiritus necessariò requiritur tanquã mediũ, quo anima diuina & adsit corpori crassiori, & vitam eidem penitus largiatur. Corpus autem omne facilè tibi sensibile, tanquam sensibus tuis accõmodatum, crassus est, & ab anima diui-

diuinissima longè degenerans, opus est igitur excellentioris corporis adminiculo quasi non corporis. Proinde scimus viuentia omnia tam plantas, quàm animalia per quendam spiritum huic similem viuere, atque generare. Atque inter elementa, quod maximè spiritale est, velocissim è generare, perpetuoque moueri quasi viuens. Sed quæres interea, si elementa, atque animantes generant aliquid sibi simile suo quodam spiritu, cur lapides, & metalla non generant? quæ inter elementa animantes media sunt, quia videlicet spiritus in eis crassiori materia cohibetur. Qui si quando ritè secernatur, secretusq; conseruetur tanquàm seminaria virtus poterit sibi simile generare. Si modo materiæ cuidam adhibeatur generis eiusdem, qualem spiritum physici diligentes sublimatione quadam ad ignem ex auro secernentes, cuius metallorum adhibebunt, aurumque efficient, talem vtique spiritum ex auro, vel ex alio ritè tractum, atque seruatum, elixir arabes astrologi nominant. Sed ad mundi spiritum redeamus, per quem mundus generat omnia, quandoquidem & per spiritum proprium omnia generat, quem tum cœlum, tum quintam essentiam possumus appellare, qui talis ferme est in corpore mundi, qualis in nostro noster. Hoc in primis excepto, quòd anima mundi hunc non trahit ex quattuor elementis, tanquàm humoribus suis, sicut ex nostris nostra, immo hunc proximè (vt platonicè, siue plotinicè loquar) ex virtute sua procreat genitali quasi tumens, & simul cum eo stellas, statimque per eum parit quattuor elementa, quasi in illius spiritus virtute sint omnia, ipse vero est corpus tenuissimum, quasi non corpus, & quasi iam anima, item quasi non anima, & quasi iam corpus, in eius virtute nimirum est naturæ terrenæ, plus autem aqueæ, plus item aeriæ. Rursus igneæ, stellarisque quamplurimum ad horum graduum, mensuras ipse quantitates stellarum, elementorumque prodiderunt, ipse vero vbique viget in omnib. generationis omnis proximus auctor, atque motus, de quo ille spiritus intus alit. Totus est suapte natura lucidus, calidusque, & humidus, atque viuificus, ex dotibus animæ superioribus dotes eiusmodi nactus, quem plurimũ hausisse Apollonium Theaneum testificatus est in nos hiarchas dicens, mirari nemo debet ò apollonite diuinandi scientiam consecutum, cum tãtum etheris in anima geras.

Spiritus noster haurit mundi spiritum per radios Solis, & Iouis, quatenus ipse fit Solaris, & Iouialis. Cap. IIII.

HVnc tu igitur studebis tibi in primis insinuare. hoc enim medio naturalia quædam beneficia reportabis, tum corporis mundani, tum animæ, tum etiam stellarum, atque dæmonum. Nam ipse inter crassum mundi corpus, & animam medius est, & in ipso stellæ sunt, & demo-

dęmones, atque per ipsum. Siue enim mundi corpus, atque mundana sint ab anima mundi proximè, sicut Plotino placet, atque Porphyrio siue mundanum corpus, sicut & anima proximè sit à Deo, vt nostris placet, & forte Timæo Pythagorico oĩno viuit mundus, atque spirat, spiritumque eius nobis haurire licet. Hauritur autem propriè ab homine per suum spiritum illi suaptenatura conformem, maximè si reddatur etiam arte cognatior, idest si maximè cœlestis euadat. Euadit vero cęlestis, si expurgetur à sordibus, & omnino ab eis, quæ inhærent sibi dissimilia cęlo, quæ quidem sordes non solum intra viscera si fuerint, verum etiam si in animo, si in cute, si in vestibus, si in habitatione, & aere spiritum frequenter inficiunt. Eijcitur tandem cœlestis, si ad orbicularem, animi, corporisque motum, ipse quoque orbes efficiat, si ad aspectum, cogitationemque lucis frequentiorem etiam ipse subrutilet, si adhibeantur ei similia cœlo, ea communiter diligentia, qua Auicenna in libro de viribus cordis spiritum curat, & nos in libro de curanda litteratorum valitudine curare contendimus. Vbi primum segregantur ab eo vapores obnubilantes medicinis, ita purgantibus, secũdò rebus lucentibus illustratur, tertiò ita colitur, vt & tenuetur simul, & confirmetur. Fiet denique cęlestis maximè, quantum dictat ratio præsens, si applicentur ei potissimum radij, influxusque Solis inter cęlestia dominantis. Atque ita ex hoc spiritum tanquàm in nobis medio cœlestia bona in primis insita sibi, in nostrum tum corpus, tum animum exundabunt, bona inquàm cœlestia cuncta: in Sole enim omnia continentur. Conferet autem Sol ad spiritum solare efficiendum propriè, quando sub Ariete fuerit, vel Leone, ipsum aspiciente Luna, maximè in Leone vbi adeo spiritum nostrum vegetat, vt ipsum muniat contra venenum epidemiæ repellendum, quod perspicuè apparet in Babylonia, & Aegypto, & regionibus spectantibus ad Leonem, vbi Sol Leonem intrans epidimiam sedat, ea duntaxat ratione, qua diximus. Tunc ergo & tu solaria passim exquisita compone, tunc incipe solaribus vti ea tamen cautione, qua sub æstu exsiccationem diligenter euites: non poterit autem facilè spiritus solaris euadere, nisi sit quamplurimus. Ad solem enim maximè pertinet amplitudo, quamplurimum verò faciet tum diligentia cor rebus cordialibus intus, & extra fouens, tum etiam victus ex alimentis quidem subtilibus, multum tamen, & facilè, & salubriter nutrientibus. Motus quoque frequens, atque lenis, & oportuna quies, aerque tenuis, atque serenus, & ab æstu, geluque remotus præcipue lętus animus. Rursum nec solaris erit, nisi calidus fuerit, & subtilis, & clarus, subtilẽ, clarumq; facies, si tristia, & crassa deuitabis, & fusca. Vteris lucidis, lætisque intus, & extra, luminis mul

tum

tum die, nocteque excipies, fordes expelles, & otium, & torporem, in primis tenebras deuitabis. Perducturus autem spiritum ad calorem Soli naturalem, caue ne ad tertium caloris gradum, siccitatemque deducas: calor.n. ipse Solis naturaliter nō exsiccat, alioquin non esse vitæ Sol, generationisque dominus, & auctor augumenti. Siccare verò contingit radijs eius in concauis materiæ siccæ conclusis: humorem itaque calori subtilem qualis est solaris, & maximè iouius adhibebis, & conseruabis in spiritu rerum eiusmodi vsu, si solarem sis effecturus, ne alioquin ad martium potius, quàm ad solarem forte deducas. Martem quidem Soli esse similem in paucis, & his quidem manifestis, nec admodum excellentibus, & interim inimicum esse ferunt. Iouem vero Soli similium in plurimis, excellentibusque muneribus, quamuis occultioribus, & amicissimum esse scimus. Vnde Ptolemeus, vbi de consonanti disputat, Iouem ait cum Sole præ cæteris perfectissime consonare, Veneremque cum Luna, omnesque astrologi vniuersalem beneficientiam Soli tribuunt, similiter atque Ioui, quamuis Sol eadem efficaciùs agat, & Iuppiter sub virtute Solis efficiat, in vtroque calor viget, superatque humorem, sed in Ioue superat modicè, in Sole superat excellenter, vtrobique beneficè. Cum igitur adeo consonent, facile poteris spiritum solarem efficere, pariter atque iouium, ac res solares, & iouiales ritè poteris inuicem commiscere. Præsertim si & has inuicem componas, & spiritui adhibeas, quando Iuppiter Solem trino aspicit, vel sextili, vel saltem quando Luna ab aspectu alterius ad alterum procedit aspiciendum, maximè quando ab aspectu Solis ad coitum cum Ioue progreditur. Seorsum verò solarem propriè facies, vel iouialem, quando aspectum Lunæ ad Solem obseruaueris, vel ad Iouem, tametsi consecutus naturam huius, naturam mox illius facile consequeris. Sextilem vero aspectum intellige quādo planetę duo inter se signorum duorum spatio distant, Trinum autem quando quattuor signorum discrepant interuallo. Coniunctionem verò vel aspectum Lunę ad alios duodecim gradibus citra, totidemque vltra metimur.

Tres gratiæ sunt Iupiter, & Sol, & Venus, Iuppiter est gratia geminarum media, & maximè nobis accommodata. *Cap. V.*

COmpositiones quidem, & curationes iouias, simul atque solares inuenies in libro nostro de vita longa, & in libro de literatorum cura. Vbi etiam miscuimus pleraque venerea: nam & nos in studiosis timemus exsiccationem, cui resistit Venus, & hæc ipsa Venus est amicissima Ioui, sicut & Soli, Iupiter quasi gratiæ tres inter se concordes, atque coniunctæ. Ab his quidem tribus cœli gratijs, & à stellis eiusdem generis astrologi gratias & sperant, & diligenter exquirūt, easque

easque per Mercurium, atque Lunã quasi nuntios transmitti putant, atque curant, facilè verò communiter que per Lunam. Lunam quidem cum Ioue coniũctam, aut Venere, feliciorem esse putant, quasi per sextilem aspexerit, aut trinum. Veruntamen si per trinum aspiciens etiam suspiciatur ab illis, quasi existimant esse coniunctam, similiter si à Sole perspecta fuerit, simulque recepta. Nos autem si horum trium, stellarumque similium vires, effectusque omnes percurrere singulatim velimus, longum opus aggrediemur, exquisitu difficile, difficillimum obseruatu. Si ad Venerem nos propriè conferamus, non facile Solem habemus, si ad Solem propriè, non facilè Venerem. Vt igitur tres simul in vno gratias complectamur, ad Iouem tandem confugiemus, inter Solem, Veneremque n tura, effectuque medium, qualitate admodum temperatum, & quęcunque sperantur à Venere, vel à Sole suo quodam pacto tradentem, magnificentiùs quidem, honestiusq; quàm Venus, temperantiùs quoque, quàm Sol, & in omnibus cum humana natura maximè congruentem. Vtemur itaque Iouijs quando & ipse, & Luna dignitatem tum naturalem, tum accidentalem habuerint, sint simul, vel fœliciter se aspiciant. Si quando id fieri omnino non possit, misce solaria in vnum simul atque venerea, faciesque sic Iouiale ex vtrisque compositum, quando videlicet Luna à coitu Veneris eat ad sextilem Solis aspectum, vel è conuerso. Memento verò in rebus componendis, quæ cor, spiritumque foueant, & corroborent, Lunam conferre potissimum, si vnà cum his muneribus hoc etiam habuerit, vt per aerea signa discurrat, maximè per Aquarium, quod esse maximè putatur aerium, vel si in suo domicilio sit, aut exaltatione sua, vel domo Iouis, aut Solis, & vbicunque sit, si mansionem ex viginti illis & octo teneat, tum sibi, tum etiam operi competentem.

De virtute in nobis naturali, uitali, animali, & per quos planetas adiuuentur, & quomodo per aspectũ Lunæ ad Solem, & Venerem, maximè uero ad Iouẽ. Ca. VI.

PRęcipua vero disciplina est rectè tenere, quem spiritum, quàm vim, quam rem potissimum hi planetę significant, Luna ergo, Venusque vim, & spiritum naturalem, atque genitalem, & quæ hunc augent, Iupiter eadem, sed efficacius, heparque & stomachum, habetque non mediocrem partem in corde, & spiritu, virtuteque vitali, quatenus suapte natura cum Sole consentit, immo & per se ipsum, alioquin cor vitalem spiritum non propriè in mense Iouis acciperet, vnde Iouem græci appellant vitam, & per quem vita. Habere quoq; in animali spiritu potestatem testãtur astrologi, dicentes Iouem ad philosophiã, & veritatem inueniendã, religionemq; cõferre, & Plato, vbi ait, ab Ioue philosophos proficisci, quod ẽt significauit Homerus antiquorum opinione dicens.

 Talis

Talis est mens hominibus, qualem in dies adducit pater hominum, atque deorum. Nusquam vero numen aliquod ita cognominat præter Iouem. Sol spiritum vitalem præcipuè, corq́ue significat, & habet non nihil, immo non parum in capite propter sensum, atque motum, cuius est ipse dominus, neque vim deserit naturalem. Mercurius cerebrum, & instrumenta sensuum, ideoque spiritum animalem, proinde tutissima via erit, nihil sine Lunæ beneficio facere: Quandoquidem cœlestia communiter, & frequenter, atque facilè ad inferiora demittit, quam alterum Solem nominant, quolibet mense quatuor anni tempora facientem. In prima enim sui quarta peripatetici putant esse calidam, atque humidam: in secunda calidam, & siccam: in tertia frigidam, atque siccã; in quarta frigidam, atque humidam. Lumenq́ue eius proculdubio Solis esse lumen humores, generationemq́ue regere, omnesq́ue mutationes fœtus ipsius in aluo conuersionibus suis metiri, & quoties Soli iungitur, viuificam ab eo virtutem recipere, quam infundat humori, atque ibidem à Mercurio vim humores commiscentem. Quam vim Mercurius, & trasformatione in omnes sua, & gyris multiplicibus affert, ibidem mox à Venere vim, quæ conducat ad formas genituræ cõuenientes. Operæpretium verò fuerit, meminisse diurnum Lunæ cursum in quattuor distribui quartas. In prima quidem ab oriente ad medium ascendit cœlum, atque interim humorem, & spiritum auget naturalem: in secunda a cœli medio petit occasum, efficitque in nobis oppositum: tertia ab occasu cœlum subter medium adit, iterumq; spiritum illum auget, & humorẽ: quarta cadit inde versus ortum, minuitq́ue vicissim. Quod maximè in oceani ripis apparet, vbi ad hunc cursum mare manifestiùs accedit, atque recedit, eodemq́ue ordine vigor in ægrotantibus. Probabilem etiam est, Solem per easdem sui quartas calorem naturalem, & spiritum vitalem augere, vel diminuere, animalem quoque quatenus Mercurium habet comitem. His cognitis poterit medicus pro humore, & calore naturali, & quolibet spiritu recreando tempora opportuniora seruare, sed nunc de Luna satis. Neque dimittere decet Iouem, in cuius mense altero quidem vitæ accepimus: altero autem communiter, & feliciùs nati sumus, & quia inter Solem, atque Venerem, item inter Solem, atque Lunam est qualitate, effectuq; medius, ideoque complectitur omnia. Solem vero ipsum prætermittere cęli dominum nefas, atq; periculosum existimamus, nisi forte quis dixerit, eum qui Iouem habet. In Ioue Solem iam habere, illic potissimum ad homines temperatum, in Sole certè omnes cœlestium esse virtutes non solum Iamblicus, Iulianusq́ue, sed omnes affirmant. Et Proculus ait ad Solis aspectum omnes omnium cœlestium virtutes congregari

gari in vnum, atque colligi. Iouem verò esse Solem quendam ad nos tẽperatũ nemo negabit: Lunã quoq; temperatam ad Venerem haud ne neglexeris. Multum enim ad validam, prosperamque vitam adiuuat, siquidem Venus fęcundat hominem, facitque lætum: hanc igitur obseruabis. Quanquàm si lunam Veneri similem, humore prorsus æqualem, & vix minus calidam cum Ioue ritè misceas, aut Sole propemodum iam Venerem habes. Quid ergo? vt tutissima omnium, & commodissima simul incedas via Lunam obserua, quãdo Solem aspicit, coitque cum Ioue, vel saltem Iouem simul aspicit, atque Solem, aut certe quando post aspectum Solis mox ad Iouis coitum progreditur, vel aspectum, atque eo ipso tempore compone inuicem, vel adhibe tibi solaria, Iouiaque simul, atque Venerea. Quod si te ad vnum ex magnis confugere necessitas vrgeat, vel negotium ad Iouem ipsum, vel potius ad Lunam simul, Iouemque confugito. Nulla enim stella naturales in nobis vires, immo & omnes magis, quàm Iupiter fouet, atque corroborat, nulla rursum pollicetur prosperiora, simul, atque plura, & vbique accipere faustum est. Solem vero accipere forsitan non vbiq; tutum, semper enim ille iuuat, hic sæpe nocere videtur. Venus autem quasi debilis, ideo solus ille iuuans pater est appellatus. Id autem comprobat Ptolemeus, vbi ait Pharmacum vix quicquam mouere naturam dumtaxat, quando Luna cum Ioue congreditur, vsque adeo illinc propriè totam putat vniuersi corporis corroborari naturam. Expertus sum quin etiam Luna coniuncta cum Venere medicinã vix mouere: quanuis autem vbi pituitam valde timemus, Lunam præcipuè obseruemus ad Solem, vbi vèro bilem, exsiccationemque eiusmodi ad Venerem, tamen directum Lunæ ad Iouem, & ad hæc omnia quodammodo cõfert, & præcipuè ad atram bilem expellendam, necnon ad communẽ hominum complexionem instaurandam, atque firmandam. Sicut enim glyzirhiza, & oleum rosaceum frigidiora calefacit, calidiora refrigerat, vinumque similiter. Quod insuper humectat sicca, humidiora siccat, ita Iupiter humano congruus calori, vt vinum, oleum rosaceum, camomilla, glycirhiza. Vbi igitur audis Albumasar dicentem non est vita viuentibus præter Deum, nisi per Solem, & Lunam, id intellige, quantũ ad communem omnibus spectat influxum: proprius autem homini, accommodatissimusque influxus ab Ioue. Sunt autem in natura corporis vires attrahendi, retinendi, coquendi, expellendi, has igitur omnes Iupiter ipse iuuat, potissimum verò coquendi, siue digerendi virtutẽ, atque generandi, & nutriendi simul, & augẽdi propter humorem eius aereum, atque multum, & calorem eiusdem amplum, humori mediocriter dominantem. Profectò per radios Iouis semper vsquequaque dif-

fusos lumen Solis proprium, ad salutem hominũ maximè temperatur, radijs interim Veneris ad idem assiduè conferentibus. Atque similiter transferente Luna radij quidem Veneris, atque Lunę tanquàm humidiores quodam indigent temperantè, sicut & Solis radij tanquàm calidiores humidioris cuiusdam temperiem exigunt. Radij autem Iouis temperamentum nullum desiderant, quid enim aliud Iuppiter est? nisi Sol quidam ad salutem rerum præcipuè humanarum ab initio temperatus? Quid rursus aliud? nisi Luna, Venusque, facta tamen calidior, atque potentior? ideo astrologi ab Ioue auspicantur annum fertilem, serenum, salubrem, & ab eo imminentium morborum remedia sperãt. Atque Empedocles vbi propria vnicuiq; planetarum munera tribuit, Iouem solum generationis principem nominat, Orpheum imitatus. Præter Iouem præcipiunt Lunam diligenter in omnibus operibus obseruandam tanquam medium inter cęlestia competens, atque terrena. Sit ergo Luna in gradu, situque, & aspectu ad opus optatum conueniẽte, non sit in eclyptica, nec sub radijs Solis per gradus duodecim vltra, citraque, nisi forte sit in eodem minuto cum Sole: plerique verò volũt omnes planetas fore fortes, quando in vnitate Solis extiterint. Vnitatẽ verò metiuntur minutis duobus, atque triginta vt xvj. quidẽ citra xvi. verò vltra connumerentur. Non impediatur à Saturno, vel Marte, non descendat in latitudine meridionali, quando duodecim dictos gradus egredietur. Nõ sit opposita Soli, nec lumine minuatur, nec tarda cursu, quando scilicet die vno duodecim non peragit gradus. Non sit in via combusta gradu libræ 28. ad tertium Scorpionis, nec in octaua, nec in ascendente, nec in finibus Martis, vel Saturni. Quidam vero nec in sexta, duodecima, nona, quarta, Lunam volunt. in cæteris verò cœli plagis approbant. Vbi hæc omnia complecti non potes, Iouem saltem expecta, vel Venerem in ascendente, vel decima: Sic enim subueniunt detrimentis Lunæ. Nec ab re fuerit recordari, quatenus Luna lumine augetur, eatenus & nobis non solum humorem, sed spiritum etiam, virtutemque augeri, atque hæc ad circumferentiam dilatari, maximè in secunda eius quarta. Quando verò minuitur, contra contingere, præsertim in vltima quarta, primum eius ad Solem trinũ præesse secundo, hunc sextili primo, hunc sextili secũdo, Lunam quatenus lumine eatenus repleri calore. Videntur ergo quidam non tam obseruare quomodo aspiciat Luna Solem, semper enim aspicit quàm vt plurimum lumen habeat, præsertim dum augetur. Aspiciat verò interim Trino, vel Sextili, Iouem, aut Venerem, proinde virtutem attractiuam ignea iuuant, retentiuam terrea, digestiuam aerea, expulsiuam aquea, si tu has omnes in te adiuuare volueris, attractiuam quidem per ignea

maximè

maximè roborabis, quando Luna in signis, vel stationibus igneis constituta Iouem aspicit, scilicet Ariete, Leone, Sagittario. Retentiuam per terrea potissimum, quando intuetur eundem in signis, vel stationibus terreis collocata Tauro, Virgine, Capricorno. Digestiuam, generatiuamque per aerea, s Geminos, Libram, Aquarium, quotiens sub aereis Iouem suscipit, aut subit. Expulsiuam per aquea, Cancrum, Pisces, Scorpium, quando sub aqueis ipsa posita Iouis radijs illustratur. Maximè verò in his omnibus consequeris optata, si Iupiter eadem, vel similia, vel saltem non dissimillima signa mansionesve possederit. Citaturus aluum solidis medicinis, accipe Pisces, liquidis, Scorpionem, medijs vero Cancrum, per inferiora purgaturus Pisces, & Scorpium, per superiora Cancrum. Malum Saturni, vel Martis ad Lunam deuitabis aspectum: ille.n. vexat stomachum, hic intestina dissoluit. Capricornum euitabis, & Taurum, Nauseam.n. afferunt, scis membrum irritandum non esse, quando Luna signum occupat membro prefectum, humores nãq; mouet, sed potius esse fouendũ. Hæc verò de virtute, & spiritu naturali in iecore pręcipuè dominantibus, quæ in quattuor officia, quæ narrauimus, diuiduntur, dicta sufficiãt. De virtute verò, spirituq; vitali in corde vigente quidnam monemus? satis id fermè significatum est. nam per res in primis igneas, & quodammodo simul aereas hæc adiuuantur, quando Luna in domicilijs, mansionibusve consimilibus suspicit Iouem, præcipuè si Iouem complectatur, & Solem. Virtutem quoque animalẽ per sensum, & motũ in capite dominantem confirmare potes per aerea in primis, subiunctis igneis, & quãdo Luna in domicilijs, vel sedibus consimilibus Iouem suspicit, præsertim si Iouem propemodũ, Mercuriũq; complectitur. Hic verò te moneo, ne Mercuriũ putes aqueũ esse, vel terreum, quod & ego aliquãdo suspicatus sum, alioquin motibus, celeritatiq; ingenij non conferret, sed quodammodo aereum esse scias. Nã & ob eandẽ causam tam mobilis est, tam facilè conuertibilis, tantum ingenio confert, præsertim in Aquario plurimum aereo constitutus. Humor quidem in eo temperatus est, calor exiguus, sub Sole positus dicitur exsiccare, longior aũt à Sole factus humectare putatur, ibi quidem calefacere multum ex natura Solis. Hic verò calefacere parum admodum, & humefacere magis suaptenatura, calore forsan nõ cedit Veneri, Lunam superat, humore vero cedit vtrisq;. Aly probat Mercurium qualitates cœlestium commiscere, quoniam facillimè permutetur, tum in qualitatẽ termini, quẽ subit, tum in naturã stellæ, quã aspicit. Ego igitur tñ facilè permutari puto, quia nec excellentem potestatẽ, quã Iupiter habet, nec excedentẽ qualitatẽ, quã pleraq; cęlestia, per quã alterationi resistat. Deniq; ꝓbabile est Mercuriũ assiduũ Solis

Achatem,

Achatem, multas illius vires habere, ideoque ſperari ſolaria quædam à Mercurio poſſe. Aliquando vero & Martem, tradunt, Solem in quibuſdam muneribus imitari, ac Venerem, quæ ad Lunam pertinent, elargiri. Hæc igitur in agendo memineris, neque negligas vnquàm terminos Aiunt enim planetas in diuerſis terminis ceu lucidis, atque tenebroſis oppoſita facere. Denique vbi Martem times, oppone Venerem, vbi Saturnum, adhibe Iouem, ac da operam, vt in perpetuo quodam pro viribus motu verſeris tantum defatigatione vitata, vt & proprium motum externis motibus clam nocituris opponas, & cęleſtem actum pro viribus imiteris. Quod ſi poteris ſpatia motibus ampliora peragere, ſic & cœlum porius imitaberis, & plures cœleſtium vires paſsim diffuſas attinges.

Quomodo membra foueantur in nobis per comparationem Lunæ ad ſigna, & ad ſtellas fixas. Cap. VII.

TOtum (quemadmodum diximus) corpus fouere poteris, caput vero potiſsimum ſi planetas obſeruaueris in Ariete, vel in ſuo quemque domicilio primo, præcordia ſi in Leone, ſtomachum, iecurque ſi in Cancro atque Sagittario, aut ſaltem in Virgine. Et acceperis ea, quæ propriè membrum petunt: Expedit quoque noſſe, quæ quiſque planeta membra in ſigno quolibet habeat. Potes etiam propriè pro ætatis diſcrimine conſulere vnicuique per quattuor ætates lunæ. Hæc enim à nouilunio vſque ad quadraturam primam iuuenis eſt, deinde ad pleni lunium eſt iuuenis, atque virilis, hinc ad quadraturam alteram virilis ſimul atque ſenilis, inde vſque ad coniunctionem eſt ſenilis: ętatem itaque Lunæ fæliciter ætati curandi corporis adhibebis, ſi tunc aſpectum eius ad aliquam trium gratiarum acceperis, qui ſane aſpectus Lunæ ſemper, & citò gratioſa largitur. Neque tamen facile admodum diuturna, vel maxima niſi pręter intuitum Lunæ, etiam ipſę Gratiæ mutuò ſe conſpiciant, iam vel propemodum conſpecturæ ſint, aut tres ipſæ, aut duæ, in primis verò diuturna prębēt ſigna fixa Leo ſcilicet, Aquarius, Taurus, Scorpius. Si forte non poſsis in præſentia Lunam ad planetas gratioſos opportunè dirigere, ſtellas elige fixas gratiarum naturam, ideſt Iouis, aut Veneris, aut Solis habentes, & ad eas directam Lunam elige: tutiùs tamen eſt Lunam interea Iouem propemodū adire, vel Venerem. Stellæ namque fixæ ſi Solem ſpectent, proportionem humanam, ideſt vnius hominis nimis exſuperant, proportionem verò cum ciuitatibus moderationem habent.

De uirtutibus, & usu stellarum fixarum. Cap. VIII.

TRadunt astrologi, maiores quasdam stellas à Mercurio compertas auctoritatem habere quàmplurimam, qualis est in Arietis gradu. 22. vmbilicus Adromedæ, mercurialis, atque venereus. Item in Tauri 18. caput algol, naturam Saturni possidens, atque Iouis, cui subesse volunt adamantem, & artemisiam, & audaciam, victoriamque præstare. In eiusdem gradu. 22. pleiades lunare sydus, & martium, cui subijciunt christallũ, herbam diacedon, semen fœniculi, conferre putant ad acuendum visum. Quod autem nonnulli dicunt conducere ad dæmones conuocandos, figmentum esse iudico. Aldeboram primo, vel tertio geminorum gradu martium, atque venereum. Hircus gradu eorundem 13. Iouius, atque saturnius, huic subijciunt saphyrum, prassiũ, mentham, artemisiam, mandragoram. Ad dignitatem, & principum gratiam adiuuare confidunt, nisi forte eos opinio fallat: illi subesse volunt rubinum, titimallum, matri syluam, diuitias, & gloriam augere. In Cancri. 6. vel. 7. canis maior venereus præest berillo, sauinæ, artemisiæ, draconteæ, præstat gratiam. Item in 17. eiusdem canis minor mercurialis, & martius, cui subesse volunt lapidem achatem, herbam solsequiam, & pulegium, atque gratiam elargiri. In Leonis 21. cor Leonis stella regia, iouialis, & martia, huic subijci putant lapidem granatum, chelidoniam, masticem, melancholiam reprimere, temperatum, gratiosumque afficere. In Virginis 19. cauda vrsæ maioris venerea, & lunaris, lapidem eius magnetem putant, herbam cicoream, & artemisiam à raptoribus, veneficisque tueri. In libræ 7. ala corui dextra. Item in eiusdem 12. & forte 13. ala sinistra saturnia simul, & martia, eius herbam lapacium, & hyosciamum esse aiunt cum lingua ranæ, audaciam augere fore noxiam. In eiusdem 15. vel 16. spica venerea, mercurialisque, quam sequatur smaragdus, saluia, trifolium promarulla, artemisia mandragora, diuitias augeat, & victoriam, & ab angustia vindicet. Denique in eiusdem 17. vel 18. alchamet huic subdunt iaspidem, & plãtaginem, firmare sanguinem sperant, febres omnes expellere. In Scorpionis quarto elpheia venerea, martiaque secundum vero computationem aliam in gradu eiusdem quinto est cornea, forsan eadem præsidens topatio, rorimarino, trifolio, hederæ, augere gratiam, castitatem, gloriam putant in Sagittarij tertio cor scorpionis martium, atque iouium præsidens sardonio, amethisto, aristologiæ longæ, croco. Opinantur colorem, bonum efficere animum lætum sapientemque reddere, dæmonia propulsare. In Capricorni gradu septimo vultur cadens, hanc sequitur chrysolithus, saturegia, fumus terræ, stella est mercurialis, at-

que

que venerea temperata in ascendente, medio que cœlo prodest, quod autem excātandi auctoritatem afferre dicant, nihilipendo. In Aquarij 16. cauda Capricorni saturnia, mercurialis que, quam sequitur calcidonius, maiorana, nepita, artemisia, mandragora, præstare in causis gratiam opinantur, diuitias augere, hominem ad domum incolumem reddere. In piscium tertio humerus equi iouialis, & martius. Thebit philosophus docet ad captandam alicuius stellæ modo dictæ virtutem lapidem eius accipere, herbam que eiusdem, annulum que aureum facere, vel argenteum, in quo lapillum inseras herba subiecta, gerasque tangentem. Id autem efficias qñ Luna subit stellam, aut aspicit aspectu trino vel sextili, & stella in medio percurrit cœlo, vel ascendente. Ego vero quæ ad eiusmodi stellas attinent, in formam potius medicinæ quàm annuli componerē intrinsecus, vel extrinsecus adhibendæ, opportunitate videlicet prædicti temporis obseruata, tametsi Pisci annulos magnifecerint. Nam Damis, & Philostratus narrant Hiarcham sapientum Indorum principem simili quadam ratione septem annulos confecisse, stellarum septem nominibus appellatos, eosque Apollonio Theaneo dedisse. Qui deinde singulos diebus singulis gestauerit iuxta dierum nomina hos distinguens. Dixisse vero Hiarcham Apollonio auum suum philosophum annos centum, atque triginta vixisse, eiusmodi forsan cœlesti munere fretum, quo & Apollonius deinde vsus centesimo etiam anno (vt aiunt) iuuenem præferebat. Denique si quid eiusmodi annuli virtutis habent ex alto, id quidem non tam ad animam, vel ad crassum corpus pertinere arbitror, quàm ad spiritum, calefacto paulatim annulo sic inde, vel sic affectum, vt firmior efficiatur, aut clarior, vehementior, aut mitior, seuerior, aut lætior. Quæ quidem affectiones in corpus quidem omnino, & in animam sensualem quodammodo plerunque indulgentem corpori transeunt. Quod autem aduersum demonas, aut hostes, aut ad principum gratiam profuturos annulos pollicentur, vel fictum est, vel inde deductum, quòd spiritum interritum, firmum que efficiant, vel etiam mansuetum, obsequioque amabilem, atque gratiosum. Iam vero si quid cęlestia præter corpoream valitudinem conferre ad ingenium, artem, fortunam dicerem, ab Aquinate Thoma nostro non dissiderem, qui in libro contra Gentiles tertio probat à corporibus cœlestibus imprimi non nihil in corpore nostro, cuius munere disponamur ad eligendum sæpe quod melius est, etiam si rationem, finem q; nesciamus, quaquidem in re bene fortunatos appellat, atque consentiente Aristotele bene natos. Addit etiam virtute cęlesti fieri nonnullos in quibusdam artium effectibus efficaces (vt eius verbis vtar) sicut miles in vincendo, agricola

in

Capricor[illegible]

in plantando, medicus in sanando fęlices. Ait enim sicut herbæ, lapidesq; mirabiles quasdā vltra naturā elementalē vires cęlitus habent, sic homines quoq; in artibus nonnullos habere. Mihi vero satis fuerit factum, si cœlestia quomodocunq; quasi per medicinas, siue interiores, siue exteriores ad prosperam cōferant valitudinem, dummodo interea salutem corporis perquirentes iacturam nullā salutis animę faciamus: nihil omnino tentemus à sancta religione prohibitū. Præterea in opere quouis conficiendo fructum operis ab eo speremus, atque petamus in primis, qui & cęlestia, & quæ continentur cęlo, fecit, & virtute donauit, mouetque semper, atque conseruat.

Dignitates planetarum in signis ad vsum medicinarum obseruandæ. *Cap. IX.*

SAturni domus Aquarius, & Capricornus, exaltatio Libra, Iouis domus Sagittarius, atque Pisces, exaltatio, siue regnum Cancer. Martis domicilium, Scorpius, & Aries, exaltatio Capricornus. Solis sedes quidem est Leo, regnum Aries, Veneris habitaculum Taurus, atq; Libra, exaltatio Pisces. Mercurij ædes, virgo, atque Gemini, regnum virgo Lunæ domus Cancer, exaltatio Taurus, Saturnus, & Iupiter triplicitatem habent in igneis, aereisq; signis, Sol in igneis tantū, Mercurius in aereis solum, Mars, Venus, Luna in aqueis, atque terreis. Planetæ quilibet, præter Solem, ac Lunam in quolibet signo fines quosdam suos possident, quos & terminos appellamus, igitur in Ariete Iupiter sex ibi primos terminos obtinet, Venus sex, inde sequentes, Mercurius posteriores octo, Mars quinque deinceps, postremos quinque Saturnus. In Tauro ordine deinceps simili Venus fines habet octo, Mercurius sex, Iuppiter octo, Saturnus quinque, Mars denique tres. In Geminis Mercurius sex, Iupiter sex, Venus quinq;, Mars septem. Saturnus 6. in Cancro, Mars 7. Venus sex, Mercurius totidem, Iupiter septem, Saturnus quattuor. In Leone Iupiter sex, Venus quinq, Saturnus septē, Mercurius sex, Mars totidem. In Virgine Mercurius septem, Venus decem, Iupiter quatuor, Mars septē, Saturnus duos. In Libra Saturnus sex, Mercurius octo, Iupiter septem, Venus totidē, Mars duos. In Scorpione Mars septem, Venus quatuor, Mercurius octo, Iupiter quinque Saturnus sex. In Sagittario Iupiter duodecim, Venus quinque, Mercurius quatuor, Saturnus quinque, Mars quatuor. In Capricorno Mercurius septem, Iupiter septē, Venus octo, Saturnus quatuor, Mars totidem. In Aquario Mercurius septem, Venus sex, Iupiter septem, Mars quinque, Saturnus totidē. In Piscibus, Venus duodecim, Iupiter quatuor, Mercurius tres, Mars nouem, Saturnus deniq; duos. Sol aūt, & Luna alia rōne fines suos habēt: nā Sol quidē signa sex pro finib. hñt

V ii Leo.

Leonem, Virginem, Libram, Scorpium, Sagittarium, Capricornum. Luna vero reliquos Aquarium, Pisces, Arietem, Taurum, Geminos, Cancrum: Solem igitur, atque Lunam in his signis eum principatum, effectumq;, quem reliqui planetæ in suis finib. habere putant. Præter fines habent in signis suas planetæ facies, quas græci decanos nominant, decē occupantes signi gradus. In Ariete facies prima, Martis, secunda Solis, qui Martem in cœlo sequitur ordine Chaldæorum: tertia Veneris, quæ Soli succedit in cęlo. In Tauro prima facies Mercurij sequentis Venerē, secunda lunæ, quæ Mercurio succedit, tertia Saturni: Ad hūc enim redeundum est, impleto iam numero planetarum. In Geminis prima Iouis sequentis videlicet Saturnum, secunda Martis, tertia Solis eodem ordine, similiterque deinceps.

Quomodo planetis uti debeamus in medicinis. Cap. X.

COmmemorauimus autem, quas in signis planetæ dignitates habent, vt quotiens facturi, composituríque sumus, quæ ad planetā aliquem attinent, sciamus eum in suis dignitatibus collocare. Præsertim quando habuerit in nostra reuolutione, & genesi principatum, vt etiam Saturnus, atque Mars, alioquin deprimendi nobis tamen sint erigendi, si genituræ nostræ significatores extiterint. Maximè vero operæpretium ex hac commemoratione fecerimus, si quando vsuri in medicinis conficiendis beneficio Lunæ, & Veneris, atq; Iouis, cauebimus, ne in finibus Saturni, vel Martis existant, nisi forte vbi cogimur, vel per Saturnum cohibere dissolutionem, ęstumque reprimere, vel per Martē frigidissima calefacere, torpentia suscitare, alioquin fines Iouis, & Veneris eligemus. Accipiemus quoque Mercurij fines, mercurialibus in primis hominibus profuturi, neq; latere nos debet homines valde mercuriales, quales sunt qui ingenio, artificio, eloquio pollent, non mediocriter esse solares. Mercurius enim semper est Apolline plenus. Vt autem quiuis intelligat, quomodo figuras in cœlo describamus in oras, signum quod ab oriente surgit, primam appellamus, vitęque domum. Quod succedit in ortum, secundam, tertiamque deinceps, aliasq; similiter, ita vt septima domus sit signum, quod in occidente iam descendens opponitur ascendenti huic octaua succedit, nona vero è medio cadit cœlo, quod decimam domū efficit, huic succedit vndecima, sed duodecima cadit ab ascendente. Vt igitur planetæ sint potentes habendi sunt in angulis, vel orientis, vel occidentis, vel medij vtrinque cœli. Maximè vero in angulo ascendentis, aut decimæ medium supra caput obtinentis cęlum, aut saltem in plagis, quæ angulis mox succedunt, tā etsi Solem quidem in nona, quæ à medio cadit cęlo, Lunam vero in tertia etiam cadente gaudere putant. Duas inter hæc regulas mente teneri

neri Astrologi volunt, vnam quidem ægrotantis ratione, alteram verò medici, nempè vbi ægrotantis septima domus per Saturnum, vel Martem infortunata est, vel dominus eius infelix, separa medicum ab ægroto, si Ptolemeo credis. Præterea medicum electurus saturnium, martialemque declinare iubet, eumq; perquirere, in cuius genitura domus sexta per aspectum Solis, vel per Venerem, aut Iouem quomodocunq; fuerit fortunata. Infortunatum vero dicimus signum, vel plantam per Saturnum, aut Martem nisi propria domicilia sint, vel regna, quando videlicet, vel ibi sunt, vel illuc aspiciunt opposito, vel quadrato. Oppositum vero aspectum dicimus inter illa, quæ interuallo discrepant quàm longissimo: quadratum vero, vbi hoc ab illo quarta parte cœli, idest signorum trium spacio distant. Minus tamen per coniunctionem, oppositum quadratum Saturnus, & Mars planetis alijs nocent, quando, tanquàm hospites eos domicilio, vel regno suo, terminove suscipiunt. Quemadmodum planetæ fœlices magis prosunt, quando præter sextilem, trinumve aspectum, atq; coniunctionem, etiam (vt diximus) sic excipiunt, Solis tamen coniunctionē planetæ verentur, aspectu gaudent, Trino videlicet, vel Sextili. Proinde necessarium est meminisse Arietem præesse capiti, atque faciei, Taurum collo, Geminos brachijs, atque humetis, Cancrum pectori, pulmonibus, stomacho, lacertis: Leonē cordi, & stomacho, atque iecori, & dorso, & costis posterioribus: Virginē, intestinis, & fundo stomachi, Libram renibus, & fęmori, atq; natibus, Scorpionem genitalibus, vuluæ, matrici, Sagittarium femori, atq; subinguinibus, Capricornum genibus, aquarium cruribus, tibijsq;, Pisces pedibus. Huius enim ordinis memor cauebis membrum tangere ferro, vel igne, vel cucurbitulis, quando Luna sub eius signo discurrit: tūc enim auget Luna humores in membro, quorum affluentiam, & consolidationem prohibet, & grauat membri virtutem. Obseruabis autem tunc membrum remedijs quibusdam amicis, vel extra, vel intus adhibitis, opportunè, fœliciterque. Expedit vero nosse quod signum ascenderit tibi nascenti: nam pręter Arietem, hoc etiam tibi caput significat, atque in hoc Luna tibi caput aspicit. Præterea, quando Luna Arietem subit, opportune balnea tentas, & lauacra, quando Cancrum, fœliciter minue sanguinem, medicinam accipe, præsertim electuarij formā quando est in Leone, ne prouoca vomitum, cum in Libra clysteribus apta est, in Scorpione balnea ne tentes. Sunt qui medicinam solutiuā dare nec prohibent neq; iubent: in Capricorno medicinam sumere nocet, similiter in Aquario, in Piscibus vero prodest. Quæ vero membra in quouis signo vnusquisq; habeat planetarum, & si scitu necessum est, tamen narratu prolixum, neque verò in purgatione alui latere nos de-

Vu 2 bet

bet Ptolemei præceptum medicinam accipere purgatoriam, quando Luna est in Cancro, Piscibus, Scorpione: probamus, præsertim si dominus signi tunc ascendentis applicet se planetæ sub terra currenti. Sin autem ascendentis dominus coniungatur, interea supra caput cum planeta medium tenente cœlum nausea statim, & vomitus incitabitur. Denique concludamus cum Galeno astrologiam esse medico necessariam, qui de criticis diebus disputans ait, certam esse Aegyptiorum sententiam, idest Lunam significare affectionem in dies ægrotantis, atque sani, adeo vt si misceantur cum Luna radij Iouis, & Veneris, bene afficiatur vterque: sin autem Saturni, vel Martis contraria ratione se habeat. Sed latius iam peruagati ad spiritum tandem, & vitam, atque gratias reuertamur.

Quibus modis spiritus noster haurire plurimum potest de spiritu, uitaque mundi, & qui planetæ spiritum procreant, atque recreant, & qualia ad unumquemque planetarum pertinent. Cap. XI.

HVc vero tendunt hæc omnia, vt spiritus noster ritè per naturalia præparatus, atque purgatus accipiat ab ipso vitæ mundanæ, ipsum plurimum per radios stellarum opportune susceptos. Vita quidem mundi omnibus insita propagatur euidẽter in herbas, & arbores, quasi pilos sui corporis, atque capillos. Tum et insuper in lapides, & metalla, velut dentes, & ossa pululat quoque in viuentes conchas terræ, & lapidibus adhærentes. Hæc enim non tam propria, quàm ipsa communi totius vita viuunt, quæ sane communis vita multo etiã magis super terrã in corporibus viget subtilioribus tanquàm propinquioribus animæ, per cuius vigorem intimum aqua, aer, ignis, viuentia sua posside͂t, atque mouentur. Vita hæc aerem, ignemque etiã magis, quàm terrã, & aquã fouet, agitatq; perpetuo motu. Et denique cęlestia corpora quasi mundi caput, vel cor, vel oculos, quàm maximè vegetat, vnde per stellas velut oculos radios non visibiles solum, sed etiam visuales vsquequaque diffundit. Quibus more struthij, vt diximus alibi, inferiora cõspicit, fouetque videndo, immo etiam ita tangendo generat, & format omnifariam, atque mouet: igitur ad motũ nitentis aquę, sereni quoque aeris, ignisq; moderatè distanti, atq; cœli motum mundanæ vitæ suscipies. Si ipse quoq; leniter, & fermè similiter mouearis, quosdam pro viribus giros agens, vertigine deuitata, cęlestia lustrans, oculis mente versans. Item frequenti quodam vsu plantarum, similiterque viuentium potes è mundi spiritu plurimum haurire, præsertim, si adhuc viuentibus, recentibusque, & matri terræ quasi adhuc hære͂tibus nutriaris, atq; fouearis. Inter plantas suauiter redolentes, vel saltem non male olentes verseris quàm frequentissimè; omnes enim herbæ, flores,

arbo-

arbores, poma redolent, quamuis sæpe minus animaduertas. Quo quidem odore quasi flatu, spiritumque vitæ mundanæ te vndique recreãt, atque vegetant: spiritum inquã tuum odoribus eiusmodi natura simillimum, perque spiritum mediũ inter corpus, & animam, facilè corpus quoque reficiunt, & animæ mirificè prosunt. Inter hæc diutissimè diurno tempore sub diuo versaberis, quatenus tutò, vel commodè fieri potest in regionibus altis, & serenis, atq; temperatis. Sic enim Soli, stellarumq; radij expeditiùs, puriùsq; vndique te contingunt, spiritumque tuum cõplent mundi spiritu per radios vberiùs emicante. Præterea naturalis ipse motus aeris, qui perpetuus est in orbem, quàmuis ob lenitatem suam, consuetudinemque diuturnam vix percipiatur ab vllo, te die sub diuo deambulantem, habitantemque in patentibus, editisq; locis liberè lambit, pentrat que purè, ac motum, vigoremque spiritui tuo mundanũ mirificè præstat. Dixi equidem die: compertum enim habemus, nocturnum aerem esse spiritibus inimicum, conferet autem diurni vsus, præsertim si plurimum in aperto deambulans, deuites primo quidem nimiam aeris intẽperiem, deinde frequentiùs mouearis in eo, quando præter tẽperiem, & serenitatem eius, stellarum positio magis est hominibus salutaris. Item si loca eligas præ cæteris odorifera, per quæsitum quotidie mutes, & ipse quasi cõtinue, & leniter mouearis. Mutate locum, quamuis semper cum delectu præcepi: quoniam bona cęlestium, & vniuersæ naturæ apud nos sunt rebus, locisque alijs passim, atque alijs distributa, quibus deniq; omnibus est fruendum. Mitto quòd varietas tędium prohibet spiritibus inimicum, propriumque Saturno: voluptatem vero affert, per quam (vt ita dixerim) Venus ipsa voluptatis amica venit in spiritũ, atq; qđ eius officiũ est, hũc statim ingressa, ꝓpagat. Sũmatim vero si quis cõsideret paradisũ, & pomi vitæ vsum apud Moysem: itẽ similẽ victũ à Platone positũ in Phædone, & quæ Plinius de populis ait odore viuentibus, intelliget esse vera, quę dicimus. Sed ad naturã spiritus descendamus, spiritus quidẽ qualitas est proculdubio iouia, cuius tpe nobis infunditur, est & solaris. Iupiter.n. hunc infundit, quatenus ingẽtẽ Solis in se tẽperat ptãtẽ. Itẽ alia quoq; rõne iouia est: qm̃ calida est, & humida, & calore abundat potius, q̃ humore, nasciturq; sanguine, & vapor quidã sanguineus appellatur. Rursus qm̃ feruet, & subtilis est admodũ, atq; lucẽs, oriturq; à corde, solaris proculdubio iudicatur. Habet & quodammodo venereã in se virtutẽ: nam motu venereo prorsus exundat, profluit, transfertur, prolemque propagat, ad voluptatem cuiuslibet sensus se dilatat, refugitque dolorem. Summatim vero spiritus quatenus corpori ad vitam, & motum, propagationemque conducit, iouius, venereus, solaris existimatur,

stimatur,

ſtimatur. Quatenus animo ad ſenſum, imaginationemque miniſtrat ſolaris, mercurialisque cenſetur, & vbique mercurialis exiſtit. Quandoquidem adeo mobilis eſt, & tam facile conuertibilis, atque formabilis, Saturni, Martis, Lunæ ſanus communiter ſpiritus non multum habet. Alioquin ex illo ſæpe ſtupidus, ex hoc furioſus, ex hoc obtuſus quodammodo foret. Quamobrem lunaria quidem velut craſsiora, ſimulque humidiora à ſubtili, & volatili natura ſpiritus ſunt admodum aliena. Quæ vero ſaturnalia multum, atque nimium materialia ſunt, quaſi venena ſunt ſpiritui naturaliter inimica: illa quidem ob extremam frigiditatem atque ſiccitatem: hęc autem ob ſiccitatem, caloremque edacem: iouia igitur, & ſolaris in primis, deinde mercurialis, & quodammodo venerea ſpiritus natura cenſetur. Diſtinctione vero præcipua ſpiritus quidem naturalis Ioui propriè dedicatur, vitalis autem Soli, animalis vero Mercurio. Quando igitur res poſtulat aliquem è tribus ſpiritum adiuuare, patrono tunc ſuo infortunato, vel debili, non facile clientulo ſuccurrere poteris. Difficilimè vero ſpiritui animali, dum Mercurius infœliciter eſt affectus, qui tantam in animali ſpiritu auctoritatem habet, vt caduceo quodam ſuo animos tum conſopire, tum ſuſcitare dicatur, ideſt ſuo quodam aſpectu ſic, aut aliter ſe habente obtundere ingenium, vel acuere, debilitare, ſiue corroborare, vexare, vel ſedare mirificè poſsit. Tu igitur quoties ſpiritum aliquem ſtudes excolere, non modo patronum ſuum obſeruabis fortunatum, atque potentem, ſed etiam Lunam eliges ad hunc opportunè directam, non creatur aliquando propriè per influxum Saturni ſolum ſubſtantia ſpiritus, ſed ſemper ab externis ad intima, & ſæpe ab imis reuocatur ad ſumma, vnde ad ſecretiora, & altiora contemplanda conducit. Poteſt tamen, etſi rarò vis Martis, atque Saturni ſpiritui tanquàm medicina prodeſſe, vel calefaciendo, cum opus fuerit, & excitando, atque dilatando, vel vicißim nimis volatilem cohercendo. Per ea vero potiſsimum, quæ quattuor illis planetis conſentanea ſunt, creatur natura ſpiritus, atque recreatur: verum ſi ad ſolaria quælibet valde, & abſque delectu declines, exacues illum, & exſiccabis tandem, atque diſſolues. Si similiter ad venerea liquefacies paulatim, vel obtundes, ſi confidas tantum mercurialibus parum admodum inde proficies. Erit igitur operæpretium, iouialibus vti quàmplurimum, eisque reliqua mediocriter admiſcere, ac frequentius vti rebusque vel his omnibus æque ſint communes, vel propriè Ioui; nam hę quoque omnibus quodammodo ſunt cōmunes. Communiter autem ad hos omnes attinet, quæ ſubſtantiam habēt, nec igneam nimis, nec prorſus terream, nec ſimpliciter aqueam, nec acutiſsimam, nec obtuſiſsimam qualitatem, ſed mediocrem, & ta-

ctu le-

ctu lenem, & quodammodo mollem, vel saltem non duram, siue asperam, item gustu quodammodo dulcem, olfactu suauem, visu gratam, auditu blandam, atque iocundam, cogitatu lætã: Dulcedo igitur quædam saporis, & gratia his omnibus est communis. Si dulcedo quasi aquea est, & simul pinguis, ad Venerem magis attinet, si quasi insipida, vel aliquantum austera, potius ad Mercurium, atque hæc spiritui non multum prosunt, necessaria tamen sunt interdum ad hebetandum nimium eius acumen. Si dulcedo manifesta sit, atque subtilis, & paulum habeat stiptici, acutique saporis, Iouialis propriè iudicatur. Cui congruit substantia dulcis amygdalæ, pinei nuclei, auellanæ, pistacij, amidi, glycirhizæ, passularum, vitelli oui, carnium gallinacei pulli, fasianorum, pauonum, perdicum, similumque. Item radicum been, atque enulæ, rursus vini odoriferi clari, alquantum dulcis, & stiptici, sacchari candidissimi, tritici albissimi. Ad Iouem pertinet etiam manna, si modo myrobalani infusa virtute firmetur, alioquin non minus ad Venerem attinet, quàm ad Iouem. Hæc est vtique substantia, dulcedoque Iouis, propriaque sane spiritui creando, & recreando ante omnia confert: iouia vero plurimum sunt omnia, quæ in libro de longa vita diximus, & seruare iuuentutem, & senibus salubria fore. Sin autem dulcedo admodum pauca sit multumque acuti, stipticique habeat, vel etiam non nihil amari, solaris esse censetur, similis quædam ratio est, & distinctio de odoribus. Hi enim saporũ germani sunt: similis etiam de coloribus. Colores sane aquei, albi, virides, aliquantum crocei, similes violarum, rosarum, liliorum coloribus, necnon odores eiusmodi Venerem referunt, & Lunam, atque Mercurium. Colores vero saphiri, qui etiam dicuntur aerei. Item purpurei pleniores, aureique argento mixti, & perpetuo virides Iouem: ardentes autem crocei, aurei puri purpurei clariores, Solem: quilibet vero colores si viui sunt, vel saltem sericij magis stellares existunt: in metallis quoque, & lapidibus, atque vitris propter cęlestem similitudinem sunt potentes. Sed vt redeamus ad Iouem, sapor, & odor eius, quasi est, qualis in aureo pomo persico, similique pyro, vel aranceo, & vino maluatico leuiore, leuique vernaceo. Qualis in viridi zinzibere, vel cinnamōmo, vel dulci maratro, vel doronico, si hæc plurimo saccharo condita gustentur: nam quatuor hæc, & nux muscata recens sola si sunt, potius solaria sunt, solaris, & gariophilus, & muscus, sed odoratu non gustu, non aspectu, ambra solaris plurimum, atque iouia. Crocus in omnibus est solaris, tametsi color eius, & odor apud astrologos omnibus gratijs dedicatur, sapor autem ad Solem propriè pertinet, denique omnia odorifera, & aromatica quatenus odorem gratum ferunt, ita ad Iouem, Veneremque, & Mer-

ad· hn·

de (

Mercurium pertinent, vt ad Solem. Quamuis inter hæc acutiora magis ad Solem, obtusiora ad Venerem, Mercuriumque potius, ad Iouem propriè temperata, olfactu, gustu, auditu, visu, tactu. Soni quinetiam, cantusque grati, blandique ad gratias omnes spectant, atque Mercurium, minaces autem admodum, atque flebiles Martem præferunt, & Saturnum. Neque vero mireris nos multum coloribus, odoribus, vocibus attribuere: nam sapores quidem ad spiritum præcipuè pertinent naturalem, odores autem potius ad vitalem, animalemque, colores, figuræ, voces ad animalem. Motus quoque animi vel lętus, vel męstus, vel constans spiritum ad similitudinem suam agitat vehementer. Animalem primo per hunc vitalem, per hunc insuper naturalem spiritus tandem omnis, quia ob naturam quodammodo igneam, aereamque omnino, & lucidam, atque mobilem, similis est luminibus, ideo que coloribus, & vocibus aereis, & odoribus, motibusque animi: ideo per hęc subitò in vtranque partem mouetur, atque formatur. Et qualis euadit ipse, talem vicissim efficit quodammodo affectum animi, & omnino corporis qualitatem. Denique cum primum per illa, quæ gratiarum propria sunt, opportunè gratijs est expositus, vtpote qui, & naturaliter illis consentaneus erat, statim per illarum radios, tum vbique vigentes, tum ipsi germanos mirifica reportat munera gratiarum.

Res naturales, atque etiam artificiosa habent uirtutes à stellis occultas, per quas spiritum nostrum stellis eisdem exponunt. Cap. XII.

CVm vero dicimus spiritum exponi gratijs per illa, quæ sunt gratiarum, non solum per qualitates, quæ videntur, audiuntur, odorantur, gustantur, sed etiam per illas, quæ tanguntur, accommodari putamus. Memento igitur calidum in primo gradu Iouis esse, in secundo Solis cum Ioue, in tertio Martis cum Sole, in quarto Martis. Frigidum in primo Veneris, in secundo Lunæ, in tertio Lunæ cum Saturno, in quarto Saturni. Humidum in primo Mercurij cum Ioue, in secundo Veneris cum Luna, in tertio Lunæ cum Venere, in quarto Lunæ. Quando Veneri, Mercurioque coniungitur siccum in primo Iouis, in secundo Mercurij cum Sole, in tertio Solis cum Marte, in quarto Martis cum Saturno. Summatim ex qualitatibus planetarum, quas Ptolemeus describit in quadripartito, colligimus harmoniã ex cũctis conflatam ad calorem, humoremque declinare: calor enim Martis ingens, atque Solis, & temperatus Iouis, ingentem superat Saturni frigiditatem, & Veneris, Lunæque exiguam, ita vt calor ibi frigidus excedat. Item humiditas Lunæ, Venerisque plurima, & propinqua nobis atque temperata Iouis, siccitatem Saturni, Martisque multam superat & temperatam Solis, calor igitur, humorque frigori, siccoque dominantur

tur, atque similiter calor humori. Quemadmodum in sani corporis homine ad cœlestem consonantiam temperato ex calore, & siccitate cordis, item calore & humore iecoris, rursum frigore, & humore cerebri coalescit complexio quædam ad calorem, humoremque vergens mediocriter calore regnante: calor enim cordis, & iecoris frigus cerebri superat, item humor iecoris, atque cerebri siccitatem cordis excedit. Neque vero prætermissum à nobis velim, talem existere ex stellis fixis harmoniam cunctis communem, qualem diximus ex planetis: hos enim illis similes Astrologi putant. Quorsum hæc? vt memineris spiritum, corpusque nostrum per temperiem quandam ad calorẽ, humoremque vergentem, vel natura constantem, vel arte quæsitam accommodari posse cœlestibus, sibique cęlestia vendicare. Neque tamen dicimus spiritum nostrum cęlestibus duntaxat per qualitates rerum notas sensibus præparari, sed etiam, multoque magis per proprietates quasdam rebus cęlitus insitas, & sensibus nostris occultas, rationi vix denique notas. Nam cum proprietates eiusmodi, earumque effectus elementali virtute constare non possint, consequens est, à vita, spirituq; mundi per ipsos stellarum radios singulariter proficisci: ideoque per eas spiritum affici quàmplurimum, atque quàmprimum, cęlestibusque influxibus vehementer exponi. Hac vtique ratione smaragdus, hiacynthus, saphyrus, topatius, rubinus, vnicorni cornu, præcipuè vero lapis bezaar apud Arabes appellatus, occultis gratiarum proprietatibus prædita sunt. Et idcirco non solum intus assumpta, sed etiam si carnem tangant, ibique calefacta virtutem suam promant, vim inde cęlestem spiritibus inserunt, qua se contra pestem tuentur, atque venena. Quod autem hæc, similiaque tale aliquid agant virtute cœlesti, id argumento est, quia etiam exiguo pondere sumpta, non exiguum habent in agendo momentum. Quod elementari qualitati vix vnquàm est concessum igni videlicet valde cęlesti: materialis enim virtus, vt agat multum, materiam desiderat multam: formalis autem etiam cum minima materia valet plurimum. Simili virtute in primis phœbea peonia carnem tangens contra caducum morbum spiritus armat, vapore ad eos intus infuso. Simili corallus, & calcidonius aduersum atræ bilis illusiones, Iouis præcipuè, Venerisque virtute, cæteraque similiter: Eiusmodi quadam proprietate myrobalani iuuentutem seruant, acuuntque sensus, & ingenio prosunt, atque memoriæ, propter Iouem in primis Saturni temperatorem, atque Mercurium sensus amicum. Quam quidem arborem forte aliquis in paradiso ad vitam prorogandam extitisse putabit, Mercurio lapidem Achatem consecrant,

vnde physici conueniunt ad facundiam, visumque, & contra venena valere. Serapio scribit eum, qui hiacynthum, vel ex eo sigillum gestat, esse à fulgure tutum, atque hanc virtutem eius esse latissimè diuulgatam, quam si habet ab Ioue putamus habere. Lapis actites, vel aquilinus habet à Lucina, idest Venere, atque Luna, vt admotus vuluæ partum mox, & facillimè citet, quod Rasis, confirmante Serapione frequenter se dicit expertum. Forsan & à Phœbo, qui transfixit Pythonem cretea dictamus habet, vt & venenosis obsistat, & ferrum è vulnere trahat. Solis virtute zinziber infusum epulis arcet syncopim, Gentiana canis rabiem sedat, fugatque serpentes, Berbena vaticinium præstare fertur, lętitiamque, & expiationes, & visum, ruta, & zedoaria contra venena theriacam agunt, thus vitalem, & animalem spiritum aduersus hebetudinem, obliuionem, timorem fulcit: saluia vero, menthaque virtute Iouis, illa quidem paralisim fugat, hæc vel odore roborat animum. Eadem virtute pentaphilon resistit venenis, eiusque folium bis quotidie vnum vino bibitum curat ephimeram, tria tertianam, quattuor vero quartanam. Hac herba sacerdotes antiqui propter puritatem suam in purificationibus vtebantur, agnus castus potestate Saturni venereum sistit motum, iaspis vero sanguinem. Mirabiles autem prouenire solent effectus vbi occultè proprietati proprietas seruit elementalis, velut in myrobalano ad spiritum, corpusque firmandum non solum virtus illa cęlestis agit, sed etiam stiptica multum, nec parum aromatica virtus, quæ putrefactionem, dissolutionemque mirificè prohibet, spiritumque corroborat. Iam verò, vt crocus petat cor, spiritum dilatat, prouocet risum non solum occulta Solis virtus mirabiliter, sed ad idem quoque conducit ipsa natura croci subtilis, amplificabilis, aromatica, lucida: quod autem de simplicibus dico, de compositis similiter dictum intelligi volo. Dic age theriaca quomodo contra venenum nobis opituletur? non educit illa venenum, astringit enim aluum, non mutat omnino tam subito veneni naturam. Non enim hæc adeo debilis est, atque mutabilis, sed spiritum vitalem potius valde tenuem, & mutabilem subito conformi quadam ad ipsum proportione corroborat vsque adeo, vt ipse iam validus tãquàm agens, vna cum theriaca velut instrumento, partim superet venenũ, partim mutet, partim à pręcordijs arceat. Sed quanam proportione siue virtute id efficit theriaca iouiali simul, atque phœbea, quam ex commistione multarum rerum secundũ certam proportionem inuicem confusarum sibi vendicauisse videtur: est autem in ea virtus triplex, hæc ipsa inquàm cœlestis quam modo dicebam. Item cęlestis alia prius in herbis, aromatisque proprietas, quibus electis ipsa ritè componitur, quæ virtuti prius dictæ subministrat

ad

ad idem. Est insuper alia virtus in plerisque partibus eius elementalis potius, quàm cœlestis, verumtamen talis, vt spiritui muniendo conducat. Stipticam dico, & aromaticam qualitatem, illa quidem spiritum firmat, ista fouet: mirabilem ergo theriaca vim nacta est contra properantem senectutem, atque venenum tribus videlicet in ea virtutibus ad idem pariter conspirantibus. Quarum vna quidem est cœlestis per artificiosam acquisita commixtionem, alia cœlestis iterum, sed partibus eius naturaliter insita, alia prorsus elementalis. Sed illa, quam priùs dixi cœlitus acquisita, multo etiam foret admirabilior, si non solum proportione iouia, solarique, & ex rebus eiusmodi conflaretur, sed etiam opportunum ad hoc obseruatione cœlestium tempus eligeretur. Nam quemadmodum corpus se habet ad locum, atque tempus, ita motus, & actio se habet ad tempus. Sicut ergo certa passim corpora, eorumque formæ certis & locis, & temporibus coalescunt, atque seruantur, sic & propriè quædam actiones ex proprijs quibusdam temporibus efficaciam nanciscuntur, idque in Alcibiade significat Socrates, & Proculus explicat. Quod sanè Pythagoras animaduertens, ipsum bonum, perfectionemque rerum, opportunitatem cognominauit. Primum namque principium sic apud Pythagoram & Platonem omnium est mensura, vt alijs corporibus actionibusque alia loca distribuerit, atque tempora. Vnde sicut res quædam non alibi, quàm hinc, nec aliàs, quam tunc propriè nascuntur fœliciter, & coalescunt, atque seruantur, sic & materialis actio motus, euentus talis, aut talis, non aliàs efficaciam sortitur, effectumque perfectum, quàm quando cęlestium harmonia ad idem vndique consonat, quæ sanè harmonia tantam habere potestatem existimatur, vt non solum agricolarum laboribus, atque medicorum artificis per herbas, aromataque conflatis, sed etiam imaginibus, quæ apud astrologos ex metallis, lapidibusque fiunt, virtutem sæpe mirificam largitur, sed imagines caput iam proprium exigunt. Qnantum vero ad horas pro actionibus, & operibus eligendas pertinet, plurimum confirmatur à Ptolemeo, vbi ait in centiloquio, qui eligit, quod melius est, nihilo differre videtur ab eo, qui habet hoc ex natura: quibus in verbis, tum cęlestium, tum arbitrij, electionisque nostræ potestatem confirmare videtur. Albertus quoque Magnus inquit in speculo, non enim libertas arbitrij ex electione horæ laudabilis coercetur, sed potius in magnarum rerum inceptionibus electionem horæ contemnere, est arbitrij præcipitatio, non libertas.

De virtute imaginum secundum antiquos, atque medicinarum cęlitus acquisita. Cap. XIII.

PTolemeus ait in centiloquio, rerum inferiorum effigies vultibus cęlestibus esse subiectas, antiquosque sapientes solitos certas tunc imagines fabricare, quando planetæ similes in cœlo facies, quasi exemplaria inferiorum ingrediebantur. Quod quidem Haly comprobat ibi, dicens, vtilem serpentis imaginem effici posse, quando Luna serpentem cęlestem subit, aut fœliciter aspicit: similiter Scorpionis effigiem efficacem, quando Scorpij signum Luna ingreditur, ac signum hoc tenet angulum ex quatuor vnum. Quod in Ægypto suis temporibus factum ait, seque interfuisse vbi ex sigillo scorpionis in lapide bezaar ita facto, imprimebatur Tauri figura, dabaturque in potum ei, quem Scorpius ipse pupugerat, ac subito curabatur, quod quidem vtiliter effici Hahameh physicus affirmat, confirmante Serapione: Præterea narrat Haly, notum illic sibi virum sapientem industria simili fecisse imagines, quæ mouerentur, qualem effectam nescio quomodo legimus ab Archita. Quales & Trismegistus ait, Ægyptios ex certis mundi materijs facere consueuisse, & in eas opportune animas dęmonum inserere solitos, atque animam aui sui Mercurij, item Phębi cuiusdam, & Isidis, Osiridisq; sic in statuas descendisse profuturas hominibus, vel etiam nocituras, huic illud simile, Prometheum figmento quodam luteo vitā rapuisse, lucemque cęlestem. Magi quinetiam Zoroastris sectatores, ad euocandum ab Hecate spiritum vtebantur aurea quadam pila caracteribus insignita cęlestium, cui & saphyrus erat insertus, & scutica quadam facta tauri corio vertebatur, atque interim excantabant, sed cantiones equidem libenter omitto. Nam & Psellus Platonicus eas improbat, atque deridet: Hæbrei quoque in Ægypto nutriti struere vitulum aureum didicerunt, vt eorundem astrologi putant ad aucupandum Veneris, Lunæque fauorem contra Scorpionis, atque Martis influxum Iudæis infestum. Porphyrius quoque in epistola ad Anebonem, imagines efficaces esse testatur, additque certis quibusdam vaporibus, qui à proprijs suffumigationibus exhalabāt aereos dæmonas insinuari statim consueuisse. Iamblicus in materijs, quæ naturaliter superis consentaneæ sint, & opportunæ, riteq; collectæ vndiq;, cōflatæq; fuerint vires, effectusq; non solū cęlestes, sed ēt dæmonicos, & diuinos suscipi posse confirmat. Idem omnino Proculus, atque Sinesius opera quidem ad salutem mira, quæ à medicis in astrologia peritis, per res ex multis compositas, idest pulueres, liquores, vnguenta, electuaria fieri possunt, probabiliorem in se rationem, & notiorem, quàm imagines habere videntur, tum quia pulueres, liquores, vnguenta, electuaria op-

portunè

portunè confecta cęlestes influxus faciliùs, citiùsque suscipiunt, quàm materiæ duriores, ex quibus imagines fieri consueuerunt, tum quia vel assumuntur intus affecta iam cęlitus, & in nos conuertuntur, vel saltem admota foris inhęrent magis, & denique penetrant, tum etiam quoniam ex vno quodam duntaxat, aut paucis imagines construũtur. Illa vero ex quàm plurimis conflari pro arbitrio possunt, vt si centum Solis, Iouisve dotes per centum plantas, & animalia, similiaque sparsæ fuerint, componere simul hæc centum tibi comperta posſis, & in vnam conficere formam, in qua Solem fermè, Iouemque totum iam videaris habere. Scis profecto naturam inferiorem non posse vno quodam capere cunctas superioris naturæ vires, ideoque illas per plures apud nos naturas esse dispersas. Commodiusque per opera medicorum, atque similia, quàm per imagines colligi posse, proinde imagines ex ligno confectę vim forte paruam habent. Nam lignum est, forsan durius ad cœlestem influxum facilè capiendum, & minus tenax, si acceperit, ad retinendũ, & omnino postquàm ex matris terræ visceribus est euulsum, paulo post fermè totum amittit mundanæ vitæ vigorem, & facilè in qualitatem aliam transmutatur. Lapilli vero, atque metalla, etsi ad accipiendum cęleste munus duriora videntur, diutiùs tamen retinent, quod confirmat Iamblichus, si acceperint. Sua nempe duritia vestigia quoque, donaque vitæ mundanæ post euulsionem diutiſsimè continent, quæ quondam hęrentia terræ possederant, quamobrem ob hoc saltem aptæ materiæ ad capienda, tenendaque cœlestia iudicantur. Est & probabile, quod libro superiore dixi, res adeo speciosas non posse sub terra conflari, nisi maximo quodam conatu cœli, atque durare in eis impressam semel ex conatu virtutem: nam in his coquendis, cogendisque diutiſsimè cęlum elaborauit. Verum cum nequeas facilè eiusmodi plura componere, cogeris diligenter exquirere, quod metallum inter cætera in ordine sit alicuius stellæ potiſsimũ, quive lapis in ordine summus, vt saltem in vno quodam totius generis, ordinisque supremo reliqua pro viribus comprehendas, atque eiusmodi susceptaculo cœlestia huic consentanea mutueris, ceu si exempli causa in ordine solari sub homine phœbeo summum inter animalia teneat austur, aut gallus, inter plantas balsamum, aut laurus, inter metalla aurum, inter lapides carbunculus, vel pantaura, inter elementa feruidus aer: nam ignis ipse martius esse censetur. Quod autem diximus influxum Solis, vel Iouis, aut Veneris augendum, intelligimus ratione communi, non tamen illi, in cuius genesi aliquis horum interfector appareat.

Ordines

Ordines rerum à stellis pendentium, vt solarium, atque similium, & quomodo spiritus fiat solaris. Cap. XIIII.

DIxi equidem alibi desuper ab vna quaq; stella, vt Platonicè loquar, seriem rerum illi propriã vsque ad extrema pendere, sub ipso Scorpionis corde post eiusmodi dęmonas, atque homines, Scorpiumq; animal collocare possumus etiam herbam asterion, idest stellarem figura stellæ similem nocte fulgentem, quam medici tradunt qualitatem habere rosę, vimque contra morbos genitalium mirabilem possidere. Sub serpente vel serpentario cœlesti Saturnum ponunt, & quodammodo Iouem, postea dęmonas, qui sæpe serpentum formas induunt. Similes insuper homines serpentes animantes, serpentariam herbam, lapidem draconitem capite draconis natum, item communi nomine serpentinum, & præterea, quæ in sequentibus afferam. Sub stella solari, idest sirio Solem primo, deinde dæmonas quoque phębeos, quos aliquando sub Leonum, vel gallorum forma hominibus occurrisse testis est Proculus. Homines subinde persimiles, bestiasque solares, phœbeas inde plantas metalla similiter, & lapillos, & vaporem, aeremque feruentem Simili ratione à qualibet firmamenti stella per aliquem planetam existimant contextum rerum gradatim sub illius proprietate descendere: si igitur (vt dicebam) solaria omnia per gradum eius ordinis quemlibet opportunè comprehenderis, homines videlicet tales, vel talis hominis aliquid, item bruta, plantas, metalla, lapillos, & quæ ad hæc attinent virtutem Solis vsquequaque combibes, & quodãmodo naturalem solarium dęmonum facultatem. Similiterque de alijs dictum puta, solares quidem homines sunt, quales antea dixi, & qui ascendente Leone, Soleque hunc vel tenente, vel aspiciente nascuntur, & qui sub Ariete similiter. Solaris est & sanguis è sinistro eorum bene valentium brachio missus, phębeus, crocodilus, astur, Leo gallus, & cygnus, & coruus, nec alia ratione Leo veretur gallum, nisi quoniam in ordine phębeo gallus est Leo superior. Eadem ratione inquit Proculus Apollineum dęmonem qui nonnunquàm apparuit sub figura Leonis, statim obiecto gallo disparuisse, maximè verò in animalibus cor est solare. Arbitror etiam marinum vitulum cœlesti Leonis cordi subesse, & hac ipsa ratione corium eius, quem cingit nudum fibula eiusdem osse confestim à renum dolore redimere, nam contra dolorem eiusmodi solent astrologi syderis illius influxibus vti, eadem forte ratione fertur hæc pelis à fulgure nos tueri. Inter plantas palma phœbea est, & in primis laurus, quæ virtute venenosa repellit, & fulgur. Fraxinus quoque simili facultate venenosa longius arcet. Loton esse phœbeam rotunda cum folia tum poma testantur, & explicatio foliorum eius die, repli

catio

catio nocte. Peoniam phœbeam esse non solum virtus indicat, sed & nomen. Ad idem attinent flores, & herbæ, quæ restringuntur abeunte Sole, redeunte protinus explicantur, & ad Solem continue vergunt. Aurum præterea, & lapis elitis radijs aureis Solem immitans. Lapis item, qui Solis oculus apellatur, figuram habens pupillæ, ex qua lumen emicat. Rursum carbunculus nocte rutilans, vel pantaura omnes in se lapidum vires continens, vt aurum metallorum, & Sol stellarum, multa denique in superioribus nobis significata. Vnde si modo liceat sub imperio Solis ex illo sanguine, & animalium illorum cordibus, & folijs, fructibusque arborum prædictarum. Item floribus, atque herbis auri folijs, necnon pulueribus lapillorum, electuarium, vel vnguentum conficere poteris, addito croco, balsamo, calamo aromatico, thure, musco, ambra, ligno aloes, zinzibere mastice, spica nardi, cinnamomo, doronico, citri cortice, zedoaria, nuce muscata, mace, cariophilis cum melle flauo, vel oleo balsamino, masticeo, laurino, nardino, ad cor & stomachũ, & caput, intus aut extra fouendum, vt spiritus inde solaris euadat: ex his omnibus inquàm, aut saltem ex pluribus componendum dominante Sole aliquid. Quo etiam sub eiusdem dominatu incipias vti, dummodo & solaria induas, habites, conspicias, audias, olfacias, imagineris, cogites, cupias, item imiteris, & vitæ dignitatem, & munera Solis, inter solares homines, plantasque verseris, laurumque assidue tangas. Tutius autem ad valitudinem fuerit, solaribus admiscere iouialia simul atque venerea, veneream maximè humiditatem solaris caloris moderatricem, qualis est aqua, succusque rosarum, atque violarum. Sed medicinas eiusmodi in libro de curandis litteratis primum, deinde in libro de vita longa. partim equidem composui, partim ab alijs compositas enarraui, partim etiam temperaui. Item quales herbæ à Sole, Iouéque miras contra epidimiam, & venenum vires habeant, diximus in libro contra pestem, inter quas perforata fugademon appellata est. Nec alia facultate, quàm cęlestium gratiarum noxios malorum dæmonum vapores à nobis arcere putatur, & si qua inter herbas alia, vel lapillus, vt corallus idem videatur efficere. Herba profecto lunaris à Mercurio tradita folijs cerulcis, atque rotundis crescente Luna, vnum quotidie producens folium, decrescente deponens annos vtenti promittit lunares. Sed iam ad imagines altero quodam exordio redeamus.

De uirtute imaginum secundum antiquos, atque medicinarum, & quomodo medicinæ sint longe ualidiores, quàm imagines. Cap. XV.

SI lapillos, quos paulo ante phœbeos narrauimus, nactus fueris, nihil opus erit imagines eis imprimere. Suspendes itaque collo comprehensos auro, & crocei serici filis, quando Sol sub Ariete, vel Leone percu-

percurrit, ascenditque, vel medium tenet cœlum, aspicitque Lunam: multo vero potentiores in serie Lunę lapillos narrat Proculus primum quidem selinitim, qui non modo figura Lunam imitetur, sed & motu, circumeatque cum Luna. Hunc si forte repereris, & argento circundatum, argenteo filo collo suspederis, Luna, Cancrum, vel Taurum subeunte, angulosque tenente sibi conuenientes, spiritum inde tuum reddes, postremo lunarem, dum videlicet calefactus abs te lapillus ipse lunaris virtutem suam tuis assidue spiritibus inserit. Alterum vero recenset lapillum helioselion cognomento, qui Solis, Lunæque coniunctæ Soli naturaliter habet imaginem. Hunc ergo quisquis argento inclusum deaurato similibus collo filis admouerit, quando Luna in domicilio suo, vel Solis, in eodem minuto cum Sole congreditur, suosque teneat angulos solarem simul, atque lunarem, spiritum reportabit. aut saltem, talem qualis euadit Luna per centrum copulata. Soli Hic vero tu vides distractas Phœbi dotes, & velut Osiridis membra, fortem eius phębeum velut Isidem congregare. Sed vtinam solarem alicubi lapidem facile reperiremus vel lunarem, adeo in eorum ordine præpotentem, quemadmodum sub serie septentrionalis poli magnetem habemus, & ferrum. Solarem profecto ferunt inuenisse apud Indos Appollonium Theaneum, lapidem scilicet nomine pantauram ignis instar micantem, sub terra passus quatuor nascentem, cui tantum spiritus insit, vt tumeat, & plerunque scindatur terra, vbi eiusmodi lapis concipitur, ita cæteros ad se lapillos trahens, sicut magnes ferrum. Sed lapis hic herculeus ad se contemplandum vehementius adhuc, nos in pręsentia rapit, videmus in specula nautarum indice poli, libratum acū affectum in extremitate magnete moueri ad Vrsam, illuc videlicet trahente magnete, quoniam & in lapide hoc præualet virtus vrsæ, & hinc transfertur in ferrum, & ad vrsam trahit vtrunque: virtus autem eiusmodi tum ab initio infusa est, tum continue vrsæ radijs vegetatur, forsitan ita se habet succinum ad polum alterum, & ad paleas. Sed dic interea, cur magnes trahat vbique ferrum? non quia simile, alioquin & magnetem magnes traheret multo magis, ferrumque ferrum, non quia superior in ordiñe corporum, immo superius est lapillo metallum. Quid ergo? ambo quidem ordine vrsam sequente clauduntur, sed superiorem in ipsa vrsæ proprietate gradum tenet magnes, inferiorem vero ferrum. Superius autem in eodem rerum contextu trahit quidem, quod est inferius, & à se conuertit, vel aliter quomodolibet agitat, aut afficit virtute priùs infusa, inferiùs vicissim eadem ad superius infusione conuertitur, vel aliter agitatur, vel prorsus afficitur. Sic in serie Solis inferior homo admiratur superiorem, in ordine iouio vene-

nera-

in ſerie Solis inferior homo admiratur ſuperiorem, in ordine iouio veneratur, in martio timet, in venereo inferior ad ſuperiorem rapitur amoris ardore, deſeritque ſeipſum. in mercuriali ſemper hic diſcit, vel perſuadetur ab illo: in lunari motum hinc ab illo ſæpius exorditur, in ſaturnali quietem. Ego autem cum hæc explorata hactenus habuiſſem, admodum gratulabar, cogitabamque iuuenis adhuc magneti pro viribus inſculpere cęleſtis vrſę figuram, quando Luna melius illuc aſpiciat, & ferreo tunc filo collo ſuſpendere, ſperabam equidem ita demum virtutis me ſyderis illius compotem fore. Sed cum exploraſſem inueni tandem ſyderis illius influxus ſaturnales eſſe plurimum, atque martiales, accepi à platonicis malos dæmones plurimum ſeptentrionales exiſtere. Quod etiam hębreorum aſtronomi confitentur noxios, martiosque dæmonas in ſeptentrione ponentes: proprios autem, & iouios in meridie didici à theologis, & Iamblicho imaginum fictores à dęmonibus malis occupari ſæpius, atque falli. Vidi equidem lapillum Florentiam aductum ex India, ibi è capite draconis erutum, rotundum ad nummi figurā punctis ordine quàmplurimis, quaſi ſtellis naturaliter inſignitum, qui aceto perfuſus mouebatur parumper in rectum, immo obliquum, mox ferebatur in gyrum, donec exhalaret vapor aceti. Exiſtimaui equidem lapillum eiuſmodi cęleſtis draconis habere naturam, atque quaſi figuram, motum quoque illius accipere, quatenus, per aceti, ſeu vini valentioris ſpiritum draconi illi, ſiue firmamento familiarior redderetur. Hunc igitur qui geſtaret, & aceto ſæpe perfunderet, vim aliquam forte draconis illius acciperet, qui Geminis anfractibus, hinc quidem Vrſam maiorem implicat, inde minorem. Extat & propè Scorpionem ſerpentarius, quaſi homo ſerpente cinctus, manu dextra caput ſerpentis tenens, ſiniſtra caudā, genibus quaſi flexis, capite paulū reſupino. Legi equidē magos Perſarū regi conſuluiſſe, vt imaginē hanc lapidi imprimeret emathiti, quē aureo clauderet annulo: ita tn̄, vt inter lapillum, atq; aurū ſerpentarię radicem inſereret. Hoc.n. annulo geſtantē cōtra venenū, morboſq; venenoſos tutū fore, videlicet ſi Luna ſerpentarium aſpiciente feceris, hanc imaginem Petrus Aponenſis confirmauit. Ego vero, ſi hāc annulus ille vim habet, arbitror non tam per figurā, quàm per materias eiuſmodi, & hoc pacto, tēporeque cōpoſitas ſibi cęlitus vendicare. Memento lapillos naſcentes in aīalibus, nec inde languentib. vt in dracone, gallo, hirundine, cæteriſq; efficaces exiſtere fermè, vt lapilli in terra naſcentes, atq; ad eaſdem referri ſtellas, ad quas hæc animalia pertinent. Hinc alectorius ex ventriculo galli veteris tractus pollet poteſtate ſolari, per quam Dioſcorides ait ſæpe compertum eſſe, cū pugnare inuictū, qui lapillū hunc ore geſtaret. Idē ait cælidoniū

erutum ex hirundine ruffum curare melancholicum, & amabilem, idoneumque reddere, quod quidem habet ex Ioue, per ea, quæ diximus, ſ. res vbique infra Lunam ſtellares exiſtere. Confirmatur dictum illud valde platonicum, hanc mundi machinam ita ſecum eſſe connexam, vt & in terris cœleſti ſint conditione terrena, & in cœlo viciſsim terreſtria dignitate cœleſti, & in occulta mundi vita, menteque regina mundi cœleſtia inſint, vitali tamen, intellectualique proprietate ſimul, & excellentia. Per hæc inſuper confirmant nonnulli etiam illud magicum, per inferiora videlicet ſuperioribus conſentanea poſſe ad homines temporibus opportunis cęleſtia quodammodo trahi, atque etiam per cęleſtia ſuper cęleſtia nobis conciliari, vel forſan prorſus inſinuari, ſed poſtremum hoc illi viderint. Verum illud arte quadam ritè, & opportunè in vnum plurima colligente fieri poſſe probabile ſatis (vt diximus) eſſe videtur, cum rationibus, quas in ſuperioribus aſsignauimus, tum quia eiuſmodi multa, quando apud medicum, & aſtrologum colliguntur, contunduntur, commiſcentur, concoquuntur ſub ſydere certo, dum ipſa per ſe ratione concoctionis, atque fermẽti nouam paulatim formam ſubeunt, hanc ipſam acquirunt certo quodam fomento cęleſti, radijs tunc intus agentibus, ideoq; cęleſtem. Metallum vero vel lapillus, quando momento ſculpitur, non videtur nouam accipere qualitatem, ſed figuram, neque motio illa per debitos digeſtionis gradus, quos alteratio naturalis, atque generatio ſolet obſeruare, progreditur. Cum vero natura cęleſtis, tanquàm inferioris naturæ regula ſoleat tenore quodam progredi naturali, & ita progredientibus aſpirare, merito diffidunt plerique, imagines eiuſmodi cęleſtem aliquam virtutem habere. Ego quoque ambigo ſæpius, ac niſi & omnis antiquitas, & omnes aſtrologi vim mirabilem habere putarent, habere negarem, negarem equidem non omnino. Opinor enim (niſi quis aliter perſuaſerit) ad proſperam valitudinem ſaltem aliquam habere virtutẽ, electæ præſertim ratione materiæ, tametſi multo maiorem ineſſe pharmacis arbitror, & vnguentis ſydereo fauore conflatis. Quid vero voluerim vbi modo dicebam, electæ ratione materiæ, in ſequentibus declarabo. Quæ vero ex magorum, vel aſtrologorum opinione ad Plotinum interpretandum pro imaginibus allegari poſſunt, deinceps breuiter afferam, ſi te prius hic admonuero, ne putes probare me vſum imaginum, ſed narrare. Ego enim medicinis ad cœlum temperatis, non imaginibus vtor, atque ita cæteris quotidie conſulo. Tu vero ſi concedis Deum rebus infra Lunam mirabiles inſeruiſſe virtutes, mirabiliores concede cœleſtibus. Præterea ſi licere iudicas homini ad proſperam valitudinem inferioribus vti, iudica ſuperioribus quoque lice-

re.

re, atque inferiora ad superiorum normam sic medicorum artificio tẽperare, sicut etiam adeo sunt ab initio temperata.

De potestate cœli, de viribus radiorum, unde vim sortiri putemur imagines. *Cap. XVI.*

IMmensa fermè cęlestium magnitudo virtus motio facit, vt omnes omnium syderum radij terræ molem, quæ quasi punctum est ad cęlũ momento, facillimeque vsque ad centrum recti penetrent, quod omnes astronomi confitentur. Ibidem (vt placet pythagoreis, atq; platonicis) fortissimi sint, cum quia recti vndique centrum tangunt, tum quia in angustum collecti sunt cuncti. Quorum vehementia materia tibi terræ sicca procul ab humore remota prorsus accenditur, accensaque extenuatur, atque dispergitur per meatus vndique, & efflat incendia pariter, atque sulphur. Sed ignem hunc putant valde caliginosum esse, & quasi incendium quoddam luminis expers, sicut in cęlo extat expers incendij lumen: ignis autem inter cęlestem, atque infernũ lumen cum feruore coniungit, putant autem ignem è centro flantem, ignem esse vestalem, siquidem Vestam esse terræ vitam, numenque putabant, ideoque Vestæ templum veteres in medijs vrbibus construebant, ignemque in medio perpetuum collocabant. Sed ne vlterius peruagemur, concludamus, iam si stellarum radij totam mox terram penetrant, negari non facilè posse metallum, atque lapillum, quando celãtur imaginibus subito penetrare, eisque miras, vel saltem qualescunq; imprimere dotes, quandoquidem, & in aluis terræ preciosissima generant. Sed quis neget per hæc radios penetrare, siquidem aer, & qualitas eius, & sonus minus efficax solida transit subito, & sua quadam afficit qualitate. Iam vero, si duritia radijs obsisteret penetrantibus lumen, multo citiùs aerem, quàm aquã pertransiret, & hanc ocyus multo, quàm vitrum, & vitrum similiter, quàm crystallum. At cum eodẽ momento solida, quo liquida cuncta transuerberet, perspicuè constat duritiam radijs nullo modo resistere, atque idcirco dicent, non esse negãdum metalla cęlestium radios, influxusque suscipere, atque & conseruare ad tempus tunc sibi cęlitus destinatum, conseruare inquàm virtutem quandam ex radiorum concurrentium contactu creatam. Quid vero? si materia durior hoc ipso, quòd videtur obsistere causæ prępotẽti, magis ictibus se exponit? sic ensis lignum sub lana incidit, non incisa lana, sic radius ille fulmineus corio quandoque non læso dissoluit in eo metallum. Cum vero natura cęlestis nostro hoc igne incomparabiliter sit præstantior, non est putandum radijs cęlestis officium esse dun

taxat, quale opus ignei radij manifestè videmus, f. illuminare, calefacere, exsiccare, penetrare, extenuare, quæ nostris sensibus notissima sunt, sed multo plures, mirabilioresq; vires, & effectus habere, alioquin & materia inferior, & caducus sensus cum diuinitate cęli penitus æquaretur. Sed quis nesciat virtutes rerum occultas, quæ speciales à medicis nominantur, non ab elementali natura fieri, sed cœlesti? possunt itaq; (vt aiunt) radij occultas, & mirabiles vltra notas imaginibus imprimere vires, sicut & cæteris inserunt. Non enim inanimati sunt, sicut lucernæ radij, sed viui, sensualesq; tanquàm per oculos viuentium corporum emicantes, dotesque mirificas secum ferunt ab imaginationibus, mentibusque cęlestium. Vim quoque vehementissimam ex affectu illorum valido, motuque corporum rapidissimo, ac propriè, maximeque in spiritum agunt cœlestibus radij simillimum, agunt insuper in corpora vel durissima: omnia enim hæc ad cęlum infirmissima sunt. Sunt autem in varijs stellis variæ quoque vires, & idcirco in radijs earũ inter se varie, præterea in radiorum ictibus aliter, atque aliter incidentibus, virtutes diuersæ nascuntur. Denique in concursibus radiorum mutuis aliter, atque aliter, & hic, aut ibi, & tunc, aut aliàs effectis diuersę subito vires suboriuntur: multo magis, atque citiùs, quàm in alijs, atq; alijs elementorum, qualitatumque elementalium mixtionibus, multo etiam citiùs, quàm in tonis, & numeris apud musicum aliter, & aliter concinentibus. Si hæc diligenter consideraueris, forsitan non diffides, dicent, subitò quodam radiorum iactu vires imaginibus imprimi, atq; ex diuerso iactu diuersas. Nunquid ergo tam cito? obmitto fascinationes repentino quodam intuitu factas, & amores accerrimos statim accensos radijs oculorum, qui & ipsi sunt fascinamenta quædam, quod in libro de amore probamus: mitto, quàm citò rubens oculus inficiat intuentem, & speculum intuens fœmina menstruosa. Nonne & familiæ quædam apud Illyricos & Triballos iratæ intuitu homines interemisse feruntur? & fęminæ quædam in Scythia idem facere consueuisse, & catoblepe, regulique serpentes radiorum ex oculis iactu homines perimunt. Torpedo quoque marina tactu etiam procul per virgam manum subito stupefacit. Echinus præterea pisciculus grandem solo tactu nauem sistere fertur, phalãgia quinetiam in Apulia ictu quopiam vel occulto spiritum, animumque repentino stupore permutant. Quid rabiosus canis facit, vel non apparente morsu, quid scopa, deinde quid arbutus? nonne leuissimo tactu venenum concitant, atque rabiem? An ergo negabis cęlestia oculorum suorum radijs, quibus nostra contuentur, simulatque contingunt, statim miranda perficere? Iam vero grauida mulier tactu statim signat membrum hominis nascituri, rei desidera

tæ nota. An vero dubitabis radios aliter, aliterve tangentes diuersa conficere? cum & tu elleborum herbam colligens, siue folium deorsum trahas, siue sursum hoc subito tactu, causa sis elleboro, vt deorsum educat humores, aut sursum. Non ne ab initio rei cui usque generãdæ cęlestes influxus concoctione materiæ, digestioneque perfecta nõ tam tempore, quàm momento dotes mirificas largiuntur? Non ne suffragã te cœli vultu innumerabiles sæpe ranæ, similesque animantes ex arenis momento prosiliunt? Tanta est in materijs præparatis potentia cœli, tanta cęleritas, deniquesi ignis hoc habet, vt tempore quàm breuissimo faciat, quæ cætera longo, ob id præcipuè, quòd est in cęlo simillimus, quisnam dubitet cœlum magna quasi momento perficere, etiam in materia minus parata, sicut flamma solet ingentior? Quid ergo dubitas, inquiunt, in imagine construenda fermè similiter agere cęlum? Dices (opinor) sicut & ego dicebam, naturales hic alterationis gradus abesse, qui sane defectus minuit quidem cęleste donum, nec tamen auferre videtur. Nolunt enim physici ex quolibet metallo, vel lapide imaginem fabricari, sed certo, in quo quidem natura cœlestis virtutẽ olim ad hoc ipsum, quod optatur, naturaliter inchoauerit, & quasi iamiam perfecerit, vt in sulphure flammam. Quam sane virtutem tunc demum perficiat, quando materia hæc per artem sub simili quodã influxu cęlesti vehementer agitatur, & agitata calescit. Itaque ars suscitat inchoatam ibi virtutem, ac dum ad figuram redijt, similem suę cuidã cœlesti figuræ, tunc suæ illic ideæ prorsus exponit, quam sic expositam cęlum ea perficit virtute, qua cęperat. Exhibens quasi sulphuri flammam, sic potentia quædã ad rapiendas paleas cęlitus data succino, quodammodo debilis sæpe per frictionem calefactionemq; facta validior subito rapit. Similem virtutem Serapio scribit datam lapidi albugedi, quasi hyacintho simili, sed nõ priùs trahere paleas, quàm capilli hoc lapide perfricentur. Sic item lapis ille iouius bezaar, idest à morte liberans, quem descripsimus in libro contra pestem, vim ab initio cõtra venenum accepit ab Ioue, sed non vsque adeo validam, vt eandem tradere posit materijs alijs exercendam. At vero cum primum sub Scorpionis cęlestis influxu figuram superni illius acceperit, perfectam contra Scorpiones subito vim reportare putatur, quam mastici communicare valeat, aut thuri. Eadẽ quoq; de hyacintho, topatio, smaragdo, cæterisq; ratio est habenda, vt fabrica figurarum alibi efficaciam habeat, quã vbi materia cum stella congruit & effectu, à qua hunc faber exoptat accipere. Ac præterea vbi hæc ipsa materia quasi iã talis est ab initio, qualem affectas reddere per figuram. Nullis ergo materijs ad imagines vti consulunt, nisi his ipsis, quæ tibi notæ sunt, hanc ipsam fermè iam vim habere,

bere, quam cupis. Lapillorum itaque vires, atque metallorum diligentissime perscrutari iubent, intereaque meminisse inter lapillos quidem carbunculum in tenebris corruscantem, atque pantauram præcipue Soli subesse, saphyrum Ioui, Smaragdum Veneri, Mercurio, Lunæ præterea metalla, præter aurum, & argentum, vix vllam ad hæc habere virtutem, tutioremque in his rationem fore: si aurum quidem purum ad Solem referas, atque Iouem ad illum quidem propter colorem, ad hunc autem propter temperatam commixtionem. Nihil enim Ioue, & auro temperatius, purum vero argentum ad Lunam, sed ad Iouem simul, atque Venerem aurum argento permixtum, præterea imaginem efficatiorem fore, si virtus in materia eius elementalis conueniat cum speciali eiusdem virtute naturaliter insita, atque hæc insuper cum virtute altera speciali per figuram cęlitus capienda. Denique figuras inferiores, & formas cœlestibus conformari, inde perdisces (vt aiunt) quòd Perseus truncato Medusæ capite futuram nonnullis obtruncationem portendere consueuit, multaque similiter & Lunam, aliosque planenetas sub certis signis, certa in nobis membra mouere non dubitant.

Quam vim habeant figuræ in cœlo, atque sub cęlo. *Cap. XVII.*

SEd ne frigoris nimium forte diffidas meminisse iubebunt, in regione hac sub Lunam elementatari, elementarem quoque qualitatem posse, quàm plurimum in transmutatione videlicet ad aliquid elementare tendente calorem scilicet, & frigus, & humorem, atque siccitatem. Qualitates autem, quæ minus elementares, materialesve sunt, scilicet lumina idest colores, numeros quoque similiter, & figuras ad talia forsitam minus posse, sed ad cœlestia munera (vt putant) valere per multum. Nam & in cœlo lumina, & numeri, & figuræ sunt fermè omnium potentissima, præsertim si nulla sit ibi materia, quod Peripatetici plerique putant. Sic enim figuræ, numeri, radij, cum non alia sustineantur ibi materia, quasi substantiales esse videntur. Atque cum in ordine rerum mathematicæ formæ physicas antecedant, tanquàm simplices quidem magis, & minus egenæ, meritò in antecedentibus mundi gradibus, idest cœlestibus auctoritatem sibi maximam vendicant, vt non minus inde fiat numero, figura, luce, quàm elementari quadam proprietate. Huius quidem auctoritatis habetur etiam sub Luna signũ, qualitates enim valde materiales plurimis rerum speciebus sunt communes, eisque quodammodo permutatis, non vsquequaque species commutantur. Figuræ autem, numerique partium naturalium, proprietatem cum specie inseparabilem, peculiaremque possident, vtpote, quæ cęlitus vnà cum speciebus destinata fuerunt. Immo & cum ideis maximam habent in mente mundi regina connexionem, atque

cum

cum ipse, numerique species quædam sint ideis ibi proprijs designatæ, nimirum vires inde proprias sortiuntur, ideoque cum species naturalium, certis figuris, tum motus, & generationes, & mutationes certis numeris astringuntur. De lumine vero quid dicam? est enim actus intelligentiæ, vel imago: colores autem sunt lumina quædam, quamobrem vbi lumina, idest colores, figurasque, & numeros astrologi dicunt in materijs nostris ad cœlestia præparandis posse quamplurimum, non temerè (vt aiunt) debes ista negare. Non ignoras concentus per numeros, proportionesque suas vim habere mirabilem ad spiritum, & animum, & corpus sistendum, mouendum, afficiendum: proportiones autem ex numeris cõstitutæ, quasi figuræ quædam sunt velut ex punctis, lineisque factæ, sed in motu. Similiter motu suo se habent ad agendum figuræ cœlestes, hæ nanque harmonicis cum radijs, tum motibus suis omnia penetrantibus spiritum in dies ita clam afficiunt, vt musica præpotens palam afficere consueuit. Nosti præterea, quàm facilè multis misericordiam moueat figura lugentis, & quantum oculos, imaginationemque, & spiritum, & humores afficiat statim, atque moueat amabilis personæ figura, nec minus viua est, & efficax figura cęlestis. Nonne principis in vrbe vultus quidem clemẽs, & hilaris exhilarat oẽs: ferox vero vel tristis repente perterret? Quid ergo cęlestium vultus dominos omnium terrenorum aduersus hæc efficere posse putas, quippe cum etiam coeuntes ad prolem plerunque vultus, non solum quales ipsi tunc agunt, sed etiam quales imaginantur soleant filijs diu postea nascituris imprimere. Vultus eadem ratione cęlestes materias confestim suis notis inficiunt, in quibus si quando diu latitare videntur, temporibus deinde suis emergunt. Vultus autem cęli sunt figuræ cęlestes, potes vero facies illic apellare figuras, cęteris ibi stabiliores, vultus autem figuras, quæ magis ibi mutantur. Aspectus quoque inter se stellarũ motu quotidiano coniectos, vultus apellare potes similiter & figuras, nã hexagoni, pentagoni, tetragoni nominantur. Esto dicet quis piã, sint vt placet, potentissimæ ad efficiendũ figuræ cęlestes, verũ quid hoc ad figuras imaginum artificio factas? Respondebunt, non id potissimum contendere, vt potentissimæ per se ad agendum sint nostrę figuræ, sed vt paratissimæ ad actiones, & vires figurarum cęlestium capiendas quatenus opportunæ fiunt dominantibus illis, atque examussim ad illas configurantur: exigit enim figura illa figuram. Non ne sonante cithara quadam, altera roboat? ob id tantum, si & ipsa similem figuram habeat, atque è conspectu sit posita, & fides in ea positæ, & intentæ similiter. Quid nam hic efficit, vt cithara subito patiatur à cithara, nisi situs aliquis, & quædam figura conformis? Figura speculi lenis,

nis,concaua,nitens, cœlo congrua ob hoc ipsum propriè munus tantum cœlitus accipit,vt radios Phœbi in se cumulatissimè complectatur, & solidissimum quodque ad centrum suum è conspectu locatum repente comburat. Ergo ne dubites,dicent,quin materia quædam imaginis faciendæ,alioquin valde congrua cœlo per figuram cœlo similem arte datam, cœleste munus cum in se ipsa concipiat, tum reddat in proximum aliquem,vel gestantem. Non solum vero figura, sed etiam dispositio peruia, quam diaphanam vocant, inefficax quiddam est, & passiuum suapte natura. Veruntamen quoniam peruia dispositio est in cœlo proprium luminis susceptaculum, ideo vbicunque sub cœlo hæc vel est naturalis, vel modo aliquo comparatur, subito præsens cœleste lumen acquiritur,atque etiam conseruatur. Vbi vnà cum hac vel calor est igneus,vt in flamma, vel est aliquid aereum aqueumve simul,& glutinosum,vt in noctilucis, & nocticernis,& carbũculis, atque forsan quodammodo in camphora,quid inde sequatur pro imaginibus ipse reputa.

Quales cęlestium figuras antiqui imaginibus imprimebant, ac de vsu imaginum. Cap. XVIII.

ALiquis autem quæret, quas potissimum cœli figuras imaginibus imprimere soleant:sunt enim ibi formæ oculis valde conspicuæ,& à multis quales sunt quasi depictæ, vt aries, taurus, similesque figuræ zodiaci,& quæ sunt extra zodiacum manifestæ. Sunt ibi præterea formæ quamplurimę non tam visibiles,quàm imaginabiles per signorum facies ab Indis,& Ægyptijs,Chaldeisq; perspectæ,vel saltem excogitatæ. Veluti in prima facie virginis virgo pulchra sedens geminas manu spicas habens,puerumque nutriens,& reliquæ, quales describit albumasar,cæterique nonnulli,sunt denique characteres quidam signorum, & planetarum ab Ægyptijs designati. Volunt igitur imaginibus omnia hæc insculpi, vt si quis expectet proprium à Mercurio beneficium,collocare eum in Virgine debeat,vel saltem ibi Lunam cum aspectu Mercurij. Et imaginem tunc ex stanno conficere, vel argento, in qua totum sit Virginis signum,& character eius,characterque Mercurij,ac si prima Virginis facie sis vsurus, addas etiam figuram, quam in prima facie diximus obseruatam, similiterque de cæteris. Postremi quidem imaginum auctores vniuersam eorum formam ad cœli similitudinem accepere rotundam: antiquiores autem quemadmodum in quodam Arabum collegio legimus, figuram crucis cunctis anteponebant,qui corpora per virtutem agunt ad superficiem iam diffusam,prima vero superficies cruce describitur. Sic enim in primis habet longitudinem,atque latitudinem,primaque hæc figura est,& omnium re-

cta

cta quammaximè, & quatuor rectos angulos continet: effectus verò cœlestium maximè per rectitudinem radiorum, angulorumq; resultāt. Tunc enim stellæ magnopere sunt potentes, quando quatuor cęli tenent angulos, immo cardines, orientis videlicet, occidentisq;, & medij vtrinque cęli: sic vero dispositæ radios ita conijciunt in se inuicem, vt crucem inde constituant. Crucem ergo veteres figuram esse dicebant, tum stellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis susceptaculum, ideoque habere summam in imaginibus potestatem, ac vires, & spiritus suscipere planetarum. Hæc autem opinio ab Aegyptijs, vel inducta est, vel maximè confirmata, inter quorum characteres crux vnus erat insignis, vitam eorum more futuram significans, eamque figuram pectori Serapidis insculpebant. Ego vero quod de crucis excellentia fuit apud Aegyptios ante Christum, non tam muneris stellarum testimonium fuisse arbitror, quàm virtutis præsagium, quam à Christo fuerat acceptura. Astrologos autem, qui statim post Christum fuerunt videntes à Christianis miranda per crucem fieri, nescientes autē, vel nolentes in Iesum tanta referre, in cęlestia retulisse, quanquam considerare debeant per crucem ipsam absque nomine Iesu miracula minimè perpetrari. Conuenire quidem imaginibus eam, quia referat fortitudinem planetarum, omnium quoque stellarum forsitan est probabile. Non tamen ob hoc duntaxat, ingentem habere potentiam, posse vero nonnihil vnà cum cæteris, quæ necessaria sunt coniunctam, ad prosperam forsan corporis valitudinem, sed ad narrandas aliorum opiniones, vt cępimus, reuertamur. Saturni veteres imaginem ad vitæ longitudinem faciebant in lapide de pheyrizech, idest saphyro, hora Saturni, ipso ascendente, atque fœliciter constituto. Forma erat, homo senex in altiore cathedra sedens, vel dracone, caput tectus panno quodā lineo fusco, manus supra caput erigens, falcem manu tenens, aut Pisces, fusca indutus veste, ad longā vitam, atq; fœlicem. Iouis imaginē in lapide claro, vel albo erat homo sedens super aquilam, vel draconē coronatus, hora Iouis, ipso in exaltatione sua fęliciter ascendente, croceam induto vestem. Contra timiditatem, hora Martis imagines fabricabant, prima Scorpionis facie oriēte, Martem armatum, & coronatū. Ad morbos curandos fingebant Solis imaginem in auro, hora Solis prima, facie Leonis ascendente cum Sole, regem in throno crocea veste, & coruum, solisq; formam. Ad lætitiam, roburq; corporis, Veneris imaginem puellarem, poma, floresq; manu tenentem, croceis & albis indutā, hora Veneris prima, facie Libræ, vel Piscium, vel Tauri ascendente cum Venere. imaginē Mercurij ad ingeniū, & memoriā prima facie geminorum. Item contra febres sculpebatur Mercurius homo tela manu te-

nens, hora Mercurij, surgente Mercurio sculpebant hanc in marmore, subinde materię cuipiam imprimebāt languētibus assumendæ, hinc omne genus febrium curari dicebant. Imaginem Lunæ ascendente prima facie Cancri ad augumentum. Forma Mercurij, homo sedens in throno, galeratus, cristatusque, pedibus aquilinis, sinistra gallum tenens, aut ignem. Alatus aliquando super pauonem, dextra tenens calamum, veste varia. Luna puella pulchra, cornuto capite, super draconem, vel taurum, serpentes supra caput, & sub pedibus habens, ad curandum calculum, genitaliumque dolores, & ad sanguinem astringendum, imaginem hora Saturni, surgente tertia facie Aquarij cum Saturno. Item Leonem auro imprimebant, lapidem in formam Solis pedibus reuoluentem, horas Solis primo gradu faciei secundæ Leonis oriente, hanc expellendis morbis profuturam existimabant. Ad renum morbos similem faciebāt, quando Sol in corde Leonis cœlum medium obtineret, à Petro Aponensi comprobatam, & experientia confirmatam, sed hac conditione, vt Iuppiter, aut Venus medium aspiciat cœlum: planetæ vero noxij cadant, infortunatique sint. Accepi à Mengo Physico præclaro eiusmodi imaginem factam Ioue, ibidem coniuncto cum Sole, liberauisse Ioannem Marsianum mathematicum nostro sæculo singularem à pauore, quo sub tonitru affici consueuerat. Præterea ad firmandam sanitatem, & venefica deuitanda imaginem ex argento fingebant hora Veneris, Luna angulos obtinente, ac Venerem fœliciter intuente, dummodo dominus sextę domus Venerem aspiciat, aut Iouem trino quodam intuitu, vel opposito, Mercurius autē non sit infœlix. Agebant hæc hora diei Solis vltima, ita vt dominus horæ decimam teneret cœli plagam. Petrus Aponensis inquit medicum per imaginem infirmum curare posse, modo in ea fabricanda obseruet, vt anguli ascendentis, medij cęli, occidentis sint fortunati, & ascendentis dominus, & eadem ratione secunda, sed sexta, & dominus eius sit infęlix. Ait etiam sanitatem fore firmiorem, vitamque lōgiorem, quàm ab initio fuerit instituta, si natiuitate perspecta fiat imago, in qua hæc fortunata ponatur, scilicet illius significator vitæ, item vitæ donatores, tum signa, tum domini, præsertim ascendens, eiusque dominus. Item cęli medium locus Solis, pars fortunę, dominus coniunctionis, vel præuentionis ante natiuitatem factæ, mali quinetiam infortunati cadant, concludit astrologorum nullum dubitare, quin ad producēdam vitam talia conferant. Prolixum foret dictu, quis per quælibet signa facies antiqui, & quas Lunæ stationes tanquàm necessarias in exprimendis imaginibus obseruabant. Nam in statione Lunæ à gradu Virginis decimoseptimo ad finem eius faciebant imagines contra morbos, &

odia,

odia, & ad iter fęlix. In statione à principio Capricorni ad gradum duodecimum contra morbos,& discordias, atque captiuitatem. In statione à gradu duodecimo Capricorni ad gradum vigesimumquintum aduersus langorem, & carcerem. In statione à gradu quarto Piscium ad gradum eiusdem decimumseptimum ad curandos morbos, ad lucrum, societatem, ad augendas messes, & in alijs similiter alias vana sæpius curiositate machinabantur. Solas vero recensui, quæ non tam Magum, quàm Medicum redolerent: nam & medicinam eiusmodi vanam plurimum fore suspicor: pro alijs autem magis legitimis medicinarum confectionibus eiusmodi mansiones Lunæ arbitror eligendas. Atque etiam in Ariete gradum sextum, rursus decimumnonum, minuta. 26. item in Geminis gradum decimum, minuta 51. in Cancro gradum decimumnonum, minuta. 26. in Libra gradum sextum, minuta 34. in Capricorno gradum decimumnonum, minuta. 26. in Aquario gradum secundum, minuta. 17. in eodem gradum decimumquintum, minuta. 8. Præterea sententiam Haly mēte tenendam, quodlibet signū quamdiu Sol est in eo viuum fieri, cæteris dominari, effectum eius præ cæteris euenire, vt illuc Lunam dirigas ad donum inde proprium pro medicinis suscipiendum. Illuc inquam, idest ad signum, & faciem, & maximè gradum, vt si bona Iouis affectas, ad hæc directam Lunam erigas, vel vnitam, quàmdiu locum eiusmodi Sol illustrat, vbi proprietas iouia viget, similiterque de cæteris. Curiosum vero narratu foret, & forte noxium, quas imagines, & quemadmodum ad associandos, vel dissociandos inter se animos fabricabant, ad afferendam fęlicitatem, vel inferendam calamitatem, vel vni cuidam, vel domui, vel ciuitati. Ego quidem fieri posse talia non affirmo: astrologi autem fieri posse putāt, & quomodo docent, qualia ego narrare non audeo. Porphyrius vbi vitam Plotini magistri sui describit, talia fieri posse confirmat, atque Olympium magum, & Astrologum Ægyptium narrat contra Plotinum Romæ talia tentauisse, dum conaretur per imagines, vel res eiusmodi syderare Plotinum, sed conatus auctorem suum ob excelsam Plotini animam fuisse retortos. Albertus quoque magnus astrologiæ pariter, atque theologiæ professor ait in speculo, vbi à licitis discernere se inquit illicita, imagines ritè ab astrologis constitutas virtutem, effectumque acquirere à figura cęlesti. Atque subinde narrat mirabiles earum effectus, quales Thebith Benthorad, & Ptolemeus, cæterique astrologi pollicentur. Describitque imagines ad calamitatem alicui, prosperitatemque afferendam, quas consilio prætermitto, & interea confirmat effectum eas habere posse. Quamquàm & vt vir bonus artis damnat abusum, & vt legitimus Theologus orationes, suffumigatio-

nesque detestatur, quas impij quidam ad dęmones imaginibus fabricandis adhibent. Neque tamen reprobat figuras, & litteras, dictionesque imaginibus impressas ad hoc ipsum duntaxat, vt donum aliquod accipiant à figura cœlesti. Quod quidem posse per imagines comparari Petrus Aponensis confirmauit, immo & affirmauit regionem nescio quam fuisse destructam per imaginem illam, quā Thebith narrat à Phedicę Astrologo fabricatam. Thomas autem Aquinas dux in Theologia noster magis ista formidat,& minus tribuit imaginibus, tantum namque virtutis duntaxat per figuras cęlitus putat acquirere quantum conducat ad illos effectus,quos solet communiter cęlum per herbas, resque alias naturales efficere. Non tam quia figura talis sit in ea materia,quàm quoniam compositum tale iam positum est in certa quadam artificij specie,qualis cum cęlo consentiat. Hæc ait in libro contra Gentiles tertio,vbi characteres,& litteras figuris additas ridet: figuras vero non adeo, nisi pro signis quibusdam ad dęmones adiungantur. In libro etiam de Fato ait,constellationes dare ordinem essendi,atque perdurandi, non solum rebus naturalibus,sed etiam artificiosis,ideo imagines sub certis constellationibus fabricari. At si quid mirabile per eas vltra consuetos naturalium effectus nobis eueniat, in dęmonas reijcit hominum seductores, quod in libro contra Gentiles perspicuè patet. Maximè verò in libello de occultis naturæ operibus,vbi videtur ipsas etiam imagines paruipendere,quomodocumque factas,quas & ego quatenus ipse iusserit,nihilipendam. Referre autem mirabiles quosdam effectus imaginum in dęmonum falsitatem nec est à platonicis alienum. Nam & Iamblichus ait, eos qui religione summa,sanctimoniaque post habita,imaginibus duntaxat confisi,ab eis diuina sperant munera, hac in re à malis dęmonibus sępissimè falli sub prætextu bonorum numinum occurrentibus. Contingere tamen ex imaginibus legittima astrologiæ ratione constructis naturalia quædam bona non negat: denique tutius fore arbitror medicinis, quàm imaginibus se committere. Rationesque à nobis de potestate cœlesti,pro imaginibus assignatas in medicinis potius,quàm in figuris efficaciam habere posse: probabile enim est, si quam vim imagines habent,hanc non tam per figuram nuper acquirere, quàm per materiam possidere naturaliter sic affectam. Ac siquid denuo acquiritur, dum insculpitur,non tam per figuram comparari, quàm per calefactionem contusione quadam proueniente. Quæ quidem contusio, calefactioque facta sub harmonia cęlesti simili harmonię,quæ quondam materiæ virtutem infuderat,excitat virtutem ipsam, atque corroborat, sicut flatus flammā,& manifestam efficit ante latentem. Sicut calor ignis in aspe-

in aſpectum producit litteras ſcriptas ſucco cepæ prius deliteſcentes, atque litteræ hirci adipe inſcriptæ lapidi prorſus occultæ, ſi lapis ſubmergatur aceto prodeunt, & quaſi ſculptæ, eminentes extant. Immo vero ſicut tactus ſcopæ, vel arbuti ſuſcitat rabiem conſopitam, ſic forte contuſio quædam, & calefactio ſola latentem in materia virtutem prodit, facta videlicet opportunè. Qua quidem cęleſti opportunitate expedit in medicinis conficiendis vti, aut ſiquis forte tractare metalla, lapideſque voluerit, præſtat percutere ſolum, atque calefacere, quàm figurare: præter enim id, quod inanes eſſe figuras ſuſpicor, haud temere vel vmbram idolatriæ debemus admittere. Item nec temere vti ſtellis, vel ſalutaribus ad morbos his ſimillimos expellendos, hos enim ſæpe augent. Sicut noxiæ ſtellæ diſsimiles ſibi morbos aliquando minuunt, quod ſanè Ptolemeus, & Haly perſpicuè docent.

De fabricanda vniuerſi figura. Cap. XIX.

SEd cur nam vniuerſalem ipſam, ideſt vniuerſi ipſius imaginem prætermittimus? ex qua tamen beneficium ab vniuerſo ſperare videmur. Sculpet ergo ſectator illorum forte, qui poterit formam quandam mundi totius archetypam, ſi placebit, in ære, quam deinde opportunè in argenti lamina imprimat aurata. Sed quando potiſsimum imprimet, quando Sol minutum primum Arietis attigerit: hinc enim aſtrologi tanquàm ex ſui natalis reuolutione fortunam mundi eo ſaltem anno imminente auſpicantur: ille igitur in hoc ipſo mundi natali totius imprimet mundi figuram. At vides ne quàm belle inter diſſerendum mundi aliquando nati nobis ſuccurrerit argumentum, ſiquidem quolibet anno renaſcitur, nonne in ipſa hominis geneſi metiuntur aſtrologi primum, in quo ſigno, quo gradu, quo minuto Sol extiterit, ibique totius figuræ iaciunt fundamenrum. Et quolibet deinceps anno, cum primum Sol minutum ſubierit, idem quaſi renatum hominem arbitrantur, atque inde præſagiunt anni fortunam: ſicut igitur id in homine facere non valerent, niſi quaſi renaſceretur. Atque hic non poſſet quaſi renaſci, niſi fuiſſet aliquando natus, ſic & mundum conijcere licet aliquando genitum, Sole videlicet ſub minuto Arietis primo tunc poſito, quandoquidem per eundem quolibet anno ſitum ſors quædam quaſi renaſcentis mundi reuoluitur, tunc igitur ille fabricabit mundi figuram. Cauebit autem ne ſabbato Saturni die figuram ſculpat, aut exprimat, hoc enim die Deus mundi faber ab opere traditur quieuiſſe, quod ab ideali die Solis inceperat: quantum enim Sol generationi accommodatus eſt, tantum

Saturnus

Saturnus ineptus, perfecerat autem opus in Venere: pulchritudinẽ operis absolutam significante. Sed de mundanę fabricæ rationibus nihil vltra: Ioannes enim Picus noster Mirandula. diuina de genesi mundi mysteria Mosceos diuinitus his diebus expresit. Quamobrem vt redeamus ad institutum, & ille mũdum suum primum die, vel hora Saturni non sculpet, sed die potius, vel hora Solis. Imprimet autem in anni natali, præsertim si tunc fęlices accedant Iupiter, atque Diana: optimũ vero fore putabunt præter lineamenta opificio colores inserere. Sunt vero tres vniuersales simul, & singulares mundi colores, viridis, aureus, saphyrinus, tribus cęli gratijs dedicati. Viridis quidem Veneri simul, atque Lunæ, humidus videlicet humidis, atque nascentium proprius accommodatus, & matribus. Aureum Solis esse colorem nemo dubitat, & ab Ioue insuper, atq; Venere non alienum. Saphyrinum denique Ioui maximè dedicamus, cui & saphyrus ipse dicitur consecratus. Vnde & lapis lazulus hoc colore dotatus ob virtutem iouiam contra bilem atram à Saturno profectam apud medicos prærogatiuam habet, nasciturque cum auro aureis distinctus notis, ita comes auri sicut Solis est Iupiter. Similemque vim habet lapis armenus, colorem similem cũ viridi quodammodo possidens. Expedire igitur iudicabunt ad gratiarũ cęlestium munera capessenda treis potissimum hos colores frequẽtissimè contueri, atque in formula mundi, quam fabricas, saphyrinum colorem mundi sphęris inserere. Operæprecium fore putabant aurea sphęris ad ipsam cęli similitudinem addere sydera, atq; ipsam Vestam, siue Cererem, idest terram viridem induere vestem. Eiusmodi formulam sectator illorum, vel ipse gestabit, vel oppositam intuebitur, vtile vero fore spectare sphæram motibus suis præditam, qualem Archimedes quondam, & nuper Florentinus quidam noster Laurentius nomine fabricauit, neque spectare solum, sed etiam animo reputare. Proinde in ipsis suæ domus penetralibus cubiculum construet in fornicem actum figuris eiusmodi, & coloribus insignitum, vbi plurimum vigilet, atque dormiat. Et egressus domo non tanta attentione singularum rerum spectacula, quanta vniuersi figuram, coloresque perspiciet. Sed hæc imaginum fictores illi viderint: tu vero præstantiorem in te finges imaginem, nempè cum noueris, nec quicquàm ordinatius esse, quàm cœlum, neque temperatius aliquid cogitari, quàm Iupiter, sperabis ita demum beneficia cœli, iouisque consequi, si cogitationibus, affectibus, actionibus, victu te ipsum ordinatissimum, temperatissimũ præstiteris. At postquàm in mentionem temperantiæ cœlestis incidimus, opportunum forte fuerit recordari, nullum esse cœlo elementaris qualitatis excessum (vt peripateticè loquar) alioquin, siue ita composi-

tum

tum sit,iam esset tot seculis dissolutum, siue etiam simplex, tanta saltē magnitudine, potentia, motione, cætera perdidisset: sed profectò tanquàm moderatissimū omnia moderatur,ac diuersa commiscet in vnū. Præterea tum hac ipsa temperantia sua, tum excellentia formæ diuinitus vitam meruit: nam & res compositas tunc demum vitam adipisci videmus, quādo qualitatum perfecta commixtio priorem iam contrarietatem fregisse videtur,vt in plantis. Perfectiorem deinceps in animalibus vitam,quatenus inest eis complexio à contrarietate remotior, quàm in plantis. In hominib. rursum eadem ratione perfectiorem, & quodammodo iam cęlestem. Siquidem humana complexio ad cœlestem temperantiam iam accessit,præsertim in spiritu,qui vltra substantiæ suæ subtilitatem, qualitatumque temperantiam, quibus cum cœlo consentit,cęlestem quoque lucem est adeptus. Hic insuper vbi maximè talis est,potissimum est cęlestis, vitamque cœlestem diuinitus præ cæteris est adeptus,& quatenus se talem in omni victu,legeque vitæ efficit,atque seruat,eatenus singularia cęlestium dona reportat.Quando vero dicimus non esse in cęlo vllum elementaris qualitatis excessum, intelligimus,vel nullam esse ibi eiusmodi qualitatem, sed virtutes potius effectrices qualitatum temperatas, vel si quæ sunt illic quodámodo similes qualitates, & quasi aeream habere temperiem. Atque vbi quædam illic frigida,siccaque nominamus,platonica hæc accipimus ratione,i.vt frigidum appelletur, quod minimi caloris est causa: siccum vero,quod humorem nobis exhibet minimum. Sic astrologus Abraā Saturnum,inquit,corpus nostrum quodammodo relinquere frigidum atque siccum,quia calorem, & humorem affert nostro minorem, eadē ratione carnes bouis,& leporis in se quidem calidæ,atque humidæ,nobis frigidæ sunt, & siccæ. Ex hac autem inductione duo hæc accipe corollaria: primum quidem,si corpora magis deinceps temperata,magis viuunt:cœlum maximè temperatum, quàm maximè viuere, immo vero vicissim ex eo,quòd cœlum exactissimè temperatum,absolutissimam in se vitam possidet coniectari, vt quatenus reliqua ad temperiē, vitamque illius accedunt,eatenus vitam sortiri præstantiorem. Alterū vero vitam esse formam in se perfectam,perficientemque corpus, motionisque principium exhibentem: principium inquàm intimum,motionis quoque tum intrinsecus actæ, tum per omnem partem extrinsecus expeditę. Si igitur id ipsum vita est, mentecaptum existimato, qui eiusmodi formam non cognouerit inesse cęlo corpore præstantissimo,circūeunte semper motione perfecta,cuncta viuificante,magisq; illa gradatim,quæ vel ad ipsius similitudinem naturaliter propinquius accesserunt,vel quotidie huius influxibus aptius se exponunt.

Quantam

Quanta imagines vim habere putentur in spiritum, & spiritus in eas, & de affectu vtentis, & operantis. Cap. XX.

COmpertum habemus, si quis rite vtatur elleboro, feratque potenter, mutare quodammodo exquisita purgatione, & occulta eius proprietate qualitatem spiritus, corporisque naturam. & ex parte motus animi, & quasi reiuuenescere, vt ferme videatur esse renatus, vnde Medeam, Magosque tradunt herbis quibusdam reddere iuuentutem consueuisse, quàm non tam reddunt myrobalani, quàm conseruant. Similem Astrologi potestatem propitias habere imagines arbitrantur, per quam gestantis naturam, & mores quodammodo mutent, in meliusque restituant, vt quasi iam alter euaserit, aut saltem prosperam valitudinem diutissimè seruent. Imagines vero noxias aduersus gestantem habere vim ellebori præter artem, potentiamque assumpti, venenosam videlicet, atque pestiferam. Aduersus autem alium quendam, ad cuius calamitatem fabricatę, intentæque fuerint, vim ænei speculi, concauique sic prorsus obiecti, vt collectis, repercussisque in oppositum radijs, comminus quidem comburat, eminus autem caligare compellat. Hinc orta est historia, vel opinio, putans Astrologorum machinis, Magorumque veneficijs, homines, bruta, plantas siderari, atque tabescere posse. Ego autem imagines in rem distantem vim habere vllam non satis intelligo: habere vero in gestantem nonnullam suspicor, non tamen talem opinor, qualem plerique fingunt, & hanc ratione materiæ potius, quàm figuræ, atque (vt dixi) longo interuallo medicinas imaginibus antepono. Quanquàm Arabes, & Aegyptij tantum statuis, imaginibusque attribuunt arte astronomica, & magica fabricatis, vt spiritus stellarum in eis includi putent. Spiritus autem stellarum intelligunt, alij quidem mirabiles cęlestium vires, alij vero dæmonas etiam stellæ huius, illiusve pedissequos. Spiritus igitur stellarum qualescumque sint inseri statuis, & imaginibus arbitrantur, non aliter, ac dæmones soleant humana nonnunquàm corpora occupare, perque illa loqui, moueri, mouere mirabilia perpetrare, similia quædam per imagines facere stellarum spiritus arbitrantur. Putant dęmonas mundani ignis habitatores per igneos humores, vel ignitos, similiterque per ignitos spiritus, & affectus eiusmodi nostris insinuari corporibus. Similiter stellarum spiritus per radios opportunè susceptos, suffumigationesque, & lumina, tonosque vehementes competentibus imaginum materijs inseri, mirabiliaque in gestantem, vel propinquantem efficere posse, quæ quidem nos per dæmonas fieri posse putamus non tam materia certa cohibitos, quàm cultu gaudentes, sed hęc alibi diligentius. Tradunt Arabes spiritum nostrum quando ritè fabricamus

mus imagines, si per imaginationem, & affectum ad opus attentissimus fuerit, & ad stellas coniungi cum ipso mundi spiritu, atque cum stellarum radijs, per quos mundi spiritus agit, atque ita coniunctum esse ipsum quoque in causa, vt à spiritu mundi per radios, quidam stellę alicuius spiritus, id est viuida quædam virtus infundatur imagini, potissimum hominis tunc operantis spiritui consentanea. Adiuuari quoque suffumigationibus ad stellas accommodatis opus eiusmodi, quatenus suffumigationes tales aerem, radios, spiritum fabri, imaginis materiam sic prorsus afficiunt. Ego vero odores quidam tanquàm spiritu, aerique natura persimiles, & cum accensi sunt, stellarum quoque radijs consentaneos arbitror, si solares vel iouij sunt afficere aerem, ac spiritum vehementer ad dotes Solis, aut Iouis tunc dominantis opportune sub radijs capiendas, atque spiritum sic affectum ita donatum, posse vehementiore quodam affectu non solum in proprium corpus agere, sed propinquum: præsertim natura conforme quidem, sed debilius, & consimili quadam afficere qualitate. Materiam vero imaginis duriorem ab odoribus, & operantis imaginatione, vix minimum quiddam suscipere posse puto. Spiritum tamen ipsum ab odore sic affici, vt ex ambobus vnum conficiatur, quod quidem ex eo patet, quòd odor non agit vlterius in olfactum, postquàm satis egit: olfactus enim & quoduis aliud à se ipso, vel simillimo quopiam nihil patitur, sed de his alibi. Proinde imaginationis intentionem non tam in fabricandis imaginibus, vel medicinis vim habere, quàm in applicandis, & assumendis existimo, vt si quis imaginem (vt aiunt) gestans ritè factam, vel certe medicina similiter vtens, opem ab ea vehementer affectet, & proculdubio credat, speretque firmissimè hinc certe, quàm plurimis sit adiumento cumulus accessurus. Nam vbi vel virtus imaginis, si qua est, tangentis carnem penetrat, calefacta saltem virtus in electa eius materia naturalis, vel certe medicinæ vigor intus assumptæ venis, ac medullis illabitur, iouiā secum ferens proprietatem spiritus hominis in spiritum eiusmodi iouium effectu, i. amore transfertur. Vis enim amoris est transferre: fides autem, spesque non dubia spiritum hominis iam ita percitum sistit in spiritu iouio penitus, atque firmat. Quòd si (quemadmodum Hippocrates, & Galenus docent) ægrotantis amor, fidesque erga medicum inferiorem, exterioremque ad sanitatem plurimum conferunt, immo vero fiduciam hanc Auicenna plus inquit efficere, quàm medicinam, quantum ad cœlestem opem conducere putandum est affectum, fidemque nobis erga cęlestem influxum iam nobis insitum, agentem intus, viscera penetrantem. Iam vero amor ipse, fidesque erga cęleste donum, sæpe cęlestis adminiculi causa est, atque vicissim amor, &

fides hinc aliquando forsan proficiscitur, quod ad hoc ipsum iam nobis faueat clementia cœli.

De virtute verborum, atque cantus ad beneficium cęleste captandum, ac de septem gradibus perducentibus ad cælestia. Cap. XXI.

VErba præterea quædam acriore quodam affectu pronunciata, vim circa imagines magnam habere censent ad effectum earum illuc propriè dirigendum, quorsum affectus intenduntur, & verba. Itaque ad duos ardentissimo quodam amore conciliandos imaginem sub Luna coeunte cum Venere in Piscibus, vel Tauro fabricabant, multis interim circa stellas, verbaque curiosius obseruatis, quæ referre non est consilium. Non enim philtra docemus, sed medicinas, probabilius autem est effectus eiusmodi vel per venereos dæmonas confici, his operibus, verbisq; gaudentes, vel per dæmonas simpliciter seductores. Nã & Apollonium Theaneum sæpe lamias deprehendisse, & prodidisse ferunt, dęmonas. s. quosdam salaces, venereosque, qui formosas puellas simulent, pelliciantque formosos, quos vt serpens elephantem ore, sic illi illos ore vulua pariter exsugant, ac prorsus exhauriant. Sed hæc Apollonius ipse viderit, in verbis autem certis vim esse certam, atq; magnam Origenes asserit contra Celsum, & Sinesius, atque Alchindus de Magia disputantes. Item Zoroaster vetans barbara verba mutari. Iamblichus quoque similiter. item Pythagorici verbis, & cantibus, atq; sonis mirabilia quædam Phœbi, & Orphei more facere consueti. Quod hæbreorũ antiqui doctores præ cæteris obseruarunt, omnesq; poetæ miranda canunt carminibus effici, & grauissimus ille Cato in re rustica in curandis besttiarum morbis, aliquando barbaris cantionibus vtitur. Sed præstat dimittere cantiones, concentũ vero illum, quo adolesceus Dauid Saulem ab insania redimebat, nisi mysterium iusserit ad diuinitatem referri, referet forte aliquis ad naturam. Cum vero pro septem planetarum numero, septem quoque sint gradus, per quos à superioribus ad inferiora fit attractus, voces medium gradum obtinent, & Apollini dedicantur. Infimum quidem tenent gradum materiæ duriores, lapides, atque metalla, ac Lunam referre videntur. Secundum in ascensu locum habent, quæ ex herbis, arborum fructibus, gummis, membris animalium componuntur, respondentque Mercurio, si ordinem in cęlo sequimur Chaldeorum. Tertium pulueres subtilissimi, eorumque vapores ex prædictis electi, odoresque simpliciter herbarũ, & florum, & vnguentorum ad Venerem pertinentes. Quartum verba, cantus, soni, quæ omnia ritè dedicantur Apollini musicæ præ cæteris auctori. Quintum vehementes imaginationis conceptus, formæ, motus, affectus, vim martiam referentes. Sextum rationis humanæ discur-

discursiones, deliberationesque consultæ pertinentes ad Iouem. Septimũ secretiores, simplicioresq; intelligentiæ quasi iam à motu seiunctę, cõiũctæ diuinis, destinatæ Saturno, quẽ merito Sebath hebræi nomine quietis appellant. Quorsum hæc? vt intelligas quemadmodum ex certa herbarum, vaporumque compositione confecta per artem, tum medicam, tum astronomicam resultat communis quædam forma velut harmonia quædam syderum dotata muneribus, sic ex tonis primo quidem ad stellarum normam electis, deinde ad earundem congruitatem inter se compositis communem quasi formam fieri, atque in ea cœlestem aliquam suboriri virtutem. Difficillimum quidem est iudicatu, quales potissimum toni, qualibus conueniant stellis, quales item tonorum compositiones, qualibus præcipuè syderibus, aspectibusque consentiant. Sed partim diligentia nostra, partim diuina quadam sorte non aliter id assequi possumus, quàm Andromachus in theriaca componenda diutissime fatigatus, ac tandem post diligentiam, diuina sorte consecutus theriacæ virtutẽ. Quod quidem contigisse diuinitus Galenus & Auicenna confirmant, immo vero totam medicinam exordium à vaticinijs habuisse, testis est Iamblichus, atq; Apollonius Theaneus, ideoque Phœbum vatem medicinæ præponunt. Tres vero potissimum regulas ad hoc afferremus, si prius admonuerimus, ne putes nos in præsentia de stellis adorandis loqui, sed potius immitandis, & imitatione captandis. Neque rursum de donis agere credas, quæ stellæ sint electione daturæ, sed influxu potius naturali, ad quem profecto multiplicem, & occultum, ita nos exquisitis studemus modis accommodare, sicut quotidie ad manifestum Solis lumen, caloremque salubriter excipiendum nosipsos accommodamus. Aptare vero seipsum ad occultas dotes eius, atque mirifica, solius sapientis est officium, sed iam ad regulas cantũ syderibus accommodaturas perueniamus. Prima est exquirere, quas in se vires, quosve ex se effectus stella quælibet, & sydus, & aspectus habeant, quæ auferant, quæ ferant, atque verborum nostrorum significationibus hæc inserere, detestari, quæ auferunt, probare, quæ ferunt. Secunda considerare, quæ stella, cui loco maximè, vel homini dominetur, deinde obseruare qualibus communiter hæ regiones, & personæ tonis vtantur, & cantibus, vt ipse similes quosdam vnà cum significationibus modo dictis adhibeas verbis, quæ syderibus eisdem studes exponere. Tertia situs, aspectusque stellarum quotidianos animaduertere, atque sub his explorare ad quales potissimum sermones, cantus, motus, saltus, mores, actus incitari homines plerique soleant, vt talia quædam tu pro viribus imiteris, in cantibus cœlo cuidam simili placituris, similemque suscepturis influxum. Memento

verò cantum esse imitatorem omnium potentissimum: hic enim intentiones, affectionesq; animi imitatur, & verba refert quoq;, gestus, motusq; corporis, & actus hominũ, atq; mores. Tãq; vehementer omnia imitatur, & agit, vt ad eadem imitanda, vel agenda, tum cantantem tum audientes subito prouocet. Eadem quoque virtute, quando cœlestia imitatur, hinc quidem spiritum nostrum ad cęlestem influxum, inde verò influxum ad spiritum mirificè prouocat. Iam verò materia ipsa concentus purior est admodum, cęloque similior, quàm materia medicinæ. Est enim aer, & hic quidem calens, siue tepens, spirans adhuc, & quodammodo viuens suis quibusdam articulis, artubusque cõpositus, sicut animal, nec solum motum ferens, affectumque pręferens, verum etiam significatum afferens quasi mentem, vt animal quodam aereum, & rationale quodammodo dici possit. Concentus igitur spiritu, sensuque plenus si forte tum secundum eius significata, tum secundum eius articulos, atque formam ex articulis resultantem, tum etiam secundum imaginationis affectum huic syderi respondeat, aut illi, non minorem inde virtutem, quàm quęlibet alia compositio traicit in cantantem, atque ex hoc in proximum auditorem, quousque cantus vigorem seruat, spiritumque canentis: præsertim si cantor ipse sit natura phœbeus, vehementemque habeat vitalem cordis spiritum, atque insuper animalem. Sicut enim virtus, ac spiritus naturalis, vbi potentissimus est, mollit statim, liquefacitque alimenta durissima, atque ex austeris mox dulcia reddit, generat quoque extra se seminalis spiritus productione propaginem, sic vitalis, animalisque virtus vbi efficacissima fuerit, ibi intentissima quadam sui spiritus per cantum tum conceptione, agitationeque in corpus proprium potenter agit, tum effusione mouet subinde propinquum, afficitque cum suum, tum alienum syderea quadam proprietate, quantum ex ipsa sui forma, tum ex electa temporis opportunitate concipit. Hac vtique ratione orientales, meridionalesque multi præcipuè indi admirandam feruntur in verbis habere potentiam, vtpote qui magna ex parte solares sunt, vimq; non naturalem dico, sed vitalem, & animalem habent ferme omnium potentissimam, & quicunq; in regionibus alijs maximè sunt phœbei. Cantus autem hac virtute, opportunitate, intentione conceptus, ferme nihil ali ud est, quàm spiritus alter nuper pene spiritum tuum in te conceptus, factusque solaris, & agens tum in te, tum in proximum potestate solari. Si enim vapor, & spiritus quidam aliquando per radios oculorum, vel aliter foras emissus fascinare, inficere, aliterque afficere proximũ potest, multo magis id valet spiritus ab imaginatione, cordeque simul vberior profluens, & feruentior, motuq; valentior, vt nõ omni-

no mirum sit, morbos quosdam animi, atque corporis sic auferri posse aliquando, uel inferri: presertim quoniã spiritus eiusmodi musicus pro priè tangit, agitque in spiritum inter corpus, animamque medium, & utrunque affectione sua prorsus afficientẽ. Mirabilem uero in concitato, canenteque spiritus uim esse concede, si Pythagoricis, Platonicisq; concesseris, cœlum esse spiritum motibus, tonisque suis omnia disponẽtem. Memẽto uero totã procedere musicã ab Apolline, atq; eatenus Iouem esse musicũ, quatenus est cum Apolline concors. Venerem insup. & Mercurium musicã uicinitate Apollinis reportare. Item ad hos quatuor duntaxat attinere concentus, tres uero reliquos uoces quidem habere, nõ cantus. Iam uero uoces tardas, graues, raucas, quærulas Saturno tribuimus: Marti uero cõtrarias, ueloces, acutasq;. & asperas, & minaces, medias uero lunæ. Concentus autem Ioui quidem graues, & intentos, dulcesque: & cum constantia lætos, contra Veneri cum lasciuia, & mollitie voluptuosos cantus ascribimus, inter hos vero medios Soli tribuimus, & Mercurio, si vnà cum gratia, suauitatemque sunt venerabiles, & simplices, & intensi Apollinei iudicantur, si vnà cum iucunditate remissiores quodammodo sunt, strenui tamen, atque multiplices mercuriales existunt. Tu igitur horũ quatuor vnũquẽq; cantibus tibi suis cõciliabis, præsertim si cõpetentes cantibus sonos adhibeas adeo, vt cũ eorũ more opportune canendo, & sonando clamaueris, respõsuri protinus videantur, vel instar Echo, vel sicut corda quædã in cithara tremens, quotiẽs vibratur altera tẽperata similiter, atq;, vt vult Plotinus, & Iamblichus, ita naturaliter id ibi continget è cęlo, quemadmodũ vel ex cithara reboatus, siue tremor, vel ex opposito, pariete fit Echo. Profectò quotiens ex frequẽti quodã vsu harmonię iouiæ, vel mercurialis, vel venereę factæ videlicet his regnantibus, spiritus tuus ad hoc ipsum attentissimè canens, harmoniæq; cõformatus euadit iouius, vel mercurialis, vel venereus. Interea phębeus euadit, si qdẽ Phębi ipsius musicæ ducis virtus in oĩ cõsonantia viget, atq; vicissim ex cãtu, sonoq; phębeo, ipse phębeus euadẽs, virtutẽ Iouis interim tibi uẽdicas, & Veneris, atq; Mercurij. Rursusq; ex spũ sic intus affecto similiter afficis animã: atq; corpus. Memẽto uero orationẽ aptè, & opportunè cõpositã, & affectu, sensuq; plenã, atq; uehemẽtẽ similẽ cãtib. uim habere. Quãtã in orãdo potẽtiã Damis, & Philostratus habere sacerdotes quosdã Indos narrẽt, referre nõ expedit, nec ẽt quibus uerbis Apolloniũ euocasse manes Achillis affirmẽt. Non. n. loquimur nunc de numinib. adorandis, sed de naturali quadã ptãte sermonis, & cãtus, atq; uerborũ. Esse vero phębeã, mediãq; in sono, & eo q̃dẽ certo potẽtiã ex eo patet, ꝙ qui in Apulia tacti phalãgio sunt, stupẽt oẽs, semianimesq; iacent, certũ q̃sq; suũq; sonũ audiat.

Tunc

Tunc enim ſaltat ad ſonum aptè, ſudatque inde, atque conualeſcit, ac ſi poſt annos 10. ſimilem audiuerit ſonum, ſubito concitatur ad ſaltum, ſonum vero illum ex indicijs eſſe phœbeum, iouialemque conijcio.

Quomodo ſeptem modis nos cœleſtibus accommodare poſſumus, & quibus Saturnus ſit maleficus, quibus propitius, quos Iupiter à Saturno defendat, quomodo cęlum agat in ſpiritum, & corpus, & animam. Cap. XXII.

QVoniam verò cęlum eſt harmonica ratione compoſitũ, mouetur-que harmonicè, & harmonicis motibus, atque ſoni efficit omnia, merito per harmoniam ſolam non ſolum homines, ſed inferiora hæc omnia pro uiribus capienda cœleſtia præparantur. Harmoniam verò capacem ſuperiorum per ſeptem rerum gradus in ſuperioribus diſtribuimus, per imagines videlicet (vt putant) harmonicè conſtitutas, per medicinas ſua quadam conſonantia temperatas, per vapores, odoresque ſimili concinnitate confectos, per cantus muſicos, atque ſonos, ad quorum ordinem, vimque referri geſtus corporis, ſaltusque, & tripudia volumus. Per imaginationis conceptus, motusque concinnos, per congruas rationis diſcurſiones, per tranquillas mentis contemplationes. Sicut enim corpus per harmoniam quotidie ſuam, ideſt per ſitum, & habitum, & figuram opportune lumini, calorique ſolis exponimus, ſic & ſpiritum occultis ſtellarum viribus comparandis, per ſuã quandam ſimilem harmoniam, imaginibus (vt opinantur) & certè medicinis, odoribus harmonicè compoſitis comparatam. Et denique per ſpiritũ ſuper is ita paratum, vt ſæpe iam diximus, animam eiuſdem exponimus, atque corpus: animam inquam quatenus affectu ad ſpiritum inclinatur, & corpus. In anima vero nunc imaginationem, rationem, mentem ponimus: poteſt vtique imaginatio noſtra, vel propter qualitatem, motumque ſpiritus, vel per electionem noſtram, vel etiam vtrique ita diſponi, componi, conformari, Marti, Soliue, vt ſit è veſtigio proprium influxus phœbei, vel martij ſuſceptaculum. Similiter ratio, vel per imaginationem, ſpiritumque ſimul, vel per deliberationem, vel vtrinque, ſic ad Iouem imitatione quadam comparare ſe poteſt, vt multo magis ob dignitatem, propinquitatemque ſuam ipſa Iouem capiat, & munera Iouis quàm imaginatio, ſiue ſpiritus, quemadmodum imaginatio, ſpiritusque, eadem ratione multo magis cœleſtia capiunt, quàm res, & materiæ quæuis inferiores. Mens denique contemplatrix quatenus ſe ipſam non ſolum ab his, quæ ſentimus, verum etiam ab eis, quæ imaginamur communiter, moribusque

argu-

argumentamur, humanis seuocat, & affectu, intentione, vita ad seperata se reuocat, Saturno quodam modo se exponit, huic soli propitius est Saturnus. Sicut enim Sol animalibus quidem nocturnis inimicus est, diurnis autem est amicus: ita Saturnus hominibus, vel vulgarem palam vitam agentibus, vel fugientibus quidem vulgi consuetudinē, vulgares tamen affectus non dimittentibus est aduersus. Vitam namque communem concessit Ioui, separatam vero sibi vendicauit, atque diuinam, mentibus autem hominum re vera hinc pro viribus segregatis, tanquàm sibi cognatis quodammodo est amicus. Nam spiritibus sublimen habitantibus aerem ipse Saturnus (vt platonicè loquar) est pro Ioue, sicut Iupiter hominibus communem agentibus vitam, est iuuans pater, nullis vero Saturnus est infensior, quàm hominibus contemplatiuam vitā simulantibus quidem, nec agentibus. Hos enim nec Saturnus agnoscit, vt suos, nec Iupiter ipse Saturni temperies adiuuat eos, qui communes hominum leges, moresque, & commercia fugiunt. Hęc enim sibi Iupiter vsurpauit (vt aiunt) ligato Saturno, segregata Saturnus. Quamobrem lunares illi populi, quos Socrates in Phædone describit, eminentissimam terræ superficiem, & altiorem nubibus habitātes, viuentes sobrij admodum, frugibusque contenti, & secretioris sapientiæ studio, religionique dediti, Saturni fœlicitatem gustant, vitamque agunt ita prosperam, tam longæuam, vt non tam mortales homines, quàm immortales dæmones habeantur. Quos hæroas multi nominant, aureumque genus Saturnio quodam sæculo, regnoq; gaudens, quod forsan Astrologos Arabes voluisse puto. Vbi aiunt vltra lineam ęquinoctialem ad meridiem esse subtilissimos habitatores quosdam dęmonas, qui nec oriri videantur, neque mori, ibique potestatem habere Saturnum, caudamque draconis. Quod sanè confirmare videtur Albumasar in libro Sadar, dicens, quasdam indiæ regiones Saturno subiectas esse, ibique homines esse valde longæuos, ac senio plurimum extremo decedere, rationemque assignat, quoniam Saturnus non lædit domesticos, sed externos. Tu vero potestatem Saturni ne negligas, hunc enim ferunt Arabes omnium potentissimum, planetas sanè vires eorum subire, ad quos accedunt, omnes vero ad eum accedere potius, quàm vicissim, planetasque coniunctos illi, natura illius agere: est enim ipse inter planetas orbis amplissimi caput. Quilibet sanè planeta sui orbis caput est, & cor, & oculus. Saturnus item stellis proximus est innumeris, primoque mobili quàm simillimus longum agit circuitum, est altissimus planetarum, vnde fœliceem eum vocant, cui ille feliciter aspirauerit. Et quamuis eum tanquàm à communi vita hominū alienum, plerumque maximè venerantur, placari tamen etiam communi

vitæ

vitæ putant, si quando plurimam in ascendente potestatem, dignitatemque habuerit, aut Iupiter eum suus fœliciter aspexerit, vel in suis finibus excellenter acceperit. Alioquin influxus illius importunè susceptus in materia præsertim crassa, fit quasi venenum, sicut & ouum putrefactione, vel adustione fit venenosum, vnde nascuntur, vel euadunt immundi quidam ignaui, tristes, inuidi, dęmonibus immundis expositi, quorum commercium procul effugito. Nam Saturni venenũ alibi quidem sopitum latet, ceu sulphur à flamma remotum: in viuentibus vero corporibus sæpe flagrat, atque vt sulphur accensum, non comburit solum, sed vapore etiam noxio omnia circum implet, atque inficit propinquantes. Contra influxum eius hominibus communiter peregrinum, & quodammodo dissonnm nos armat Iupiter, tum naturali qualitate sua, tum alimentis, medicinisque certe suis, atque (vt putant) etiam imaginibus, tum etiam moribus, negotijsque & studijs, atque rebus ad ipsum propriè pertinentibus. Noxium vero influxum Saturni effugiunt, subeuntque propitium, non solum qui ad Iouem confugiũt, sed etiam qui ad diuinam contemplationem ab ipso Saturno significatam tota mente se conferunt. Hoc enim pacto malignitatem Fati deuitari posse Chaldei, & Ægyptij, atque Platonici putant. Cum enim cęlestia nolint esse corpora vana, sed diuinitus animata, atque insuper mentibus recta diuinis: nimirum illinc ad homines non solum quãplurima ad corpus, & spiritum pertinẽtia, sed multa etiam bona quodammodo in animã redundantia proficisci uolunt non a corporibus in animam, sed ab animis. Magis autem hæc, pluraque eiusmodi à mentibus superioribus cœlo perfluere: inter hęc si rationes omnes assignare uolueris, quibus adductus Moses otium sabbati mandauit hæbreis, forsan ultra sublimiorem, secretioremque allegoriam inuenies Saturni diem, actionibus ciuilibus, bellicisque ineptum, contemplationibus aptum: eoque die diuinum contra discrimina patrociniũ obsecrandum. Quod quidem impetrari posse aduersum Martis, & Saturni minas Habraam, & Samuel, & plures hæbreorum astrologi, eleuatione mentis in Deũ, uotisque, & sacrificijs confitentur: præceptum illud chaldęum confirmantes, scilicet, si mentem ad pietatis opus ardentem erexeris, corpus quoque caducum seruabis. Consideratu dignum est illud Iamblichi: cęlestia, mundanaque numina uires quasdam in se superiores: nonnullas inferiores habere. Per has quidem effectibus nos fatalibus deuincire, per illas autem uicissim soluere nos a fato, quasi claues (ut inquit Orpheus) ad aperiendum habeant, & claudendum: multo igitur magis diuinitas mũdo superior a fatali necessitate nos redimit. Exploratu quoque dignissimum est hębraicum illud in mactandis animalibus, rebusque

que

que nostris sacrificio dissipandis, mala celitus imminentia à nobis ad nostra deflecti, sed Pico nostro exploranda relinquimus. Denique vbicunque dicimus cœlestium ad nos dona descendere, intellige, tum corporum celestium dotes in corpora nostra venire per spiritum nostrum ritè paratum, tum eadem priùs etiam per radios suos influere in spiritum naturaliter, vel quomodocunque illis expositum tum etiam animarum celestium bona partim in eundem spiritum per radios prosilire, atque hinc in nostros animos redundare, partim ab animis eorũ, vel ab angelis in animos hominum illis expositos peruenire, expositos inquàm non tam naturali quodam pacto, quàm electione arbitrij liberi vel affectu. Summatim vero quicunque voto, studio, vita, moribus beneficentiam, actionem, ordinem celestium imitantur, eos existimato tanquàm supernis similiores, ampliores illinc dotes accipere, homines autem artificiosè celestium dispositioni dissimiles, atque discordes, & clam esse miseros, & denique palam infelices euadere.

Vt prosperè viuas, agasque, in primis cognosce ingenium, sydus, genium tuum, & locum eisdem conuenientem, hic habita, professionem sequere naturalem. Cap. XXIII.

QVicunque sane mentis, suique compos nascitur est à cœlo ad honestum aliquod opus, & vitæ genus naturaliter institutus. Quisquis igitur celum optat habere propitium, hoc opus, hoc genus in primis aggrediatur, hoc sedulo prosequatur. Celum enim suis fauet inceptis, ad hoc ipsum vero præ cæteris es natura factus, quod primum à teneris annis agis, loqueris, fingis, optas, somnias, imitaris quod tãtas frequentius, quod facilius peragis, quo summopere proficis, quo præ cæteris delectaris, quod relinquis inuitus. Hoc est sane ad quod re celum, rectorque celi genuit, eatenus igitur tuis fauebit inceptis, & aspirabit vitæ, quatenus genitores ipsius auspicia prosequeris. Præsertim si verum sit platonicum illud, in quo tota consentit antiquitas, vnicuique nascenti esse dæmonem quendam vitæ custodem ipso suo sydere destinatum, qui & ad hoc ipsum officium adiuuet, cui nascentem celestia deputarunt. Quicunque igitur per argumenta, quæ modo diximus suum ingenium perscrutatus, ita naturale suum opus inueniet, inuenerit simul suum sydus, & dæmonem, quorum exordia sequens, aget prosperè, viuetque fœliciter, alioquin & fortunam experietur aduersam, & celum sentiet inimicum. Duo igitur sunt præ cæteris hominum infortunatorum genera, alterum eorum, qui nihil professi, nihil agunt, alterum eorũ, qui professionem ingenio alienã subeunt, genioq; contrariã. Illi quidem ignauia torpent, interim ad actiones incitãte celo semper agente, hi dũ aliena à patronis celestibus agũt, frustra

laborant supernis destituti patronis, primum quidem antiquo prouerbio confirmatur, Dei adiuuant facientes, ignauis autem infensi sunt, secundum prouerbio. simili, nihil agas inuita Minerua. Ob hanc arbitror rationem Iouem in pythagoricis carminibus obsecrari, vt vel ipse tot malis leuet genus humanum, vel saltem quo duce dæmone vtamur, ostendat. Proinde operæpretium fuerit indagare, ad quam potissimum regionem habitandam, & excolendam te tuum sydus, demonque tuus ab initio designauerit, ibi enim magis aspirant. Ea vero est, in quam primum profectus, spiritus tuus quodammodo recreatur, vbi sensus vegetior permanet, vbi corporis habitudo validior, vbi magis plerique fauent, vbi vota succedunt. Hæc igitur experire, hanc regionem elige, hanc cole feliciter, hinc videlicet discessurus infelix, nisi & rediturus, & ad similia pergas. Sed interea frequentibus in hac regione motibus te exerce, gyrosque quosdam cœlestium instar agito, motu enim, circuituque eiusmodi genitus similibus conseruabere. Quantum præterea ad habitationem pertinet, vtiliter recordabere, sicut alimenta vitæ necessaria, rus quidem vrbi suppeditat, vrbs vero consumit, sic & ipsam vitam rusticatione frequenti, vbi tędium te minime ceperit plurimum augeri, sed vrbano cum otio, tum negotio conteri. Quantum vero ad habitationem simul, & professionem spectat, illud orientalium Astrologorum minime contemnendum, videlicet, mutatione nominis, professionis, habitus, victus, loci, cœlestem influxum nobis tum in melius, tum in deterius permutari. Dæmones quoque vel commutari, vel ad eodem aliter hic, & alibi nos habere, platonici iudicabunt dæmonem vero vniuscuiusque custodem, Astrologi cum platonicis geminum esse posse consentiunt, alterum quidem genituræ proprium, alterum vero professionis. Et quotiens professio cum natura consentit, eundem vtriusque dæmonem, vel certe simillimum nobis adesse, vitamque inde nostram magis secum fore concordem, atque tranquillam. Sin autem professio dissidet ab ingenio, dæmonem acquisitum arte esse à genio naturali discordem, vitamque laboriosam, atque sollicitam. Qualis autem vnicuique dæmon ab ipsa generatione præsit cupientibus inuenire, Porphyrius regulam inuestigat ex planeta domino genituræ. Iulius Firmicus planetam genituræ dominum esse, inquit, vel eum qui plures illic habeat dignitates, vel ex firmiori sententia potius eum, cuius domicilium mox petitura sit Luna post signum, quod homine nascente iam tenet. Sed dæmonem non eadem regula putat inuestigandum, verum ex Chaldeorum opinione à Sole potius, aut Luna. A Sole quidem ad Lunam in natiuitate diurna, à Luna vicissim ad Solem in natiuitate nocturna, vt cõputatio inter hæc interuallo

æquale

æquale spatium peragas ab ascendentis gradu descendens, & in quem
terminum desinis animaduertas, cuius enim stellæ est ille terminus,
eiusdem esse dæmonem arbitrantur. Summatim vero à domino ge-
nituræ simul, atque dæmone tenorem vitæ fortunamque perpendere
solent, fortunam adiunxi, quoniam nonnulli partem fortunæ, eadem
ferme computant ratione. Optabant veteres suum ad se dæmonem ab
aliquo cœli cardine descendisse, ab oriente videlicet, vel occidente, vel
medio, vtrinque cœlo, aut saltem ab vndecima, vel quinta plaga. Vn-
decima quidem medio supra caput nostrum cęlo succedit, ac bonus dę
mon cognominatur, & ascendentem ab oriente gradum aspicit ex sex-
tili: quinta vero cœlo antipodum medio succedit, appellaturque bona
fortuna, & ascendentem gradum contuetur ex Trino. Optabant ter-
tio loco dæmonem, si modo à cadenti plaga venerit saltem, vel à nona
venisse, vel à tertia. Nona enim apellatur deus, tertia vero dea, & illa
ascendentem gradum ex Trino, hæc aspicit ex sextili. Cadentes vero
duodecimam, atque sextam exhorrebant, illam sane malum dæmonem,
hanc malam fortunam cognominantes. Nos autem optare præterita
superuacuum arbitrati; monemus easdem plagas, quas illi pro dæmoni-
bus, fortunisque optabant, obseruari pro planetis, & stellis ad efficien-
dum accommodandis, vt vel sint in angulis, aut in duabus, quas dixi-
mus, succedentibus, aut saltem in duabus duntaxat cadentibus, quas
antea nominauimus. Neque enim ab re Solem nona gaudere dicunt,
Lunam tertia, Iouem vndecima, Venerem vero quinta, hæ namque
gradum conspiciunt ascendentem. Sed redeamus ad institutum, siue
igitur ab illa, quam in superioribus narrabant, experientia, diligentia-
que, siue ab hac arte, quam modo recensui, primum inuestigemus na-
turæ, dæmonisque instinctum, infortunatum esse censebimus, qui offi-
cium nullum profitetur honestum. Nam & ducem professionis re vera
non habet, qui opus honestum non aggreditur, & ducem naturalem
vix vllum habet, quoniam stellarum, dęmonumque, siue angelorum
ducum diuinitus ad custodiam dispositorum officium est agere semper
& excellenter, atque latissimè, infortunatum insuper eum, vt (supra di-
ximus) qui professione naturæ contraria, diuersum à genio subit dæ-
monem. Memento vero pro dignitate professionum digniores gra-
datim accipi dæmones, seu mauis angelos, atque in gubernatione pu-
blica, etiam digniores. Posse vero artem, vitæque tenorem accipi ge-
nio & ingenio non contrarium, neque longe diuersum etiam si ad ex-
cellentiora processeris. Memento rursus familiaritatem eorum inire,
quibus gratiæ cœlestes afflant, quod ex bonis animi, corporis for-
tunæ perpendes. Sicut enim odor ex musco, sic ex bono boni non ni-

 hil

hil exhalat in proximum, ac sæpe perseuerat infusum. Mirificus autem foret cętus trium fęlicium, vel duorum inter se mirabiliter redundantium. Memento deniq; effrenatos, & impudentes, & malignos, ac infęlices procul fugere: hi namque malorum pleni dęmonum, vel radiorũ malefici sunt, & tanquàm leprosi, pestilentesq; non solũ tactu nocent, sed propinquitate etiam, & aspectu. Sanè propinquitas ipsa corporum animatorum putatur esse contactus propter efficacẽ vaporum exhalationẽ foras à calore spiritu, affectu manentẽ. Maximè vero pestilẽs erit flagitiosorum familiaritas, atq; crudelium, si verum fuerit post vegetalem vitam mense Iouis, i. secundo nobis infusam, deinceps mensæ Martis. i. tertio sensualem animam infundi perturbationibus mancipatã: sic enim qui perturbatione feruntur, Martis pleni martiali contagione propinquos inficiunt. Contraria vero ratione consuetudo frequens, continuumq; commercium cum fęlicibus, excellẽtibusq; (vt diximus) prodesse mirificè consueuit. Apollonium Theaneum ferunt Ephesi deprehendisse senem, sub cuius figura lateret dæmon, qui sola præsentia totam ciuitatem peste contaminabat. Quantum vero Socrates multis præsentia sola profuerit, Xenophon, & Plato testantur.

Qua ratione litterati cognoscant ingenium, suum sequanturque victum spiritui consentaneum. Cap. XXIIII.

QVoniam vero litterarum studiosis loquor recordari vnumquẽque volo litterarum amore captum in primis se esse mercurialem, præterea solarem quatenus ipse Mercurius est solaris, atq; hæc communis his omnibus est conditio. Propriè verò præter naturã mercurialẽ quisquis eloquij gratia, lepore, dignitate, venustate pollet, Apollinem in se agnoscat, & Venerẽ. Qui ad leges, vel naturalem, communemq; philosophiam est propensior, non ignoret Iouẽ se habere patronum. Sed qui ad secretissima quæq; curiosus perscrutanda penitus instigatur, sciat se non mercurialem esse, sed Saturniũ, sub cuius ẽt principatu sunt oẽs in quouis studio vsq; ad finẽ seduli, præsertim in rebus alijs negligẽtes. Deniq; si uerũ est, quod nonnulli tam physici, quàm astronomi tradũt, animam intellectu præditam in conceptum humanum mense Solis. i. quarto descendere, qui plurimũ intellectu viuunt, & ab initio sunt pręcipuè, & quotidie solares euadunt. Horum itaq; planetarum fauor his hominibus auspicandus erit sub eorũ spiraculo medicinæ conflandę, in eorum regionibus habitandum, verum ad Apollinem Musarum ducem in primis vos ò litterati musarum cultores aduoco. Quicunque igitur inter vos dilectissimi in Musarum amore fratres, ingenio multo magis, longiusq; quàm corpore valent, ij profecto sciant in genitura quondã sua Phębem quidem materiam suppeditasse per paucam, phębeum ve-

ro spiritū infudisse quàmplurimū. Imò & quotidie humores, alimētaq; in corpore, in spiritū maxima quadā ex parte resoluere. Vnusquisq; igit vestrū totus est fermè spiritus, spiritalis inquàm homo quidam terreno hoc corpusculo personatus. Spiritū ante alios perpetuo quodam labore fatigās, vt ipsi præ cæteris sit assiduè spiritus recreandus, & in senectute præterea, in qua cōiter euadit crassior, ad subtilitatē propriā reuocādus. Scitis profecto crassum corpus crassis elementis quatuor ali: scitote igitur spiritale corpus suis quibusdā tenuibus elementis quatuor enutriri. Huic. n. vinū est pro terra, odor ipse vini vicē gerit aquæ, cantus rursum & sonus agit aerē, lumen aūt præfert igneū elementū. His ergo quatuor præcipuè spiritus alitur, vino inquā, eiusq; odore, & cātu similiter, atq; lumine. Sed nescio quō ab Apolline primum exorsi incidimus mox in Bacchū, & meritò quidē à lumine peruenimus in calorē, ab ambrosia in nectar, à veritatis intuitu in ardentē veritatis amorē. Fratres certè sunt, indiuiduiq; comites Phębus, atq; Bacchus: ille quidē duo potissimū vobis affert, lumen videlicet, atq; lyrā, hic itē præcipuè duo, vinū, odorēq; vini ad spiritū recreandū, quorum vsu quotidiano spiritus ipse tandem phębeus euadit, & liber. Quamobrē ita vos excipiendū Solis lumē quotidie cōparate, vt quatenus deuitata destillatione quadā, & exsiccatione fieri potest, frequentissimè sub luce viuatis saltē in conspectu lucis, tū eminus, tum comminus, tu tecti, tum aperti ad vsum vbiq; vestrū vitalē Solis potentiā temperantes, atq, igne referentes in nocte Solem, citharæ, cantusq; interim non obliti. Spirate vero semper, & vigilantes, & dormientes aerem viuū, aerem luce viuentē, similiter habere vos oportet ad merum Bacchi donum Apollinis beneficio procreatum. Eadem igitur proportione, qua lumen, accipite vinum abundè quidem, quatenus nec destillatio, nec exsicca io, qualē dixi, ebrietasve contingat. Atq; præter substantiam vini quotidie bis acceptam, odorem eius frequentiùs haurire partim quidem os, vbi spiritus fuerit recreandus, colluentes mero, partim lauātes eodem manus, partim naribus, & temporibus admouentes. Satis iam fratres collocuti sumus, satisque combibimus, ergo valete.

Astronomica diligentia in liberis procreandis, in præparandis epulis, in ędificijs, & habitatione, atque uestibus, & quantum curare talia liceat. Cap. XXV.

SEd iuuat etiam parumper alloqui seuerum religionis antistitem. Dic age, quid nā in nostro ūvsu dānas antistes? quicquid inquies arbitrio nr̄o detrahit, quicquid vnius Dei cultui derogat: eadē ego tecū nō dāno solū, sed etiā valde detestor. Execraris q etiā scio, atq; ego insup ꝑhorresco nōnullos, q̃ cū Deū exoratū volūt, ad Iouē in medio cęlo vastū illud

lud draconis caput subeuntem tam miseri, quàm stulti confugiunt, ab ipso videlicet dracone, qui quondam è cęlo corruit, tertiam stellarum partem secum trahens, denique deuorandi. Verum concedesne, contractibus, matrimonijs, colloquijs, itineribus, similibusque operibus peragendis, horas opportunas eligere? non facilè te his assensurum video, nescio quid arbitrio metuentem. Ego igitur & si Theologus ille magnus Albertus ista dabit, & ratio quædam forte dictabit, per electionem ipsam ad arbitrium pertinentē, cęlestia ita prudentiæ nostræ vsui subijci quemadmodum herbę medico subministrant, tibi tamen potius in præsentia credam, & quàm tu difficile nunc ea permittis, tam facilè ipse dimittam. Obseruationes vero Lunæ, ideoque aliarum stellarum ad morbos curādos, & idcirco ad remedia pręparanda iam diu, vt arbitror permisisti. Concessum quoque abs te, & insuper approbatū, crescente Luna, eademque aucta lumine, nec aliunde infortunata, seminibus agros spargere, vites, oleasque serere. Cur non igitur ad plantandum (vt cynicè loquar) hominem vtamur beneficio Lunæ, Iouisque, & Phœbi? Nam Veneris quidem ad hæc officio semper vtimur, sed rectius modo dixissem, semper vtuntur: nam ipsa mihi Venus est Diana. Quid item de victu dicemus? non ne licebit, & proderit sub fœlici sydere, tum autumno vinum, tum in dies panem, epulasque conficere? Ac si nequeamus in his præparandis aspectus sydèrum expectare, expedict saltem, ascendentes accipere, vel aliter angulares, Solem, Iouem, Venerem, atque Lunam: sic enim omnia, quibus vtimur, fęliciter affecta cœlitus, fœliciter nos afficient. Hactenus te video absque controuersia concessurum, nisi forte dicas ita, vitā nostram nihil fore aliud, quàm perpetuam seruitutem. Ad hæc ego subijciam, frustra mortales cumulandis pecunijs, & honoribus seruituros, quibus sunt perpetuo mancipati, nisi interim diligentia physica dies vitæ sibi plures accumulent. Aut igitur soli Deo seruiant, quod quidem est potissimum, aut si cui præterea seruituri sunt, vitæ tum validæ, tum longę potius, quàm pecunijs, honoribusque vanis indulgeant, concordes ergo sumus. Sed nunquid vel domos fundabunt temere, vel infaustas habitabunt, vbi contagiosa quædam calamitas edificij fermè sic inficit habitantem, vt venenosus pestilentiæ vapor etiam ad biennium in pariete seruatus, qualis etiam ex epidimia latens in veste, diu postea vtentem inficit incautum, atque perdit. At postquàm hic in vestium incidimus mentionē, prohibebis ne pie pater in veste conficienda, vel primum induenda spiraculum Veneris diligenter aucupari? quo quasi venerea facta vestis, similiter prospera quadam corpus, & spiritum afficiat qualitate? Nonne medici vetant vulpium pelles, agninas probant? non aliter forte sydus

in

in dies quasi nascentes vestes afficit, quàm semel ab initio natas. Vestes quidem, & cætera artis opera certam à sydere qualitatem accipere Thomas Aquinas in libro de Fato confirmat, tu igitur affirmabis. Infectas vero vestes vtentem inficere, etiam testis est scabies, atque lepra, denique si populi vitæ consulis (vt opinor) ista permittes, atque ego permissione tua consulam obseruanda. Sin autem eiusmodi moribundæ vitæ curam non improbas quidem, sed negligendam mones, ego quidem negligo, melioris vitæ fiducia fretus, cęterisque similiter consulo faciendum. Vale.

Quomodo per inferiora superioribus exposita deducantur superiora, & per mundanas materias mundana potissimum dona. Cap. XXVI.

SEd ne longiùs digrediamur ab eo, quod interpretantes Plotinum instituimus ab initio, breuiter ita collige. Mundus ab ipso bono (vt Plato vnà cũ Thimæo pythagorico docet) quã optimus effici poterat, est effectus: est igitur nõ solũ corporeus, sed vitæ insuper, & intelligẽtię particeps. Quãobrẽ præter corpus hoc mundi sensib. familiariter manifestũ, latet in eo spiritus corpus quodã exercens caduci sensus capacitatẽ, in spiritu viget anima, in anima fulget intelligentia. Atque sicut sub Luna nec miscetur aer cũ terra nisi per aquã, nec ignis cũ aqua, nisi per aerẽ, sic in vniuerso esca quædã, siue fomes ad animã corpori copulãdã est ille ipse, quem spiritum appellamus. Anima quoque fomes quidam est in spiritu, corporeque mundi ad intelligentiam diuinitus consequendam, quemadmodum summa quædam in ligno siccitas ad penetraturum oleum est parata, oleum huic imbibitum pabulum est ad ignẽ ad calorem dico proximè. Calor ipse luminis est vehiculum, ac si lignum hoc eiusmodi sit, vt igne præsente fulgeat, non vratur, qualia quandoque vidimus, iam hoc exemplo videbimus, vtrum vel homo, vel aliud quidam sub Luna, certis quibusdam præparamentis, partim quidem naturalibus, partim arte quæsitis, vitalia, atque etiam forte intellectualia quędam bona opportunè quodammodo desuper accipere possit. Verum quod hic ad religionem spectat, discutiemus alibi, vbi Plotinus in medium hæc adducet. Quod vero ad naturales spectat influxus, qualescunque sint desuper venientes, scito eos in nobis, materijsque nostris ita demum per artem comparari posse, quando fomenta nobis, nostrisque ad illos natura suggesserit, cœlumque ad eosdem opportuniùs conspirauerit. Nonne in ipso fętu natura fœtus ipsius artifex, cum certo quodam pacto corpusculum affecerit, figurauerit-que, hoc ipso statim præparamento, velut esca quadam spiritum ab vniuerso deducit, perque hunc velut fomitem vitam haurit, atque animam? Ac denique per certam animæ speciem, dispositionemque corpus

pus ita viuens dignum est præsentia mentis tandem donate diuinitus, vbique igitur natura magna est, vt inquit Plotinus, atque Synesius, videlicet certa quædam pabulis vbique certis inescans non, aliter quàm centro terræ grauia, trahens Lunæ concaua leuia, calore folia, humore radices, ceteraque similiter. Quo quidem attractu secum ipso deuinciri mundum testantur sapientes indi, dicentes mundum esse animal passim masculum simul, atque fœminam, mutuoque membrorum suorum amore vbique coire secum, atque ita constare: vniculum vero membrorum inesse per insitam sibi mentem, quæ totam infusa per artus agitat molem, & magno se corpore miscet. Hinc Orpheus naturam ipsam mundi, Iouemque mundanum marem appellat, & fœminam, vsque adeo mutui pretium suarum coniugij vbique mundus est auidus. Esse vero masculinum, sexum fœminino vbique commixtum declarat illinc quidem odor signorum, vbi præcedens perpetuò deinceps ordine masculinum est subsequens fœmininum, hinc vero arbores, atque herbæ, quem etiam sicut animalia vtrunque sexum habent. Mitto quòd ignis ad aerem, aqua ad terram masculi vicem tenet ad fęminam, vt non mirum sit membra inter se mundana, & omnes eius articuli mutuum coniugium concupiscere. Quod & planetæ conciliant, partim quidem mares, partim vero fœminæ, præcipuè vero Mercurius masculus, atque fœmina hermaphroditi pater, quod sane animaduertens agricultura præparat agrum, seminaque ad cœlestia dona, & insitionibus quibusdam, vitam plantæ propagat, & ad speciem alteram, melioremque perducit. Similia quædam efficit medicus, & physicus, & chirurgicus in corpore nostro, tum ad nostram fouendam, tum ad vniuersi naturam vberius comparandam. Idem quoque philosophus naturalium rerum astrorum peritus, quem propriè Magum appellare solemus, certis quibusdam illecebris, cœlestia terrenis opportune quidem, nec aliter inserens, quàm insitionis studiosus agricola veteri recentem stipiti surculum. Quod & Ptolemeus valde probat, affirmans eiusmodi sapientem sic astrorum opus adiuuare posse quemadmodum agricola terræ virtutem. Subijcit magus terream cęlestibus immo inferiora passim superioribus, vt proprias vbique feminas suis maribus fęcundas, vt ferrum magneti trahendum, vt camphoram aeri feruenti sugendam, vt crystallum soli illuminandum, vt sulphur, & sublimem liquorem accendendum flammæ, vt oui testam vacuam, & impletam rore soli eleuandam, immo, vt ouum ipsum gallinæ fouendum. Præterea sicut nonnulla fouentes oua etiam sine animalibus vitam illis ex vniuerso conciliant, & sæpe materias quasdam opportunè parantes absque ouis manifestisque seminibus animalia procreant, vt ex ocimo

Scorpio-

Scorpionem, apes ex boue, ex saluia auem Merulæ similem. Vitam videlicet à mundo materijs certis, opportunisque temporibus adhibentes: sic & ille sapiens, vbi cognouit, quæ materiæ, siue quales partim inchoatæ natura, partim arte perfectæ, & si sparsæ fuerint congregatæ, qualẽ cęlitus influxum suscipere posſint, has eo regnante potisſimum colligit, præparat, adhibet, sibique per eas cœlestia vendicat. Vbicunque enim materia quædam sic superis exposita est, sicut speculare vitrum vultui tuo, pariesque oppositus voci subito superne patitur ab agente, videlicet potentisſimo à potestate, vitaq; mirabili vbiq; præsente, virtutemque pasſione reportat, non aliter quàm & speculum imaginem repræsentat ex vultu, & ex voce paries echo. His fermè exemplis ipse Plotinus vtitur, vbi Mercurium imitatus ait, veteres sacerdotes, siue magos in statuis, sacrificijsque sensibilibus diuinum aliquid, & mirãdum suscipere solitos. Vult aũt vnà cũ Trismegisto per materialia hæc non propriè suscipi numina penitus à materia segregata, sed mundana tantum, vt ab initio dixi, & Synesius approbat. Mundana inquàm, idest vitam quandam, vel vitale aliquid ex anima mundi sphęrarum animis, atque stellarum, vel etiam motum quendam, & vitalem quasi præsentiam ex dæmonibus, immo interdum ipsos dæmonas eiusmodi adesse materijs. Mercurius ipse, quem Plotinus sequitur, inquit, dæmonas aereos, non cœlestes nedum sublimiores statuas, quæ Mercurius ipse componit ex herbis, arboribus, lapidibus, aromatis, naturalem vim diuinitatis (vt ipse ait) in se habentibus. Adiungunt cantus cœlestibus similes, quibus ait eos delectari, statuisq; sic adesse diutius, & prodesse hominibus, vel obesse. Addit sapientes quondam Ægyptios, qui & sacerdotes erant, cum non possent rationibus persuadere populo esse deos, idest spiritus aliquos super homines, excogitasse magicum hoc illicitum, quo dæmonas allicientes in statuas, esse numina declararent. Sed Iamblichus damnat Aegyptios, quòd dæmonas non solum vt gradus quosdam ad superiores deos inuestigãdos acceperint, sed plurimum adorauerint. Chaldæos vero dæmonibus non occupatos, Aegyptijs anteponit, Chaldeos inquàm religionis antistites. Nam Astrologos tam Chaldeorum, quàm Aegyptiorum quodammodo tentauisse dæmonas per harmoniam cęlestem in statuas fictiles trahere suspicamur. Quod significare videtur Astrologus Samuel hębreus auctoritate Dauidis bis astrologi fretus, antiquos videlicet fictores imaginũ fecisse statuas futura pronunciantes. Harmoniam vero cęlestium his accommodatam esse tradit, metallum fundere ad hominis pulchri formam die Mercurij, hora tertia, scilicet Saturni. Quando Mercurius Saturnum in Aquario subit in nona cœli plaga, vaticinium designante

ascenditque geminorum sydus, significans prophetas (vt aiunt) Mars à Sole comburitur, nec Mercurium intuetur. Sol tamen aspicit coniunctionis illius locum: Venus interea aliquem obtinet angulum, occidentalis est, & potens, Luna ex trigono gradum aspicit ascendentem, similiterque Saturnus, hæc illi. Ego autem primo quidem ex B. Thomæ sententia puto, si modo statuas loquentes effecerint, non simplicẽ ipsum stellarum influxum ibi formauisse verba, sed dæmonas. Deinde si forte contigerit eos in eiusmodi statuas ingredi, non arbitror hos ibi per cęlestem influxum fuisse deuinctos, sed sponte potius suis cultoribus obsecutos, denique decepturos. Nam & natura superior ab inferiore conciliatur quidem aliquando, sed cohiberi nequit, & dispositio illa syderum paulo ante descripta concurrere forte non potest, quamuis autem dæmones astronomica ratione statuis non includantur, tamen vbi per cultum eis exhibitum præsentes extiterint. Porphyrius ait eos regulis astronomicis oracula reddidisse, atque ideo frequenter ambigua, & meritò, quoniam Iamblichus probat prophetiam verã, atque certam, nec malis dæmonibus conuenire, nec humanis artibus, vel natura, sed spiratione diuina purgatis mentibus prouenire, sed ad Mercurium, immo ad Plotinum iam reuertamur. Mercurius sacerdotes ait accepisse virtutem à mundi natura conuenientem, eamque miscuisse. Secutus hunc Plotinus putat, totum id anima mundi conciliante facilè confici posse, quatenus illa naturalium rerum formas per seminales quasdam rationes sibi diuinitus insitas generat, atque mouet. Quas quidem rationes appellat etiam Deos, quoniam ab ideis supremè mentis nunquàm destituuntur. Itaque per rationes eiusmodi anima mundi facilè se applicare materijs, quas formauit ab initio per easdẽ, quãdo magus, vel sacerdos opportunis temporibus adhibuerit formas rerum ritè collectas, quæ rationem hanc, aut illam propriè spectant, sicut magnes ferrum, reubarbarũ coleram, crocus cor, eupatorium spodiumque iecur, spica, muscusque cerebrum. Fieri posse vero quandoque, vt rationibus ad formas sic adhibitis sublimiora quoque dona descendant, quatenus rationes in anima mundi coniunctæ sunt intellectualibus eiusdem animæ formis, atque per illas diuinæ mentis ideis, quod & Iamblichus approbat, vbi de sacrificijs agit. Qua de re alibi nos opportunius disputabimus, vbi etiam apparebit quàm impura superstitio populi gentilis extiterit. Contra vero, quàm pura pietas Euangelica fuerit, quod magna ex parte in libro de religione Christiana iam fecimus.

Apolo-

Apologia quædam, in qua de medicina, astrologia, vita mundi, item de Magis, qui Christum statim natum salutauerunt. Cap. XXVII.

MArsilius Ficinus Florentinus dilectissimis suis in veritatis studio fratribus tribus Petrus, Nero, Guiciardino, Soderino, ter, quaterque salutem. Rectiùs modo tripetro, quàm tribus Petris fortasse dixissem. Sicut enim vbi palma est vna, non faciunt plures in ea digiti manus ibi plures, sic vestra amici corpora tria nihil prohibere videntur, quo minus vnum efficiat Petrum, vna voluntas. Faber ille cœlestis patriæ Christus tam ingentem procreauit petram, vt immenso huic ædificio ecclesiæ suæ vna hæc petra fundando sufficeret. Ego quoque tam grãdes nactus sum diuina quadam sorte Petras, vt tres nunc meo vel arduo satis ædificio faciant. Nunc vobis amici nunc, si nescitis, arx illa Palladis necessaria fore videtur, qua procul à nobis sæuum impiorum gigantum impetum arceamus. Quamobrem vestra primum arce tribus constructa Petris, trium librorum meorum vitam, vitæ publicæ succurrentium munire decreui. Scitis (vt arbitror) me de vita librum composuisse in libellos tres diuisum, quorum primus de vita sana, secundus de vita longa, tertius de vita cœlitus inscribetur. Igitur esca tituli tam suauis, quàm plurimos alliciet ad gustandum, sed in numero tanto ignorantes plerique futuri sunt (vt arbitror) maligni quoque non pauci. Alius ergo dicet, nonne Marsilius est sacerdos? & profecto, quid igitur sacerdotibus cum medicina? quid rursum cum astrologia cõmercij: alius item: quid Christiano cum magia, vel imaginibus: alius autem & quidem indignus vita, vitam inuidebit cęlo, cuncti denique sic affecti, beneficio in eos nostro ingrati nimis erunt. Atque aduersus caritatem nostram, qua vitæ, prosperitatique publicæ pro ingenij facultate consulimus, non pudebit esse crudeles. Communis igitur erit vobis iste labor, sed vt quodammodo leuior sit: tres enim estis aduersum tres hostes, distributum subite certamen. Nec inuectiua (noui enim ingenium vestrum) confutabitis inuectiuam, sed alieni fellis amaritudinem, quæ vestra suauitas est, mirifica vestri mellis dulcedine superabitis. Principio candidissime Nere respondeto primis, antiquissimos quondam sacerdotes fuisse medicos pariter, & astronomos, quod sane Chaldęorum, Persarum, Ægyptiorum testificantur historię. Ad nullum præterea magis, quàm ad pium Sacerdotem pertinere singularis Charitatis officia, quæ quidem in maximo omnium beneficio quàm maximè lucent. Officium vero præstantissimum est proculdubio, quod & maximè necessari um, & in primis ab omnibus exoptatũ

 efficere

efficere videlicet, vt hominibus sit mens sana in corpore sano: id autem ita demum præstare possumus, si coniungimus sacerdotio medicinam. At quoniam medicina sine fauore cęlesti, quod & Hippocrates, Galenusque confitentur, & nos experti sumus, sæpius est inanis, sæpe etiam noxia, nimirum ad eandem Sacerdotis charitatem Astronomia pertinet ad quam attinere diximus medicina. Eiusmodi (vt arbitror) medicum honorari sacræ litteræ iubent: quoniam propter necessitatem hunc altissimus procreauerit. Et Christus ipse vitæ largitor, qui discipulis mandauit, languentes toto orbe curare, Sacerdotibus quoque præcipiet, si minus verbis, vt illi quondam mederi possint, saltem herbis, & lapidibus medeantur. Quæ si minus ipsa sufficiant opportuno quodam afflatu cœli conflare hæc, & ægrotis admouere iubebit. Nam & ipse eodem afflatu cœli animalia passim ad suam quæque concitat medicinam vsque adeo vitæ omnium abundātissimè prouidet. Sic instinctu cœlesti diuinitus instigante, serpentes quidem maratro, hirundines autem celidonia oculis medicantur, aquilę vexatę partu ætitem lapidem diuinitus inuenerunt, quo fœliciter oua statim eniterentur. Itaque Deus ipse, qui per cœlum animalia quæuis ad medicinas instigata, Sacerdotes certe permittit, nō mercede inquam, sed charitate medicinis cœlitus confirmatis morbos expellere: his vero tu deinceps, plura etiam si expedierit ingenij tui aculeis addes. Surge post hæc, & tu Guiciardine vehemens, atque curiosis ingenijs respondeto, magiam vel imagines non probari quidem à Marsilio, sed narrari, Plotinum ipsum interpretante, quod & scripta plane declarant, si æqua mente legantur. Neque de magia hic profana, quæ cultu dæmonum nititur verbum quidem vllum asseuerari, sed de magia naturali, quæ rebus naturalibus ad prosperam corporum valetudinem cęlestium beneficia captat, effici mentionem. Quæ sane facultas tam concedenda videtur ingenijs legitimè vtentibus, quàm medicina, & agricultura iure conceditur, tantoque etiam magis, quanto perfectior est industria, terrenis cęlestia copulans, ex hac officina Magi omnium primi Christum statim natum adorauerunt. Quid igitur expauescis Magi nomen formidolose? nomen Euangelio gratiosum, quod non maleficum, & veneficum, sed sapientem sonat, & Sacerdotem. Quidnam profitetur Magus ille venerator Christi primus? si cupis audire quasi quidam agricola est, certe quidam mundicola est. Nec propterea mundum hic adorat, quemadmodum nec agricola terram, sed sicut agricola humani victus gratia ad aerem temperatur agrum, sic ille sapiens Sacerdos gratia salutis humanæ inferiora mundi ad superiora contemperat, atque sicut oua gallinæ, sic opportunè terrena subijcit fouenda cęlo. Quod efficit semper

per ipse Deus,& faciendo docet, suadetque facere, vt à superis infima generentur,& moueantur,atque regantur. Denique duo sunt magiæ genera, vnum quidem eorum, qui certo quodam cultu dæmonas sibi conciliant,quorum opera freti fabricant sæpe portenta:hoc autem penitus explosum est, quando princeps huius mundi eiectus est foras. Alterum vero eorum, qui naturales materias opportunè causis subijciunt naturalibus, mira quadam ratione formandas. Huius quoque artificij species duæ sunt, altera quidem curiosa, altera necessaria, illa sanè ad ostentationem superuacua fingit prodigia, ceu quando Persarum Magi ex saluia sub fimo putrefacta, dum Sol & Luna secundam Leonis faciem occuparent, eundemque gradum ibi tenerent, generabant auem merulæ similem, serpentina cauda, eamque redactam in cinerem infundebant lampadi: vnde domus statim plena serpentibus videbatur: hoc autem tanquàm vanum, & saluti noxium procul effugiendum, tenenda tamen species necessaria cum astrologia copulans medicinam. Siquis autem pertinax vlterius instet,morem huic ita gerito Guiciardine,vt ne legat hæc nostra,nec intelligat,nec meminerit, nec vtatur homo,si homo est tanto beneficio prorsus indignus. Multa sunt præterea, quæ tu aduersus ingratam ignorantiam in medium afferre tuo ingenio poteris. Quidnam agis & tu strenue Soderine noster? tollerabis ne superstitiosos, cęcosque nescio quos futuros, qui vitam in animalibus,vel abiectissimis,herbisque vilissimis manifestam vident, in cęlo, in mundo non vident. Iam vero si homunciones isti vitam minimis concedunt mundi particulis, quæ tandem dementia est? quæ inuidia? nec nosse,nec velle totum viuere,in quo viuimus, & mouemur,& sumus. Quod quidem canit Aratus, Iouem manifestè significans communem corporis mundani vitam,peroportunè nūc in hęc Arati verba nescio quomodo videor incidisse. Memini Lucam Euangelistam, memini Paulum Apostolum his verbis libenter vti, in quibus mundi vitam sapientes illi non horrent. At vero superstitiosus, quidam his obijciet non facile conuinci ex verbis eiusmodi Paulum assentiri mundum habere animam,sed tantum subesse Deo,ac nos in hoc ipso Deo viuere, esto igitur. Ne nominemus in mundo quando non placet, animam, nomen anima sit profanum,licebitne saltem vitam qualemcunque dicere, quàm Deus ipse mundi faber huic operi suo tam fęliciter absoluto clementer inspiret? Quandoquidem erga vilissima quæque viuentia non est auarus,& quotidie per cęlum quàm plurimis,quæ sunt in eo largissimè præstat vitam. Dic amabò nonne vides boues & asinos, ò bos ò asine, qui tactu quodam ex viuentia generant esse viuos? Si ergo hæc præterea ex se viua quædam aspectu

etiam

etiam generarent, an non multo magis hæc viuere iudicares? si quod modo ipse iudicium, si quam vitam habes. Cęlum terræ maritus non tangit (vt communis est opinio) terra cum vxore non coit, sed solis sy-derum suorum quasi oculorum radijs vndique lustrat vxorem, lustrando fęcundat, procreatque viuentia: Num ergo vitam vel intuendo largiens, ipsum in se propriam nullam habet vitam? & quod dedit aui struthio vitam, aspectumque viuificum, longe est hoc ipso deterius? His tandem adductis in medium, nisi persuaseris superstitiosum istum mitto semiuiuum, immo vero non viuum. Proinde vt pluribus causam nostram patronis agamus, addito Petre mittere Amphionem illum nostrum Landinum Christophorum oratorem, pariter & poetam, ille noster Amphion suauitate mira celeriter lapidea hostium nostrorum corda demolliet. Tu vero Guiciardine carissime compater ito nunc, ito alacer, Politianum Herculem accersito, Hercules quondam vbi periculosius certandum foret, vocitabat Iolaum, tu nunc similiter Herculem. Nosti profecto quot barbara monstra Latium iam deuastantia Politianus Hercules inuaserit, lacerauerit, interemerit, quàm acriter expugnet passim, quàm tuto propugnet. Hic ergo vel centum hydræ capita nostris liberis minitantia statim confundet claua, flammisque comburet. Eia mi dulcissime Soderine, surge age Picum salutato phębeum, hunc ego sæpe phębeum appello meum, ille me Dionysium vicissim, atque liberum. Fratres ergo sumus nuncia Phębo meo venenosum contra nos Pythonem, ex palude iamiam emergentem, tendat arcum obsecra præcor, confestim spicula iaculetur. Intendet ille protinus, scio quid loquor, venenumque totum semel vna nece necabit. Valete iam fœliciter amantissimi fratres mei, non valetudine tantum fœlici, sed ipsa etiam fœlicitate digni, liberorumque meorum in lucem iã prodeuntium valetudinem, fœlicitatemque curate. xv. Septembris. M. CCCCLXXXIX.

Quod necessaria sit ad vitam securitas, & tranquillitas animi. Cap. XXVIII.


MArsilius Ficinus dilectissimis in veritatis venatione fratribus Bernardo Canisiano, Ioanni Canacio, Amerigo Cursino salutem. Cũ primis hic in verbis venationem quandam instituissemus, meritò forsan canes statim adhibuimus, & cursores. Apte quidem philosophantes appellauimus venatores, anhela semper veritatis indagine laborantes, num etiam aptè canes? Aptissimè inquit in republica Socrates, philosophantes enim vel legitimi sunt, vel spurij, ambo canes. Illi quidem veritatem ipsam sagaciter inuestigant, mordicus inuentam tenent: hi

vero

vero pro opinione latrant, mordent, lacerant. Tantum profecto canes inter philosophos sibi vendicant, vt non solum seipsos in sectam aliquã inseruerint, sed etiam sectam ipsi suam nomine cynicam quandoque consecerint. Habet quin etiam suos academia canes, huc ergo vos sagaces academiæ canes, huc vos velocissimi cursores aduoco. Tria enim estis, tres ego nunc meos præcor defendite libros adhuc teneriores, inter lupos (vt vereor) e uestigio udituros. Currite inquàm alacres, negotia enim nunc vobis optata mando, non curas, Georgium benignum Saluiatum cognoscitis meum, qui veritatem illã, per cuius nunc vos vestigia passim venando discurritis, iamdiu est sagaciter assecutus, qui & fratres suos Solis instar maior ipse minores illustrat. Huic igitur si quem luporum vlulatũ audieritis nunciate, fortissimus ille Georgius omnes facilè fugabit lupos, qui & vastum draconem quandoque transfixit, ille me igitur ille sollicitudine simul, & vos cura leuabit. Solet enim inter vos aliquis, & quidem iam sæpius dicere, nihil ad vitam salubrius experiri, quàm magna cum securitate tempora deglutire, cęteri vero dicenti protinus arridere. Sed dic age canaci, quid nam hoc tuum est totiens repetitum tempora deuorare? quid denique tibi vis, non esse inquies, sed bibere potius, non mandere, vel conterere, sed faucibus plenis ingurgitare. Siquidem tempus ipsum natura quædam est liquens (vt ita dixerim) atque labilis, liquentium vero hæc est conditio, vt si cohibeas in angustum, subito perdas: diffluunt enim coacta, celeriterque diffugiunt. Si aquam spongiæ imbibitam forte compresseris, exprimes eam, statimque disperges, si latiùs hanc tenueris, retinebis multo magis aerem, ignemque, & ętherem. Hinc apud poetas frustra contendunt, qui ampla diuorum, maniumve simulachra vlnis capescere moliuntur. Late admodum accipienda sunt latissima liquentia, & amplissima sunt aplissime possidenda. Tunc certe grauiter nos premit angustia, quando animum ipsum, motumque eius naturaliter amplum redigemus in angustum. Quicunque studia, negotiaque pensitant examussim, & in minima quæque semper exactissimè deterunt, vitam interea suam, heu suam vitam clam miseri conterunt. Recte igitur Pythagoras præcepisse videtur, caue ne quando in angustum forte cohibearis, nihil cęlo amplius, nihil est vitalius. Angustissima vicissim terra vitam habet in mundo quàm minimam, denique si cœlo, temporeque viuimus, quãto hęc latiùs absorbemus, tanto viuimus & diutiùs. Viuite ergo læti ab angustia procul ò amici, viuite læti, lætitia cœlum vos creauit sua, quam suo quodam risu, idest dilatatione motu splendore declarat quasi gestiens. Lætitia cęlum vos seruabit vestra, ergo quotidie in præsens viuite læti, nam solicitudo præsentium, rapit vobis

bis præsens, præripitque futurum, curiositas futurorum celeriter in præteritum vos traducit, iterum igitur precor, atque iterum, viuite lęti, nam fata sinunt, dum securi viuitis. Sed vt re vera benè cura viuatis, ne vnam quidem hanc curam sumite, qua solliciti curetis vnquàm qua potissimum diligentia cura effugiatis: vna enim cura hæc mortalibus heu miseris omni cura cor vrit. Negligite igitur diligentiam, negligentiam vero diligite, atque hanc etiam negligenter, quoad licet vobis inquam, atque decet. Hæc autem non tam vt Sacerdos amici mando vobis, quàm vt medicus: nam absque hac vna tanquàm medicinarum omnium vita, medicinæ omnes ad vitam producendam adhibitæ moriuntur.

FINIS.



MARSILII FICINI FLORENTINI MEDICI, ATQVE PHILOSOPHI CELEBERRIMI,

Epidemiarum Antidotus.

Ex idiomate Thusco, à Hieronymo Ricio Latinitate donata.

PRAEFATIO.



PERAEPRETIVM duxi, patriæ pietatis impulsu, aliqua consilia contra pestilentiæ morbum conscribere. Vt verò quisque huius penetrare intelligentiam, & curam exercere possit, institui subtiles omnes, longasq́; disceptationes reijcere. Satis namque erit, quod quicquid in præsentia sum traditurus, etsi breui verborum contextu haud plura dici queant, sufficientibus tamen rationibus, multorumq́; tam priscorum, quàm recentiorum auctoritatibus, & experientijs, præsertim patris nostri Marsilij Ficini, inter medicos præcipui, qui haud paucos hac labe infectos pristinæ sanitati restituit, & comprobatum est, & traditum. Imploramus itaque Deum Opt. Max. humanæ vitæ largitorem, nec non verarum, salutariumq́; medicinarum reuelatorem, vt contra pestis pericula efficacia nobis detegat remedia, vtq́; suum vitale donum nobis ad laudem, gloriamq́; suam conseruet.

MARSILII FICINI FLORENTINI MEDICI, ATQVE PHILOSOPHI CELEBERRIMI.

LIBER QVARTVS.

Quid, qualisve sit pestis. Cap. I.



PESTIS, venenosus quidam vapor est in aere concretus, vitali inimicus spiritui: non quòd propter elementarem aliquam qualitatem sibi contrarietur, sed specifica quadam proprietate. Veluti theriaca, amica quidem est, non quia calida sit vel frigida, sicca vel humida, sed quoniam ex vniuersa eius compositione forma resultat quædam, vitalis formæ spiritus accommodata: Sic & pestifer ille vapor non quia calidus, frigidus, humidus vel siccus, naturę inimicus est, sed quia sua proportio quasi adamussim proportioni contraria est, in qua spiritus consistit in corde vitalis. Et quemadmodum continuo in terra nascuntur venena, sic sæpenumero nascitur venenosus in aere vapor: attamen non ita potens, quia magis spargitur. Nec puro stabiliri potest in aere, quousque talis aer est spiritui conformis, & igni, qui ex suæ naturæ potentia alterius non recipit naturæ mixtionem, vnde fit quod nullam capiat putrefactionem. Sic purus aer nullam recipiendo mixtionem, putrefieri minimè potest, rursus venenosus huiusmodi vapor, humano ei solùm applicatur corpori, in quo apti ad febrem extant humores, vtpotè qui ad putredinem, inflammationemque sunt dispositi. Etenim si vitalis potentior ipso fuerit spiritus, procul à se pellit, si verò debilior, fugit eundem, suum veluti contrarium opus. Quapropter est ex vsu, aerem, humores, & denique cor corrigere, purgare, roborare. Notandum (vt rectè capias) quum dico venenosum hunc esse vaporem, tu ne crediderìs ipsum

ſum fore talem ſecundum formam, & totam ſui naturam, quia omnes indeficerentur: Sed huiuſmodi eſt qualitatis, vt quàm facillimè in veneni naturam tranſeat. Et propriè venenum efficitur, quando per ipſum in humano corpore, certo quodam gradu putrefiunt humores, ſimul, & ebulliunt. Quod communiter die tertia ſolet accidere, & interdum citius, maximè vbi quis ſuperfluis abundat humoribus, præſertim ſanguine & cholera. Et quando iam veneni ſuſcipit naturam, calcis vel arſenici qualitatem recipit, cuius effectus eſt putrefacere, rodere, ardere intus & extra. Summe igitur neceſſum eſt, vt his trinis effectibus, potiſsimum interius, omni qua poſſumus induſtria reſiſtamus.

Epidemię ortus cauſæ, & quæ potiſsimum huic malo obnoxia ſint corpora. *Cap. II.*

COncreatur huiuſmodi vapor in aere, vniuerſalioris tempore peſtis ex malignis quibuſdam conſtellationibus, præſertim ex Martis cum Saturno in ſignis humanis coniunctione, & ex luminarum eclipſibus: Qualis eſt præſentis peſtis in anno ſcilicet milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimonono: & qualis etiam fuit anno eiuſdem milleſimi octauo, & hoc potiſsimum lædit homines. Hiſque graſſatur in locis, quæ Horoſcopum, ſiue ſuum Aſcendentem ob prædictos ſyderum aſpectus infortunatum habent. In magis verò particularibus peſtilentijs, præfatum naſcitur venenum, ex ventis & malignis lacunarum, cloacarumque vaporibus, atque pariter ex terræ motibus. At verò data iſtarum quacunque cauſa, ſemper tamen groſſo potiſsimum regnat in aere, inque paludoſo, nebuloſo, fœtido. Et quando ſubtilem ad aerem extenditur: penetrat, velociuſque interimit, ac citius, frequentius, diutiuſque in groſſo, calido, humido, fœtidoque aere regnat. Aſſerunt Doctorum nonnulli peſtilentialem putrefactionem ſubtili priùs, poſt verò groſsiori ineſſe aeri, ſed multo durabiliorem in groſſo. Haud ſcio, quo mentis diſcurſu, quo fundamento primæ ſit mihi parti adhærendum, quum contrarium experientia monſtret. Præterea nobis ratio dictat, quòd quum non purum, ſed tantummodo mixtum elementum putrefieri poſsit: quò minus eſt mixtum, quēadmodum eſſe conſtat ſubtiliorem aerem, eò minus aptum eſt ad putrefactionem. Et propter eam non niſi per aſsiduum ſuſcipit augmentum peſtiferæ ſyderum influentiæ. At veluti groſsior, mixta & ſtabilis aqua facilior putrefieri ſolet, ſic vtique haud difficulter putrefactionem recipit groſſus & nebuloſus aer. Hoc dat præceptum Raymundus, quod peſte inferius excitata, altior ſubtiliorque petendus eſt aer, ſed orta ſuperne, per duos menſes primo fugiendum eſt deor-

ſum ad gloſsiuſculum frigidum, humidum, purumq́ue aerem, vbi rara eſſe ſoleat infirmitas. Sequentes verò duos menſes ad mediam aeris regionem, deinceps ad paulò altiorem, videlicet ſiccum, frigidum, & ſubtilem, ſemper fugiendo calidum, humidum, & nebuloſum. Quo in aere tales ſunt homines, quales turbidis piſces in aquis. Id inſuper facit peſtilentialis aer in hominibus, quod caliginoſæ, putresq́ue in piſcibus aquæ. Sed quod hominibus venenum eſt, non oportet vt ſemper tale cæteris ſit animantibus, propter cœleſtium ſignorum ac animalium ſpecierum diuerſitatem. [Hinc oritur vt de illorum opinione quid dicam, ignorem penitus, aſſerentium quando peſtilentiale incipit in aere venenum, quod tunc quæ ſemper in alto degere ſolent auiculæ, deſcendunt ad ima, & planitiem inhabitant: Sed quando in terra oritur tunc lumbricos & ſerpentes exire dicunt de ſinu terræ, & auiculas quarum conſuetudo eſt volare, habitareq́ue ad imum, ſublimia petere, & montes adire. Addunt præterea, quod quando primùm in aere, poſt verò in terra venenum accenditur, interdum fugiunt animantia ex alto deorſum, & exinde rurſus altiora repetunt. Hinc eſt quod vulgo dici ſolet, vultures ſeu miluos peſtilentiali cedere aeri, & quæ loca huiuſmodi tenent milui, peſtifero non ſubeſſe aeri. Sæpius audiuimus hanc contagionem ab hominibus tranſijſſe ad porcos. Fieri forſitan id potuit per aliquam non quidem ſpiritus, ſed carnis ſimilitudinem. His proximè elapſis diebus ſemel atque iterum peſtilentię morbum ex vna in alteram domum tulere feles, & canes, ipſis tamen nulla ex parte hac contagione læſis. Nec vlla te propterea admiratio capiat, quod interdum ſine omni nocumento, homo vel beſtia prædictum ſuſcipiant vaporem, ac tamen alios inficiant. Ignitum nanque ferrum ſtupam conſumit, & paleam, ipſum verò nullatenus conſumitur. Hoc enim ex recipientis ſubiecti diſpoſitione prouenit, in quo potiſsimum ſecundum Ariſtotelem, Galenum & Auicennam, rei conſiſtit effectus, ita vt his proximis diebus bimus noſtro in rure puerulus integro ſtetit die, infecto cum puero, annorum plus minus ſeptem, cibo ſæpius veſcebatur infecti ore pueri maſticato, neque vllam ab ipſo morbi labem ſuſcepit, qua tamen correpti fuerunt alij longiuſculè diſtantes. Nec nimiam habeas tua in diſpoſitione fiduciam, cogitando te eius eſſe valetudinis, vt minimè hæc tibi timenda ſit contagio, ſed hunc phyſicum obſerua canonem: Quod quando multum diſpoſita eſt materia, agens tunc cauſa quantumcunque imbecillis, citò producit effectum: ſic accendit ſtupam & ſulphur fauilla ex ſuſcipientis aptitudine. Et contra potentiſsima quæ fuerit cauſa, etiam in non diſpoſitam operatur materiam. Et licet ſulphur ignis ſuſcipiat operationē citiùs, quàm

lignum,

lignum, & siccum lignum, minuteque incisum, facilius quàm cætera ligna: ardēs nihilominus fornax ligna statim rapit in flammam, & grossiora & virida, eò quòd summa agentis potentia citò disponit atque informat. Et multoties pestifer huiusmodi vapor fit suarum vi causarum potentissimus, nec scire tu poteris quando scilicet hoc fiat. Et licet vno in tempore talis non adsit dispositio, est tamen futura in alio.

Quo pacto, & quales temperaturas pestis ex contagio feriat ocyssimè. Cap. III.

VEnenosus iste vapor adeò subtilis sæpenumero existit, vt visu diiudicari nequeat, interdumque dissoluitur, sed facilè exinde regeneratur, manente ad hoc ipsum disponente influentia, iamque tametsi pusillus à principio fuerit, tamen multò magis, quàm sulphur, quum accenditur, velociorique cursu de loco in locum expanditur, & longè magis contrariatur vitali cordis spiritui, qui est vapor ex subtili sanguine, quàm sulphur naso. Eiuscemodi vapor solùm in dispositis ad hoc corporibus infecto ab aere accenditur: sed postquam est accensus, corporibus mira velocitate, facilitateque, accensum veluti sulphur, plus quàm antea circumquaque dilatatur, præsertim quando subtili in humore, & tenui æstatis aere accensus fuerit, & spargitur, salitque ex vno in alterum corpus. Accenditurque potissimè, vbi maior est naturæ similitudo, & in corpore recreamentis pleno, cum fętidis intus, & extra vaporibus, & in cibis humoribusque superfluis, & ad inflammationem, putredinemque aptis, & vbi calida est materia, & humida, corve coitu debilitatum. Et pariter in corpore passionibus animæ defatigato, & vltra modum calido, quòdve balneis est assuetum, cuiùsve pori sunt nimis patentes, seu multum oppilati. Hæc quidem Galeni, & Auicennæ fuit sententia. Pueri, & fœminæ multum ad pestem sunt apti, eò quòd tenuis, mollisq; materia ad transmutationē est facilior, & pleni sunt humoribus ad putredinē aptis, estq; præter modū & ordinē illorum vita. Quēadmodū.n. perturbat, confunditq; vinū calidus ventus, & grossus, sic pestifer iste vapor inficit, cogitque circumquaque ad cor: primo spiritus, postmodum humores, qui iam putrefacti ebulliunt. Est verò hæc ebullitio febris ipsa, quæ per vniuersum inde spargitur, plusquàm cæteræ bullit, seu inflat, quia tanta est venenosa materia, vt natura quātum potest, principalibus à membris hanc statim conetur expellere. Iste quidem vapor omnem maculare potest humorem, sed potissimum sanguinem, secundò choleram, tertiò phlegma, quartò verò melancholiā. Vnde fit ꝙ magis huic subijciuntur periculo sanguinei, paulò minus cholerici,

cholerici, postmodum phlegmatici: & minus reliquis melancholici, quia frigidus & siccus humor ad inflammationem, & putredinem inceptus est, & maximè quia strictos habent meatus, per quos transire venenum oportet. Idcirco senes minus sunt pestifero morbo obnoxij, licet huius anni pestis nec seniores etiam reliquerit intentatos. Cuius fortè ratio fuit, quòd vltra veteros aduersos syderum aspectus, Saturnus, retrogradus dominus fuerit anni. Est mirum dictu, quòd licet ex vrbe nostra Florentina vniuersus fermè populus aufugerit, omni tamen die vita functi sunt circiter centum & quadraginta.

De signis, indicijsque pestis. *Cap.* IIII.

QVæ verò signa indicent, quibus febrem esse pestilentialem faciliter & clarè deprehendatur, haud tam facilè ostendere quisquam potest, propter tam multiplicem accidentium diuersitatem & fallaciam. Hoc enim testatur vniuersus doctorum conuentus, præsertim Auenzoar & Rasis. Erit nanque clara interdum vrina, eò quòd non pertingent ad hepar humores: apparebit modico febris, eò quòd non erit calido in humore venenum, seque propterea non diffundit ad extra, sic statim morietur patiens. Videbitur interdum restitutus, eò quòd natura primo in aggressu venenum à corde depulerit: tamen paulò post destituetur spiritu, eò quòd potens non erit secundum pellendi aggressum. Ex quo primo lassata fuerit conflictu, etiam quia venenum multiplicatum est, vel magis mutatum in malignum, vel propinquius factum cordi, quàm prius. Omnes ferè in principio aliquantulum in melius tendere videntur, quia tum robustior natura tantùm contra hostem omnes colligit vires, verùm in alijs minus malis ægritudinibus, ad tam repentinum, tantumque non inducitur conatum. Videbitur præterea virtutis robur obtinere, quia dictum venenum non alijs vt cordi membris à principio contrarium est, & quando ipsum cor aggreditur statim interimit. Quare his in temporibus haudquaquam conuenit morbi signa exanimando moram trahere, quia falleris, nec te natura expectabit, nisi administrando remedia festinaueris. Hac igitur de causa his quum temporibus febrem adesse conspexeris, præsuppone quòd adsit, vel citò futura esse possit pestis, ac ei pestilentialis curam febris administra, & eò maximè, quòd quandiu venenosa durat aeris influentia, omnis superfluus humor facilè inficitur: Et omnis quæcunque fuerit infirmitas, in pestilentiam facilè transire poterit, febres præsertim furiosæ & continuæ. Vnde communiter euenire solet, quòd hoc morboso tempore nulla præter pestem ægritudo appareat. Quòd si aliæ, & multiplices quidem apparuerint ægritudines, tunc pestilentia remittitur, & cessat. Sunt nonnulla pestilentialis febris signa, videlicet

delicet

delicet febris cõtinua absque ordinata & manifesta declinatione, cum magna anhelitus,& pectoris angustia,cum repentina pulsus debilitate, cum vniuersi corporis grauamine,præcipuè capitis, phrenesi, anxietatibus,ardore,siti,sanguineis maculis pluribus in locis, cum vrina grossa,turbida,& qualis est iumentorum. Memineris tamen,quòd signa fallunt. Aduerte insuper,quòd quicunque puer eo tempore vermium laborarit infirmitate,dici poterit pestilentia infectus, quia est materia ad pestem disposita, vt sulphur ad ignem. Hoc multi nescientes medici,iuuandi studio post sunt fraudati. Et ex signis propinquæ pestis vltra aeris turbiditatem, & animalium ex putredine genitorum abundantiam,est principaliter vermium multitudo, variolarum & morbillorum,febriumque continuarum & conclusarum,vrinæ turbidæ,oculorum rubores,excoriationes palati,phrenesis,& vniuersaliter quacunque in febre,qua se versus cor frequenter dirigit humor, humanam significat complexionem ad pestem esse dispositam. Scias iterum,quando multo tempore pestifer vapor in aere durat,tunc aquam, terræque fructus inficit:propterea tutius est aquam decoquere,vel ferratam scilicet aquam conficere,cum eaque vinum lymphare,quia vinum fumosum est,& non conuenit; iuxta Auicennæ & Rasis sententiam, his in temporibus merum, vtpote purum.Opportunum præterea alia quæ sumuntur in cibum rebus boni odoris corrigere, & cum salsis, acetosisve saporibus,præsertim quando pestis post terrę motum oritur.Pręstiterit quoque non parum rebus vti aridis, in locis odoriferis & editis locis nascentibus,& inhabitare montes & colles.

Prophylactica cura à diæta & victus ratione in statu pestilentiali. *Cap. V.*

ABstinendum est tempore pestifero à rebus inflammantibus,& nimis aperitiuis,quia facilius ad venenum suscipiendum disponunt. Videlicet cauendum est extrà à solari calore,pariter à calore ignis, vestimentorum: & intrò, à sale, à speciebus & medicinis calidis, similiter ab herbis intensæ caliditatis, à multo vsu acrium, excepto cæpe, & cichoria, vel raphano cum aceto, quia veneno aduersantur. Item à vino nimium fumoso, ab exercitio post cibum, præsertim tempore calido, & à sudore, quia humores alterat: & in aere infecto non licet se multum aeri exponere, nec excessiuo sub diuo exercitio, quia calefaciendo, & poros aperiendo, statim multum de aere suscipit infecto. Item abstinendum ab facientibus opilationem, & putrefactionem, quia pestilentialis dant febris materiam, qualia sunt viscosa, frigida, & humida: præsertim quando aliquid accidentalis, seu extranei

nei

nei caloris suscipiunt. Etiam à viscosis, calidis,& humidis, vbi humidum calido prædominatur & malè decoctum est: &, vt summatim dicam, humiditas putrefactionis est mater. Et quæ extra nos difficulter conseruantur, etiam in nobis haud facilè conseruari poterunt. Vitandi igitur pisces, quantum fieri poterit, in quorum genere, parui minus nocent pisciculi,& qui ex flumine sunt claro, petroso,& currente, frixi in oleo cum sale,& immersi staphisagria, seu aceto, aut succo aranciorum cum sale & modico piperis, vel cinnamomi. Etiam vitandum est lac,& omnia recocta. Quod si eo vti volueris, sit primùm inter alia cibaria,& modica quantitate, cum parum sacchari. Fructus vitandi sunt omnes, exceptis amygdalis, cerasijs acetosis, pyris, chrysomelis, persicis, pomis cydonijs, auellanis, prunis siccis, prunellis, mespilis,& cornulis, malis appijs, malis granatis, malatestis. Cæteris verò fructibus nequaquam vtere, vel raro, vel rarissimè. Poteris tamen diutius vti fructibus,& herbis frigidis, siccis,& acetosis, vel aliquantulum amaricantibus. Sed vtendo fructibus calidis,& humidis, vt sunt ficus, vua, mora, cerasa dulcia, fac sint modica,& immediatè post comede pomum anarancię cum sale. Præterea, si vteris frigidis,& humidis, vt sunt melones, pisces molles & teneri, pruna pinguia, sume paulò post aliquid fęniculi, & pomi anarancię cum sale suprabibendo parum vini boni,& odoriferi. Vitare etiam debes fungos,& herbas humidas, portulacas, cucurbitam,& omnem humiditatem, necnon & rem quæ facilis est putrefactionis. Cauebis quoque fructus,& res nimium dulces,& humidas herbas: permitto tibi lactucam permixtam menthæ vel cinnamomo. Eandem quoque corrigere poteris cum basilicone caryophyllato minutissimo,& quasi ad rubedinem quandam tendente, odore habente caryophyllorum: est enim cordi gratissimum. Concedo etiam tibi cucurbitam,& herbam, quæ Tusca lingua Selbastrella appellatur. Rursus aduerte, ne te Rasis sententia fallat, quæ tempore multùm calido admittit olera,& fructus frigidos,& humidos, quia Aegyptum ipse inhabitat, vbi extrema est siccitas, vbi eiusce modi fructus & olera sunt exquisitè à natura decocta. Cautus igitur esto ne talem præsumas licentiam in regionibus non similibus Aegypto. Notandum insuper quòd res acetosæ, asperæ,& acres in conseruatiuo æquè ac curatiuo administrandæ sunt regimine, quia periculum potissimùm imminet in calido & humido, & in putrefactione illinc dependente, in spirituum resolutione, inque accessione veneni ad cor. Res itaque prædicti saporis omnibus iam dictis obsistunt malis, quia refrigerant, desiccant, conseruant, confortant, restringunt,& vniunt. Operæpretium hic est meminisse, quòd res nimis acres, vbi timetur pectoris strictura, aut stomachi

machi

machi debilitas, temperandæ ſunt cum ſaccharo, ſale, & lacte amygdalarum, cinnamomo, pipere, fœniculo, croco, ouis, & modico pinguedinis. Commendo plurimum panem ſpeltæ, hordei, & fercula ex his condita. Itē biſcocta, riſū, paſſulas tendentes ad acredinē, panē optimi grani ſufficienter coctū, cū modico ſalis. Vtere ſæpiùs capparibus cum aceto, & aliqñ eo genere caſei, quod Florentini Marzellinū vocāt. Vitandus eſt caſeus multū pinguis vel ſalſus. Nec laudo tibi caules, nec legumina, exceptis lenticulis. Prohibeo ſuper oīa phaſeolos, nec laudo multū rapas, ſpinachias. Concedo tibi petroſelinū, & paſtinacas. Prohibeo aūt erucā, cariotas, ſapā, ſinapi, citrullos, melones, bacellos, cicer recens, cucumeros, ceraſia dulcia, & mollia, vuas, ficus dulces, & mora. Nec te repleto nimio vino, carnibus, & ouis, ne nimium ſanguinē, cholerā, putrefactionē, inflammationemq; multiplices. Vtere ouis cum agreſta, & aceto, & pomis anarancijs. Carnes ſint leues, & ſiccæ, bene coctæ, pulli, auiculæ, hœdi caſtrati, pipiones, turtures, & ſylueſtres auiculæ. Si vſus fueris carnibus humidis, ſint aſſatæ, ſed fac, vt intus per totum bene impleantur cum acribus condimentis, & acetoſis, cum modico piperis, cinnamomo, coriandro, & ſale. Vina turbida ſunt omnino noxia, & præſertim muſta. Eſto in cibo, & potu plus ſolito parcior, cibus ſit aliquantum copioſior potu. Nec tamen volo, vt nimiam feras ſitim, & inędiam. Caue ſtomachum faſtidire permittas, ſed eum præſerua cum cibi, & potus mediocritate, cum exercitio, & ieiunio, cum appropriatis euacuationibus. Abſtine à coitu, & paſsionibus animæ exceſſiuis, niſi forſitan per coitus abſtinentiam te omnino grauatum perceperis. Ad mentem reuoca dictum Auicennæ tertio naturalium, ꝙ ſuperflua per coitum ſeminis euacuatio plus nocet, quàm ſi quadrageſies tantum exiret ſanguinis. Dixit Hippocrates, coitū ſpeciē eſſe quandam morbi epilepſiæ. Caue ab aere multùm nubilo, dēſo, recluſo, & humido, ac ſcias aerē qui non frequenter mouetur & innouatur, vbi nec ventus nec Sol penetrat, nec purgat, facilè mixtionē ſuſcipere, putrefactionem venenoſam, veluti immobilis aqua. Ab hominū te turba ſemoueto, præſertim exiſtens ieiunus, & qñ calidū ſucceſſerit humido, & humidū calido. Declinato ēt aerē nimis calidū, quia aperit, & nimis debilitat. Habitatio tua ſit ſpatioſa, ſicca, aerē recipiens ſiccū cōtinuo, & tp̄e æſtatis ſubinde recentē. Caue qñ multùm incalueris, ne te protinus exponas frigido vel humido, nebuloſo, & vento calido, & humido, præſertim in locis infectis, & de infecto loco veniente, etiam ab omni vento de prædictis locis flante, niſi fuerit nimis longè diſtans, aut fractus pluuijs. Ventus aūt, qui aerē infrigidat, & ſiccat, & ſerenat, ſua natura eſt ſalubris, ſi eū cū tp̄amento receperis, & eſt principalis mędicus contra huiuſcemodi

venenum. Magnam adhibe curam vitando ventos à ſtagnis vel paludibus venientes: aquas fuge putridas, herbas continentes, immaceratumque lignum,& quemcunque prauum odorem. Procul eſto à caulium,nucumve odoribus, & fœtidis ab herbis. Abſtinendum item à balneis, à ſomno meridiano,ab adhærenti,arctoque hominum conſortio. A turba fuge citò & procul, ac tardè reuertaris, quoniam longo durare ſolet tempore venenum, ad offendendum per quàm promptiſſimum. Vtere cibis ſiccis, optimi ſaporis, acribus, acetoſis, vitando brodium,pinguedinem,dulcia,viſcoſa:vinis ſubtilibus,claris, odoriferis,aliquantulum fumoſis,ſed parũ acetoſis, non dulcibus dilutis aqua multum ſubtili & clara. Summa, omni tempore à rebus caue ſanguinem generantibus aut nimium,aut aquoſum,groſſum & turbidum,& pariter quamcunque rem ſtomacho nocentem. Hæc eſt regula cibi, potuſque. Vtilis eſt,iudicio meo, omnibus ſuperſperſa cibarijs talis ſpecierum compoſitio. Accipe ſandalorum rubeorum vnciam dimidiam, cinnamomi electi drachmas tres,& dimidiam, croci drachmam dimidiam. Gentilis omni tempore his vtitur ſpeciebus. Sume cinnamomi ſemunciam, mannæ drachmam vnam,& dimidiam,caryophyllorum,been albi,& rubei drachmam dimidiam, corallorum rubeorum drachmam vnam, cardamomi drachamas duas, croci drachmam dimidiam, ſacchari ad pondus omnium: Item nonnulli aliam habent deſcriptionem, & eſt talis: Cape margaritarum drachmas duas, corallorum alborum,& rubeorum drachmam dimidiam, roſarum ſpodij ana ſcrupulum vnum,cinnamomi drachmam vnam,croci ſcrupulum vnũ. Item,Sume cinnamomi vnciam dimidiam, caryophyllorum drchmam dimidiam, corallorum rubeorum ſcrupulos duos, croci drachmam dimidiam,ſacchari ad pondus omnium. Pro primo cibo vtile eſt,niſi te calor offenderet,ſumere ficus,rutam,& nuces cum ſale,præſertim tempore frigido vel humido. Notandum, quòd ſpeciebus multum calidis, vt eſt quarta compoſitio ex his,quas narrauimus, vtendum eſt ſolùm in ferculis multùm humidis,frigidis & acetoſis:alijs verò vti poſſumus in omnibus. Poſt cibum magno ſunt adiumento ſemina coriandri præparati, & etiam ſecundum Auicennam ieiuno ſtomacho, qui hæc ipſa tali in cauſa plurimis effert laudibus. Vtere ieiuno ſtomacho frictionibus, bene pectina capillos, omnem expurga ſuperfluitatem, vniuerſum corpus mundum conſerua. Matutino tempore ignem præpara temperatum,& interdiu quandoque,præſertim humidis temporibus. Bonis ſæpiùs odoribus domum ſuffumigato,ſimiliter & veſtimenta. Admoueas naſo pariter,& ore teneas vbi plus opportunum fuerit,aliquid theriacæ:alijs verò in locis ſiue temporibus,corticem ci-

tri,

tri, zedoariam, vel modicum thuris: manu etiam supradictum gestare poteris cerdinum pomum. Cape ladani drachmam vnam, been albi & rubei, rosarum rubearum ana drachmas duas, styracis liquidæ scrupulum vnum, myrrhæ, menthæ, caryophrllorum ana drachmam vnam, sandalorum alborum & rubrorum, camphoræ, ana drachmam dimidiam. Fac pomum cum aqua rosarum muscata, suspende collo cornu vnicornis, hyacinthum, topazium, & smaragdum, vt pectus tangat, & etiam in ore. Dixit Auicenna, fore necessarium vt hyacinthus & similia, à naturali calore nostro calefiant, qui illorum ad actum producat virtutes, vt operentur in nobis. Fer tecum etiam in manu ad odorandum poma odorifera, præsertim citri, limonum, aranciorum, & cætera. Sæpiùs ablue os, faciem, & manus aceto, & aliquando cum vino potenti. Nec omittas odorem menthæ, melissæ, querculæ, rutæ, violarum rubearum, & myrti. Vtere odoribus frigidis, quos tempera cum calidis, ita tamen vt frigidi prædominentur, præsertim calidis temporibus, quia calidus per se aperit odor & inflaminat, quamuis aerem purget. Super omnia cura, vt hoc facias, scilicet permisce æquali parte acetum rosatum album, & aquam rosarum cum vino albo potenti, cum modico zedoariæ vel corticis citri, de qua sępiùs modicum aliquid bibe, & sæpiùs cum ea manus lauato, & faciem. Defer tecum in spongia cum ligno fraxini, & laua etiam cum eisdem manè, & serò tepidis vniuersum corpus. Vtere temperato exercitio sub tecto quando es in locis infectis, ieiuno stomacho, sitque locus exercitij spatiosus: alijs autem in locis facies exercitium sub diuo & pariter ieiunus. Rustici bibant loco vini acetum permistum aquæ. Admoneo omnes, vt non nisi summa cum cautela res tãgant ex infectis locis allatas, nec quicquam gustent ex illis, nisi coquatur, mundetur, vel abluatur. Haud equidem scio, an dicere in præsentia debeam, an silentio potius præterire, quod Doctorum nonnulli sæpiùs ieiuno stomacho dare solent in potu vrinam pueri recens emissam, vel lixiuium. Detur pro remedio rusticis accommodato.

Præseruatrix curatio Epidemiæ. De pillulis, & pulueribus pręseruatiuis. Cap. VI.

NEcessaria nobis est bis in hebdomada, ipsa omnium compositionum regina, cœlitusque tradita Theriaca. Vera quidem theriaca, vt eam noscas, saporem longa mora in ore conseruat, & stypticitatem ingerit ventri; ætatis esse debet annorum quatuor, & non vltra duodecim, de ea dẽt ante à fieri experientia in venenatis animalib. Theriaca electa iuxta Galeni, Auicennæ, Auerroisque sententias, securum reddit hominem ab omni veneno, morboque venefico. Etiam in ipsa pe-

stilentiali febre admittitur. Dixit Galenus se inuenire theriacam plusquàm res omnes esse diuinam in conseruando, & curando. Dixit Moses Ægyptius, mirabilem factam esse cum ea experientiam in pestilentia Antiochensi. Nec silentio transeundum puto Galeni typum dicentis: pestem esse Draconem cum corpore aereo, qui venenum contra hominem spirat: & theriacam purgatorium quoddam esse, purgans venenum, & Draconem domans. Accipiatur post cibum horis nouem, & ante cibum horis sex vel septem. Qui eam sumere non potest, saltem cordi apponat, & stomacho, nasoque, & pulsibus: frequentiùs detur drachma vna prouectis, alijs verò drachma dimidia, seu scrupulus vnus. Qui calidæ sunt temperaturæ, bibant æstiuo tempore, sumpta theriaca, tertiam partem scyphi aquę rosarum cum modico aceti rosati: alij scilicet alterius complexionis, & alio tempore, sumant cum vino albo permixto cum aqua scabiosæ, & melissæ. Quod si theriaca non affuerit, vel non competens fuerit tuæ naturæ, sume mithridatum. In alijs diebus hebdomadæ sume pilulas contra morbum, saltem horas quatuor vel quinque ante cibum, vnam scilicet aut duas, vel plus, secundum complexionem, superbibendo parum de vino albo cum aqua scabiosæ, & melissæ temporibus frigidis, vel cum aqua rosæ, & cum aceto rosato temporibus æstiuis. Pilulæ antiquiores sunt istę: Sume myrrhæ, croci, ana vnciam vnam, aloes vncias duas, sed quia nimium aperiunt, calefaciunt, resoluuntque spiritus, ideò nonnulli abluunt ipsum aloe, & addunt terram sigillatã, vel bolum armenum secundum dosim myrrhæ, vel addunt camphoræ ad dosim tertiæ partis myrrhæ, sed eligibilius est bolus armenus. Nonnulli componũt sic: Accipe aloes drach. sex, myrrhæ drachmas tres, seminum citri scrupulos duos, tormentillæ drachm. dimidiam, croci drachm. vnam, reubarbari drachmas duas, caryophyllorum scrupulum vnum, agarici, corticum citri, sandalorum rubeorum ana drachmam vnam, seminum citri scrupulos duos, seminis acetosæ drachmam vnam cum dimidia, corallorum rubeorum drachmam vnam cum dimidia, boli armeni drachmas tres, camphoræ grana duo, confice cum syrupo de citro. Auicenna, & Auerrois dicunt, qui vtitur aloe, myrrha & croco, nunquam periclitabitur peste. Prædictę compositiones temperant illorum qualitatem, & virtutem augent. Sed multo melior est compositio Nicoli, secundum quem veræ pillulę sunt istæ: Sume myrrhæ, croci, boli armeni, charabæ, corallorum rubeorũ ana drachmam vnam, emblicorum drachmas duas, aloes loti ad pondus omnium, fiant pillulæ cum vino albo, odorifero. Credo quòd essent nobiliores, & magis ad propositum, si loco emblicorum ponerentur terræ sigillatæ drachmæ duæ, & boli armeni drachmæ tres, fiant pillulæ

cum

cum acetositate citri, & accipiantur cum vino albo, aqua rosata, aceto rosato. In alijs verò sequatur compositionem prædictam. Fac autem vt aloe sit splendidum, leue, aliqualiter rubescens, delicatum, odoriferum, frangibile, pinguescens, & immittendo super ipsum flatum, madescit. Sit & myrrha clara, & corallus delicatus. absque theriaca, & dictis pillulis non bene fieri poterit præseruatio. Itaque præ omnibus alijs vtere duobus prædictis, scilicet theriaca, duobus diebus diuersis, & pillulis tribus saltem, quia desiccando humiditatem præseruant à putrefactione. Etiam fortificant cor, stringunt meatus, ne venenũ transitum habeat ad cor, & ipsum illinc depellunt. Videtur mihi, quòd aloe in prædictis pillulis, quando sunt tempora humida, & frigida, similiter, & complexio, non debet lauari, sed in alijs temporibus, & complexionibus sumere pillularum compositionem in pulueribus: melius est solum quando opus est festinatione. Potest etiam sumi ante cęnam tribus horis vel quatuor, sicut etiam ante prandium. Poteris etiam semel in hebdomada, vel duabus vicibus, aut plus, quando pillulæ offenderent (licet nullius sint offensionis) in tempore hyemali, & humido, loco pillularum sumere ficum siccum cum dimidio nucis, cum modico rutæ, & parum salis, superbibendo parum aquæ rosarum vel aceti rosati. Quod si & istud te offenderet, vtere loco illius non accipiendo aliquid aliud parum panis tosti intincti in vino albo potente, cum pomo anaranciæ, madefacta in aceto rosato, & intincto cinnamomo. Sunt nõnulli, qui dant huiuscemodi pillulas sero vel mane, vnam scilicet pro vice. Sume ligni aloes drach. dimidiam, tormentillæ scrupulos duos, dictami albi scrupulum vnum, zedoariæ drachmam dimidiam, croci drachmam vnam, berberis drachmã dimidiam, cornu cerui adusti scrupulos duos, sandalorum rubeorum scrupulum vnum, seminis acetosæ, & corallorum rubeorum, boli armeni ana drachmam vnam, camphoræ scrupulos duos, gemmarum, ex quibus fit electuarium de gemmis, drachmam dimidiam, margaritarum drachmam vnam, hyacinthorum drachmam dimidiam, confice cum syrupo de ribes, vel de limonibus. Ego autem in omni tempore etiam in calido, eiuscemodi pillulas dare soleo. Sume zedoariæ, ligni aloes, agrimoniæ, croci, aristolochiæ rotundæ, dictami albi, gentianæ, corticum citri, seminis citri ana scrupulum vnum, coriandri præparati, tormentillæ, sandalorum rubeorum, corallorum rubeorum, rosarum rubearum, spodij, emblicorum ana drachmam vnam, terræ sigillatę drachmas duas, boli armeni drachmas quatuor, fac pillulas cum acetositate citri, quas administra cum vino albo, aceto rosato albo, & aqua rosę. Ego multum adhibeo fidei huic nostræ compositioni, eam accipiendo quando non sumitur

aliquid

aliquid de pillulis cum aloe compositis. Etiam post operationem prædictarum pillularum, additur ipsi compositioni, ambræ, musci, hyacinti, smaragdi, topazij, margaritarũ, cornu vnicorni ana scrupulus vnus. Melius etiam erit laudabile multum, bibere ista cum vino acetoso, vel aceto albo, cum aqua rosæ terra sigillata, & bolo armeno, cum exigua portione smaragdi, & hyacinthi, & topazij, vel saltem cum margaritis, & corallis. Ista multum commendantur à Galeno, & Auenzoar. Alij dant cortices, & semina citri, & limonum, cum vino vel aceto rosato, & aqua rosarum. Ego verò frequenter dare soleo hanc simplicem confectionem, & quidem efficacissimam, atque securam, cum vino albo, vel aceto rosato, & aqua rosarum. Accipe boli armeni drachmas duas, terræ sigillatę, corallorum rubeorum ana drachmam vnam, corticum citri, zadoariæ, croci ana drachmam dimidiam, sacchari rosati ex rubeis rosis conditi vncias sex, acetositatis citri vncias decem, fac electuarium. Raymundus, & Arnoldus theriacales quasdam pillulas tribus modis componunt. Primo, sume boli armeni drachmas tres, barbæ tormentillæ drachmas duas, barbæ herbæ tunici drachmam vnam, sacchari ad pondus omnium, fac pillulas. Item, sume ambræ drachmã dimidiam, musci scrupulum vnum, camphoræ grana sex. Item, accipe smaragdi, hyacinthi, topazij ana partes æquales, triturentur, & lauentur sicut abluit Mesue lapidem lazuli, fac pillulas cum succo acetosellæ. Dicunt huiusmodi lapides ab antiquis appellari Bezoar, id est, liberatores mortis, & quòd in hoc theriacam excellunt, quòd ipsa venenum à se pellit, non trahit ad se; huiusmodi autem lapides vtrunque faciunt, ideò debent per os administrari. Etiam possunt superponi plagæ, morsuræ, & bullæ venenosæ. Hac etiam vtuntur compositione, scilicet auri optimi, margaritarum, serici crudi triti. Laudant etiam electuarium diambræ, de gemmis, & chermes Mesuæ: laudant granata, rubinos, carbunculos, saphiros, palladios, corallos, grana tinctorum, & lapidẽ inuentum in capite aspidis, & pariter cornu suum, & cornu vnicorni. Itẽ electuarium lætificans Almansoris cum re aliqua refrigeratiua. Vtere etiam rebus sanguinem clarificantibus, vt sunt lupuli, myrobalani, fumus terræ. Credo quod vti semine iuniperi, cum semine myrti sit multum vtile contra huiusmodi venenum. Item tale electuarium: Sume citrum vnum integrum, maceretur bene, & coquatur cum saccharo, & aqua rosarum. Et vbi non habetur citrus, fac cum limone, seu pomo anarancio integro: multi vtuntur verbena. Sum dare solitus pauperibus parum panis bene tosti, intincti aceto cum modico rutæ, & aliquando cum cępæ portiuncula. Do etiam nonnunquam ad superbibendum parum vini puri. Item eiuscemodi panem nostrum intinctũ

aceto rosato cum pauculo cinnamomi, quandoque supersumendo pomum arancium, & parum boni vini. De his quidem rebus, administrare poteris, modo vnam, modo alteram, his scilicet diebus quibus theriacam non sumis, nec veras pillulas, vel etiam illis eisdem diebus post vesperas. Vti etiam poteris sero, ieiuno stomacho, parum istius nostræ confectionis: Cape sacchari rosati, diamarenati ana vncias quatuor, coriandrorum præparatorum, corallorum rubeorum ana drachmam vnam, cinnamomi drachmas duas, sed æstiuo tempore drachmã vnam, sandalorum rub. croci ana drachmam dimidiam: verùm in æstate croci scrupulum vnum, confice cum acetositatis citri vncijs quatuor superbibe parum vini optimi, vel aceti rosati. Poteris etiam vti eo matutino tempore aliquando loco prædictarum. Dixit Raymundus, quòd suo tempore iuncti fuerunt Saturnus, Iupiter, & Mars in vndevigesimo gradu Aquarij, anni millesimi trecentesimi quadragesimi octaui, in mense Martio, quæ quidem coniunctio horribilia significabat, præsertim graues pestilentias frequentius per spacium annorum quadragintaquinque, eo quòd fuerit in signo humano fixo in domo Saturni. Inter quas erat pestilentia illa anni quadragesimi octaui, vbi medici Parisienses & ex Auinione, & Pedemontani nouam composuerunt theriacam ab ipsis expertam, & cum fęlicitate eos conseruauit. Arnoldus receptam conscripsit, quam Raymundus eiusdem discipulus his verbis recitauit: Sume seminis iuniperi drachmas duas cum dimidia, caryophyllorum, macis, nucis muscatæ, zedoariæ, zingiberis ana drachmas duas, aristolochiæ longæ & rotundæ, barbæ gentianæ, tormentillæ, barbę herbæ tunici, dictami, enulæ campanæ ana drachmam vnã cum dimidia, saluiæ, rutę, seminis balsamitæ, menthæ, peoniæ, pulegij ceruini ana drachmam vnam, doronici Romani, baccarũ lauri, seminis acetosæ, seminis citri, basiliconis, masticis, thuris, boli armeni, terræ sigillatæ, spodij, ossis de corde cerui, rasuræ eboris, & cornu vnicorni, margaritarũ, saphiri, smaragdi, corallorum rubeorũ, ligni aloes, sandalorum rubeorum, hyacinthi, topazij, ana drachmam dimidiam, sacchari rosati, diaboraginati, diabuglossati, dianenufarati, diacetosellati, pulparum tamarindi acetosi, theriacæ ana drachmam dimidiam, sacchari libras tres, fac electuarium aut morsellos, cum aqua scabiosæ, & rosata parum camphorata, & cum vino cydoniorum, addendo folia auri quadraginta. Qui sitim patitur extra cibum, vtatur acetosa simplici cum pauxillo aquæ frigidæ, vel vini mali granati acetosi cum iuleb rosato, vel vino acetoso. Possis etiam exprimere acetositatem citri, vel limonis, vel pomi anaranci j, & bibere cum aqua & saccharo. Item succi rosarum, sacchari rosati, diamarenati, diaprunis, diacydonitis dissoluti cum aqua colata

& expressa, bibendo cum aqua frigida. Item rosæ, myrobalani, tamarindi, cerasa, acetosa, pruna, persica sicca; cydonia trita, dissoluta, colata, & expressa, bibe cum aqua & saccharo, ponendo plus de saccharo vbi minus est de calido, & minus de saccharo, vbi plus fuerit de calido. Item succus rosarum cum vino granatorum: item oxysacchara cũ aqua frigida recenti. In pluribus etiam rebus proficuum est vinum cydoniorum. Vti herbis cor ipsum sua virtute respicientibus, vtile est, vt sunt borago, buglossa, melissa, endiuia, ac menthæ parum. Item septem principales herbæ, quas contra venenum plurimum valere fertur, quarum prima est herba hypericon, alio nomine Perforata, secunda est herba dicta vincetoxicon, tertia enula, quarta raphanus, quinta dictamus, sexta aristolochia, septima lactucella. His additur ab Arnoldo, & Raymundo herba tunici: Nec prætermittenda est agrimonia, acetosella, cichoria, marrubium, hyssopus, scabiosa, pentaphyllon, capparis, limones, citrulli, arancij scilicet, quos poma aurea vocamus: & vniuersaliter cuncta acetosa, & quæ ponticitatem quandam participant. Scias flosculos vitis multum conferre, si eis in cibo & potu, atque electuarijs vti consuescas, pariter & aqua scabiosæ, necnon melissæ: in his omnibus, quæ sanis simul, & infirmis administrantur, mirabilis est, eò quòd humiditates exiccet venenosas. Et vbi in desiccando refrigeratione multa opus sit, vtendum potius est aquis endiuię, rosarum, plantaginis, aceto rosato, vel aqua, vel succo acetosellæ, succo limonum, cedri, aranciorum, cichoriæ, pimpinellæ, fumi terræ. Quum verò temperatis vti oportet, accipe aquam boraginis, & buglossæ, singulis decoctionibus impone pruna damascena, myrobalanos, & tamarindos. Et hoc memori serua mente, quòd cunctis in remedijs quàm bene conueniunt hæc quatuor, videlicet vinum album, acetum album rosatum, aqua rosata, omnia æquali pondere, crocus pauxillula quantitate. Vbi absque mora, ac cum facilitate quadam operari necesse fuerit, administrabis, quæ opportuna sunt in forma subtili & liquida, vel ad suprabibendum dato, quæ prædiximus. Inquit Raymundus, quod si tandiu differri potest, vt præmemoratarum fiat compositio pillularum, melius esse, vt exhibeantur pilulæ, quàm pulueres: tum quia huiuscemodi compositio melius fermentata vltra complexionalem, specificam quoque contrahit virtutem: tum quia permanendo in stomacho mage conseruat, roborat, confortat, ac melius discurrit per corporis remotiora, suprabibendo parum alicuius liquidæ substantiæ, & multum abstinendo. Nec tamen ideo volumus, vt pillulæ sint valde siccæ, ac induratæ, imò si tales fuerint, decet vt reformentur. Congruit sanguineis phlebotomia extrahere sanguinem, vt conseruentur, si aliàs nullum ex se fluxum

sangui-

ſanguinis haberent. Sanguineos eos intelligo qui decenter carnoſi, colore rubei ſunt, piloſi, robuſti, quibus venæ amplæ, & qui rebus veſcuntur multi nutrimenti. His inquam extrahatur ſanguis ex baſilica dextra, inde poſt bimeſtre ſpatium fiat iterum minutio ex baſilica ſiniſtra. Nec vna pro vice excedas pondus libræ. Fiat etiam temporibus anni temperatis, ac Luna in bono, & fortunato aſpectu exiſtente. Sanguis purus minuitur oriente Sole, cholericus in meridie, melancholicus in occaſu, phlegmaticus in medio noctis. Vult ideo Raymundus, vt iuxta ordinem Auicennæ ſecundum quatuor ſpecies ſanguinis prænumeratas, obſeruentur in extrahendo illæ quatuor horæ. Cognoſcuntur autem hæ ſpecies: primò per earundem ſigna, deinde iuxta quatuor ætates quibus dominantur, ſuccedendo ordine prædicto. Et vbi nõ apparuerit multa ſanguinis abundantia, vult ne penitus minutio fiat, nec cauſa conſeruationis, nec curæ. Et quum extrahere volueris, cura vt die præcedenti fiat clyſtere, & exhibita ſit aliqua medicina non ſolutiua.

Nec prætermittendum duco, ꝙ vbi ſanguis ad alios multũ declinat humores, minimè ſit euacuandum. Memineris Galenum, & Auicennam, quanto magis medendi artem exercuere, tanto ſemper timidiores erga phlebotomiam eſſe factos, eo quòd plus trahit phlebotomia ex naturali, & bono, & ex ſpiritibus, quàm ipſa medicina: ac minus tẽporis concedit ad diſcernendum malum ſanguinem à bono. Conferunt infantibus, & pueris ea, quæ contra vermes valent, quorum his potiſsimum tẽporibus imminet periculum adminiſtrato illis in potu ſemel in hebdomada dictami drachmam vnam cum vino aliqualiter ſtyptico, ſiue cum vino decoctionis abſinthij, & nigellæ, aut ſeminis ſancti. Illiniatur item ſtomachus, vmbilicus, gula, & pectius, oleis, herbiſque amaris, & huiuſmodi: quandoque etiam exhibebis pillulas de reubarbaro. Verum quia multum humida complexio, multumque calida perículoſa eſt tẽpore peſtis, opus eſt refrigeratione, deſiccatione, & frequenti euacuatione, quæ quidem ſecundum opportunitatem cum moderamine fiant.

Hunc defer ſacculum cordi applicatum: Sume roſarum rubearum drachmas duas, ſandalorum rub. corallorum rubro. ſpõdij ana drachmam vnam, zedoariæ, ligni aloes, cinnamomi, caryophyllorum, corticum citri, croci ana drachmam dimidiam. Eſto diligens, vt omnis expurgetur ſuperfluitas, ac cura ne ſtypticus maneat venter, ſiſque tardus ad ſolitas conſtringendum expurgationes, vel fluxus, ſiue ſuperfluitates, hęmorrhoides, ſcabies, naturales, ſolitoſq; ſudores, plagas veteres apertas, quibus ſine moleſtia profluit humor, lachrymæ, ſanguinem è naribus fluentem ſolitum, & ordinarium, vniuerſales guttas, & huiuſmodi: qnoniam hæc dicta expurgamenta ſecuriorem reddunt à

Fff morbo.

morbo. Admoneo rerum publicarum gubernatores, secundum Hippocratis experientiam, si fecerint ac ordinauerint ignes, & fumigia ex iunipero, myrto, terebinthina, & thure, manè & sero ante posticas quarumque ædium, domuum, & habitationum, statim expelleretur ab eo loco pestis. Valet loco, iuniperi laurus, saluia, rosmarinus, & herbarũ quicquid est odoriferarum. At terebinthina mirabilis est. Multi doctorum dicunt, ignem semper fore tempore pestis vtilem, eo quòd omnẽ dissoluit vaporem. Inquit Raymundus vtendum esse confortantibus solùm, quum grossi apparent vapores, & humidi. Calidis temporibus superare debent odores in frigiditate alios: è diuerso, quũ tempora frigida sint, & humida, rosæ sandali, myrtus, camphora, cortices pomorũ, mala granata, calidos contemperant odores: similiter acetum, & virides herbulæ frigidiusculæ. Consuluere Magi Persarum regi pro sui defensione ab omni veneno, morboque venefico, sculpi faceret in lapide hęmatite hominem flexis genibus stantem, cinctum serpente, dextra eius caput læua caudam serpentis tenentem, & imprimi, ligarique faceret hunc lapidem in annulo aureo: verùm lapidi in loco capsulæ supponi barbam serpentariæ, quem quidem annulum gestaret in digito. Laudat Auerrois hircinæ odoramentum vrinę. Moneo vt continuis vtaris remedijs quum fueris in loco infecto, vel propè, eo quòd contagio frequens est, infectusque aer continuè noxius offendit. Volo diligenter aduertas, quum fuerit coniunctio Solis, & Lunæ, quumque oppositio, idest, quando est plenilunium. Item quando coniungitur Luna Saturno, & magis quando coniungitur Marti. Item quum fuerit in quadra cum dictis planetis. Et nota (vt refert Rasis) fortiter moueri solet venenum huiusmodi pestilentiæ in solis ortu, in occasu, in meridie, & medio noctis, quia Sol quatuor his vicibus mutationem causat in aere. Regnat in Vere, in æstate magis, plus in autumno. In Vere est aer calidus, & humidus, & accedit sanguinis dominium. In æstate cholera, calidus aer multum aperit, & penetrat, debilitantur corpora, rebus replentur corruptibilibus, materiam humidam aeris caliditati in putredinem tribuentibus. Qui quidem calor si tam intus, quàm extra cum siccitate foret, parum abesset, quemadmodum etiam haud multum nocet humidum cum aeris, tum complexionis frigiditati adiunctum. Sed valde periculosum est, vbi calidum humido permistum fuerit, vel foris, vel intus. Experimento compertum habuimus, quòd longa siccitas calido minuit tempore pestem: ac frigido excitat, affert. Denique in autumno augmentatur fructuum repletio, ac corporum debilitas, aer tenuis est ob æstatem præcedentem vaporum facilè susceptiuam, quos non resoluit propter caloris diminutionem, deinde nebulo

sus

sus est, ac variabilis. Sæpenumero ventus adest grossus, & humidus, excedit caliditas humiditatem, & frequenter aduenit, augmentaturque pororum opilatio propter aeris crebrò post calidum præcedens frigiditatem. Sciendum etiam quod quum pori valde opilati sunt, comprimunt putrescibilem ad intra materiam. E contrario, quum plus æquo aperti, repentè nimis venenosum capiunt aerem, ita vt nonnunquàm (maximè post sudorem vel coitum) paucis (vt gladius) occidit horis.

De modo curandi secundum rationem Physicam. Cap. VII.

IN pestilentiali febre non expurgato veneno, caue ne administres intus, nec extra res partium pectoris simpliciter aperitiuas, eò quòd aditum præbent veneno ad cor, & spiritibus vitam aperiunt exhalationis, sed vt inflammatio prohibeatur & putrefactio, vtere subitò aliquantulum infrigidantibus, & multum desiccantibus. Roborant namque cor, & vias claudunt versus ipsum tendentes, ne venenum ad illud perueniat. Pro parte etiam bene purgandus est humor, & spiritus nutrimento sæpius recreandi, & quæ contra venenum valent, continuè administra, id quidem sua natura cor petit. Quòd si differas donec venenum eò peruenerit, fortasse fieri poterit, vt partes cordis multum inde constringantur, quas quidem denuò aperire quàm proficuum, plus fortè noxium, periculosumve esset. Igitur quum primùm caput, omniaque membra grauari simul adiuncta febre quispiam perceperit, vide ex signis ne mendacibus, ambiguisque fidem habeas, nec differas quousque appareat inflatio, vel bulla. Sed hæc quum emineant, eò citius quo poteris confestim inungas oleo de Scorpionibus & theriaca, pulsus temporum, manuum, & pedum, nares, occiput, gulam, pectus, & locum circa bullam, & apostema si apparuerit. Vera olei compositio talis est: Sume olei oliuæ annorum quinquaginta vncias octo, imponas scorpiones numero quinquaginta, simul cum oleo bulliant, ita vt fundum petant, quod facias in æstate, & maximè mense Augusti, serua & vtere: est enim mirabile contra venena. Quòd si stomachus cibo grauatus fuerit, prouocandus est vomitus cum facilitate, cum aqua tepida, aceto, & oleo, etiam cum raphano, tentando etiam prouocationem cum penna, & statim postea facias clystere. Et renouabis omni die maluarum decoctionem & matris violarum, bletæ, hordei, lactucæ, camomillæ, mellis violati, sacchari rubei, vitelli vnius oui, diasenæ vel casiæ vnciam vnam, succi rosarum solutiui drachmas duas, salis communis & olei violati quod satis est. Hoc facto, applicabis epithema cordi ex rebus cordialibus frigidiusculis à prædominio. Sume aquarum rosarum, buglossæ, acetosellæ, nenufari, ana drachmas duas, aquarum me-

lissæ, succi granatorum medij saporis, acetositatis citri, ana drachmam vnam, succi cydoniorum vnciam vnã, sandalorum alborum, rubeorum & citrinorum ana drachmas duas, spodij, rasuræ eboris, seminum citri, seminis acetosæ, ana drachmam dimidiam, granorum tinctorum grana sex, camphoræ drachmam dimidiam, conterantur bene omnia, & calefiant in vase vitreato puro. Pòst cum panno de Grana temperatè calido superponas pectori, singulis tribus horis ipsum renouando. Item pro stomacho hanc habeto in sacculo compositionem, ad viuificandum, & roborandum spiritus eius. Sume absynthij, menthæ ana manipulum vnum, melissæ, acetosæ, ana manipulum dimidium, rosarum rubearum vnciam vnam, corticum citri, risi, ana drachmas tres, coriandrorum pręparatorum drachmas duas, corallorum rub. mastichus, sandalorum rubeorum, ana drachmam vnam, macis, foliorum caryophyllorum ana drachmam dimidiam, nucum cupresi, numero quatuor, componas cum succo cydoniorum. Item sub brachijs hoc remedium administrabis: Sume rosarum, florum camomillæ, meliloti, florum myrti, nucum cypresi, sandalorum omnium in debita quantitate, bulliant in aqua, cui intingatur spongia vel stupa, quæ postmodum exprimatur, & temperatè calida applicetur, sæpiusque renoua. Istud enim mirabile est.

Cucurbitularum usus, & curandi ratio per sanguinis missionem. Cap. VIII.

HIs factis, & debitè, vt dictum est, administratis, si bulla vel signum in tibijs adhuc non apparuerit, duas confestim natibus ventosas applica, & duas pariter coxis à parte posteriori. Voluere veteres vt post huiusmodi ventosarum depositionem fieret phlebotomia. Et si bulla vel signum solitum non apparuerit, fiat ex vena communi à parte dextra, ad prohibendum ne venenum partes cordis attingat: & si etiam apparuerit huiusmodi signum vel bulla, eodem in latere extrahendus est sanguis, & hoc ne se extendat, dilateque venenum (vt semper solet) per omnes venas ac corporis partes. Quòd si circà aures apparuerit, vel collum, minuatur ex cephalica in parte, qua signum, iuxta pollicem manus. Si sub axillis apparuerit, euacuetur hepatica in brachio eius partis, in qua signum. Si in inguinibus, fiat phlebotomia ex saphena, hoc est sub talo pedis eiusdem lateris. Denique in vniuersali, quoties ab origine gulæ ad caput vsque huiusmodi signum appareat, fiat minutio ex cephalica in parte signi apparentis. Si ab ea parte vsq; ad vmbilicum ante vel retro, fiat pariter phlebotomia ex hepatica. Si ab vmbilico infra, debet minui saphena modo, quo supra. Et phleboto-

man-

mandum est quàm citiùs fieri potest, saltem quum primò apparere incipit apostema. Intrepidè autem bonã quantitatem extrahi facias, nisi patiens fortè modici fuerit sanguinis: extractis duabus vncijs vel circa. siste paululum, vt diiudicari possit an bonus sit sanguis vel ne. Si malus, extrahere poteris copiosius: si bonus, parcius. In debilibus, & sanguine non multum abundantibus, sufficit extractio duarum vnciarum. At febrilis tempore rigoris id minimè feceris. Patiens autem quum fit sanguinis minutio, degustet vel ore teneat pomum anaranciæ, & acetosa quæque, naso, fronti, ac temporum pulsibus acetum applicando: nam hic communis phlebotomandi est motus. Fulgineus Gentilis plurimum laudat id, quod iam dicemus, vt rem quampiam expertam. Si solitum apparens apostema venerit circa spatulas, applicandę sunt ventosæ, vbi iunguntur ipsæ spatulæ: minutio autem fiat ex mediana, quæ dici solet communis, & nigra. Si apparuerit in collo vel capite, minuatur cephalica iuxta pollices manuum. Si sub vel dextro in brachio, phlebotomandus est de vena pulmonis, inter medium, & annullarem eiusdem lateris digitum. Si circa brachium vel latus sinistrum, ex vena Saluatella inter dextræ manus paruum, & annullarem. Si in inguinibus vel in sinistro latere, ex vena Paralytica minutio facienda est inter poplitem pedis, & alium propinquum eodem in latere. Si appareat in tibia vel pede dextro, ex vena sic dicta, Vena mulierum, solent doctores Hispani, & Catellani prima post factum clystere, vel saltem secunda die, facere phlebotomiam duabus interpolatis vicibus. In sanguineis robustis, ac bonæ ætatis hominibus primo die sic faciunt: Primò extrahũt sanguinem in parte opposita, eo quòd humor in motu adhuc existat, nec iam veneficus factus est. Si apostema sub brachio sinistro apparuerit, minuunt subitò à manu dextra vncias sex vel quatuor, vel ex cauilla pedis sinistri vncias tres. Post verò horas sex, vel octo recreato patiente, atque quieto, extrahunt à sinistro brachio vncias sex vel quatuor, aut tres iuxta compressionem, & virtutem venæ grossioris, quoniam ea opportunius phlebotomiam exposcere se monstrat. E diuerso faciunt vbi apostema in inguinibus appareat: primò quida minuũt in brachio eiusdem lateris, secundò in pede illius etiam eiusdem partis ex Saphena: Verum si patiens haud multũ robustus fuerit, nec sanguine abundans, attamen naturalẽ habet decenter vigorẽ virtutisq; constantiã, aut sit vt iã existat in fine secundi, vel in tertio die, quũ iã verisimile sit materiam ipsam suũ cursum, motumq; cepisse, iamq; veneno infectã esse, euacuant vncias duas vel quatuor à latere apostematis, loco apostemati q̃ sit possibile ꝓpinquiori. Si post aures extiterit, minuũt ex cephalica eiusdẽ lateris. Qđ si hęc ipsa haud ita facilè cõprehẽdi posit, fiat in

Mediana

Mediana vniuerſo corpori comparticipante. Quod ſi nec iſta pateat, fiat in manu eadem ex vena quæ eſt inter pollicem, & indicem. Similiter autem faciunt à medio ſecundæ diei ad ſequentes, ſed ab initio ad medium ſecundi facerent phlebotomiam ex parte oppoſita, ſimiliter à primo ad medium ſecundi. Si apoſtema eſt ſub brachio, euacuandum eſt ex vena eiuſdem brachij, & ex vena cõmuni, vel ſaltem ex hepatica, aut eiuſdẽ manus infra digitum medium & ſibi adhærentem. Si in eodẽ prædicto tempore ſignũ ipſum in inguinib. fuerit, incidas venã ſub eiuſdẽ lateris, genus, aut ſub cauilla eiuſdẽ pedis. Si ſignũ vergit verſus nates, mitte ſanguinẽ de groſsiori vena, & magis apparent in dorſo pedis eiuſdem lateris. Iſtorum quoque modus eſt, quod citra ſecundæ dimidium diei, incipiunt vt plurimum in latere oppoſito ſanguinem extrahere, vltra verò vt plurimum in contrarium. Nos autem ad canones noſtros vniuerſales accedamus. Quia eiuſcemodi morbus, vel eſt in ipſo ſanguine, vel in humoribus ſangine permiſtis: ideò mihi videtur extrahẽdum eſſe ſanguinem omnibus, ab annis quatuordecim vſque ad ſexaginta, ratus multò ſatius fore, vt venenum, quod per venæ apertionem expiret, quàm ſanguinis effluxu magnopere cruciari. Extrahe ipſum iterata vice cum ſex horarum interſtitio. Robuſtis autem corporibus, & ſanguine multum abundantibus, extrahe ad ſummum libram vnam: Mediocriter verò robuſtis, & mediocriter ſanguineis ad vſque vncias octo: debilioribus autem conſtante pulſu, vncias quatuor vel tres, ſiue duas aut ſaltem vnam. Vbi verò dominium cholera obtineat, non excedat vncias extractio duas. Multi extrahere præcipiunt, quouſque non debilis, debilitetur. Hoc autem mihi minimè placet, quandoquidem ſpiritus diſſoluit. Vbi pulſus vacillat, nil prorſus extrahendum. Maior verò mihi eſt cura, prius appareat apoſtema, etiam poſtmodum prouocentur hæmorrhoides frictionibus factis cum rebus aſperis, & ſucco cæparum, cum ventoſis & ſcarificationibus & ſanguiſugis. Vbi ſanguis abundat, facias idem poſt alteram venæ ſectionem. Vbi autem modicum fuerit ſanguinis, ſaltem id feceris.

De medicinis venenum diſſoluentibus, & ad extrà trahentibus. Cap. IX.

QVidam, vt primò ſemel euacuatus eſt ſanguis, applicant epithema. Verùm ſapientiores id agunt à principio, ſæpiusque renouant, videlicet à tertia in tertiam horam, apponunt temperatè calidum cum panno coccineo. Deſcripſimus vnum ſupra, alterum hoc eſt: Sume aquarum roſarum, aquarum endiuiæ, bugloſſæ, meliſſæ ana libram. dimi-

dimidiam, aceti vncias duas, sandalorum, rosarum, corallorum ana drachmas tres, spodij drachmas duas, margaritarum, hycinthorum, saphiri ana scrupulum vnum, been albi & rubei, ossis de corde cerui, seminum citri ana drachmam dimidiam, musci scrupulum dimidium, camphoræ, croci ana scrupulum vnum. Si insolitam in patiente noueris caliditatem, fac vt vngatur hepar, & regio renum, vnguento sandalino, bis in die. Inde post horas quatuor (more consueto & ordine) exhibendæ sunt pulueris contra morbum drachmæ duæ, vel vna cum albo vino & aquis endiuiæ, necnon acetosellę pariter, & theriacæ drachmæ duę, vel saltem vna. Post hunc ipsum potum coadiuua cum pannis, & fumigijs calidis, naturam ad sudorem. Nec erraret qui theriacam solam administraret: verùmetiam plus in vsu est eam dare cum pulueribus. Addunt nonnulli acetum, & id mihi haud displicet: placet quoque eam sæpiùs administrari. Et vtilis est simul cum theriaca, aqua scabiosæ, & melissæ, vbi non multa adsit caliditas. Antiqua contra morbum pulueris talis est descriptio: Cape dictami albi, corallorum alborum, tormentillæ, boli armeni, gentianæ vna vnciam vnam, *terræ sigillatæ* vnciam dimidiam. Modernior hæc est: *Sume barbam dictami, barbam tormentillæ, agrimoniæ, ligni aloes, boli armeni, valerianę, lapatij, sandalorum rubeorum ana partes æquales, barbæ scabiosæ ad pondus omnium, misce cum sanguine tauri desiccati ad Solem, & destillati.* Alia descriptio. Sume spodij, dictami albi, gentianæ, tormentillæ, granorum iuniperi, seminum citri, carlinæ ana drachmas quatuor, foliorum albatri vncias duas. Tertia descriptio. Sume tormentillæ, dictami albi, cornu cerui vsti, zedoariæ ana drachmam vnam, margaritarũ, corallorum rub. ana scrupulos duos. Quarta descriptio. Sume tormentillæ, dictami albi, boli armeni, camphoræ, margaritarum, sandalorum rub. cornu cerui vsti, aristolochiæ rotundæ, sacchari albi ana drachmas duas. Quinta descriptio. Sume tormentillæ, dictami ana drachmas duas, seminis acetosæ, seminum citri ana drachmas tres, zingiberis albi, cinnamomi, croci ana scrupulum vnum, boli armeni, terræ sigillatæ ana drachmas duas cum dimidia, sacchari vncias duas. Hic puluis multum (vt fama est) valet contra venenum, tam ante quàm post administratus. Sexta descriptio. Sume radicum tormentillæ drachmas duas, sandalorum rub. dictami albi recentis, cornu cerui vsti, margaritarum, boli armeni, aristolochiæ rotundæ, ana drachmam vnam, camphoræ drachmam dimidiam, sacchari albi drachmas duas, pimpinellæ, myrrhæ, zedoarię ana drachmam vnam, sandalorum, terræ sigillatæ ana drachmas duas, seminum citri, croci ana scrupulum vnum, cornu vnicornis, hyacinthorum ana drachmam dimidiam. Hi pulueres vigorem

præstant

præstant cordi, adiuuantque ipsum in expellendo à se venenũ, putrescibiles humores desiccant, cohibent vias cordis ne venenum ipsum attingat, frequenter etiam venenum expellunt per viam sudoris. Experimento compertum habetur priorem, quam diximus antiquam, descriptionem, ac inter modernas vltimam cæteris esse multò, ac longè efficaciorem. Sunt quidam, qui post vomitus prouocationem (si ea opus sit) facto etiam clystere, & inunctione, primò exhibent pulueres, atque epithema: post cuius operationem tunc primùm euacuant sanguinem. Id autem faciunt vbi patiens sanguinis multum habuerit, nec fortè in hoc errant. At vbi fieri non posit sanguinis extractio, tum defectu sanguinis, loco phlebotomiæ exhibent medicinam, prius tamen puluerem. Postquàm sudauerit infirmus, aut debitum sudoris tempus elapsum fuerit, non expectanda est humoris digestio: quoniam non adest temporis mora, atque facultas pro celebranda digestione. Equidem quum necessitas immineat (siquidem ea ipsa non subest legi) minime obseruanda est consueta temporum discretio, atque dierum. Nec confidendum est spe aliqua in opere naturæ ad euacuationem enitentis, quoniam irregularis est propter indigestionem, impetumque veneni, equidem oppressa natura vt potest plus operatur, quàm debeat. Post ideò competens sudandi tempus, vel sanguinem si abundat minues, vel non abundante dabis purgationem, ex rebus tamen non commouentibus stomachum. Factus enim cum violentia vomitus, pectoris dilatando vias, facit, vt ad cor venenum percurrat, trahitque ipsum ad cerebrum. Hac de causa errant qui capraginem & res huiusmodi exhibent vomitiuas, & venenosas. Vix enim vni resistere potest natura veneno. Posset fortè nobis quispiam opponere, cur venenatos ad vomitum producere physici soleant. Dico non parem esse venenorum conditionem: cætera enim plus habent materiæ, & ad educendum aptiora per vomitũ, & sunt in stomacho: istud verò vapor est quidam venenosus, & in partibus pectoris: Nulla igitur adsit medicina, quæ vomitum violenter producere posit, at eum, qui nulla cum violentia, damnarem minime: approbarem tamen magis, vt per inferiora diuersio fiat. Dissoluatur, quam dabis, medicina in vino albo, & aqua scabiosæ, endiuię, rosarum, plantaginis, buglossæ, melissæ, aceto rosato, in quibus facta sit decoctio ex prunis damascenis, myrobalanis, tamarindis. Si autem morbus inuadit aliquem stomacho repleto, quidnam faciendum erit iuxta ordinem modernorum? Fac vt post vnctionem cum oleo scorpionum & theriaca faciliter vomat, cum aqua tepida, aceto, oleo, & succo raphani, tentando etiam prouocationem cum penna longa; deinde administrabis clystere, postmodum epithema, & de ipsis pulueribus.

deinde

deinde tempore, quo iam quietior, & restauratus ægrotans fuerit, venam seces, si est sanguineus: sin minus, administra medicinam. Et si in phlebotomia vltra quatuor sanguinis vncias extraxeris, abstine à medicina quousq; trãsactæ sint à phlebotomia horę duodecim. Et licet phlebotomiam peregeris, spem tamen non ponas in sola ipsa, præsertim in plethorico, sanguineo, & robusto corpore. Quinimò, & in alijs, quibus parum sanguinis extraxisti, etiam propinanda est suo tempore medicina, iuxta complexionis qualitatem, & virtutis. Similiter si prius medicinam dederis, non eris ea contentus, si fuerit plethoricum corpus, virtute consentiente, phlebotomiam quoq; tempore, & modo iniunge. Et hanc distinctionem facies, s. in administrando vnum, & alterum, vbi id possibile, & cõueniens. Sed vbi sanguis abundat, præcedat phlebotomia, & sit copiosior: vbi verò sanguis non abundat, medicina præcedat, & phlebotomia sequatur, modica tamen, s. potius euentandi, q̃ diminuendi causa. Post tertium diem nulla fieri debet sanguinis extractio, nisi te ad hoc sanguinis multitudo compellat. Quotiescunq; medicinam vel phlebotomiam, seu vomitiuum administras, ad hoc vt eiusscemodi agitatione ipsum venenum à signo non reuertatur ad intus si signum fuerit apparens, fac vt in tali commotione ponas sub & supra signum, ventosas, & sanguisugas, & super cor epithemata frigida. Et ante, & post propinabis per os ea, quæ defendunt à veneno, videlicet theriacam, bolum armenum, smaragdos, hyacinthos, topazium, vel saltem alia gemmarũ genera, aut corallos cum succo herbarũ contra venenum. Quum facis purgationem, exhibe medicinam cũ modico croci in decoctione supradicta. Principalis, & securior medicina secundum Persarum Medicos, & Mesuen, est triferæ Persicæ vncia vna cũ electuarij hamech drach. duabus, vel ad minus triferæ vncia dimidia, & electuarij hamech drachma vna, vel dimidia. Sed maximè robustis datur vncia vna cum electuarij hamech drachmis tribus: & Persiani eam administrant cum aqua frigida vel succo solatri, vel endiuiæ. De hoc sæpius audiui, & felix periculum feci iam pręsenti anno. Vbi autem trifera, & electuarium hamech defuerint, propinabis diasenæ loco triferæ, & diamanna, necnõ succum rosarum loco electuarij hamech mõ prædicto. Experientiam feci, & multæ vtilitatis, securitatisq; hanc compositionem reperi: Sume triferæ Persicæ, pulpæ casiæ ana vnciam dimidiam, reubarbari, diamannæ, vel electuarij hamech drachmam vnam. Sed vbi natura valida est, & venter stypticus, dabis diamannæ vel electuarij hamech drachmas duas, distempera cum aquis buglossæ, endiuiæ, cum decoctionibus supradictis, & aquis prædictis. Ego verò reubarbarum in vino albo, & aquis endiuiæ cum modico spicæ teneo per ho-

ram, quod do in substantia commiscendo omnia simul, sæpius etiam addo postmodum mannæ vnciam vnam. Conueniunt, & pillulæ de fumo terræ, aggregatiuæ pillulæ, partes æquales, robustis quidem in toto drachma dimidia, suprabibendo vinum album cum aquis endiuię, vel rosarum, & scabiosæ. Etiam ipsæ solæ aggregatiuæ in omni tempore, præsertim minus æstiuo drach.vna, vel dimidia. Notandum si febris inhæret humoribus subtilibus, & calidis, apparebit sitis vehemens, gulæ ariditas, linguæ nigredo, acutus capitis dolor, phrenesis, vel similia horrenda accidentia. Si autem grossioribus inhæserit humoribus, & minus furiosis, febris videbitur lenta, & prædicta accidentia remissiora. Considera eiuscemodi signa, & scias quòd in quocunque humore conuenit trifera cum agarico, & pillulæ aggregatiuæ vel solæ, vel cum pillulis de fumo terræ. Syrupus etiam solutiuus, quem dicemus inferius, si fuerit in materia furiosa, etiam conuenit diasenæ cum electuario hamech, vel succo rosarum. Item casia cum reubarbaro, item manna cũ diamanna in decoctionibus frigidis. Si est in materia grossa frigida, & humida conueniunt robustioribus pillularum aggregatiuarum scrupuli duo, pillularum de agarico scrupulus vnus. Debilioribus verò diacatholiconis vncia vna cum diasiniconis drachmis duabus, vel cum agarici trohiscati drachma vna vel semis. Item de pillulis contra morbum dictis superius, drach.vna vel semis: & fortè eiuscemodi pillulæ conueniunt in quocunque humore. Nota quòd agaricus bene præparatus, & trochiscatus est singularis in hoc casu in quocunque humore, & membro. Ideò quando certior essem de sua præparatione, vterer eo in omni medicina, dando drachmas duas, vel vnam, vel semis de eius trochiscis, iuxta potentiam medicinæ, & iuxta complexionem hominis. Et vbi dubitarem de eius præparatione, infunderem eum in oxymelle squillitico cum salgemma, & postea colando ponerem super medicinam absq; expresione. Item notandũ, quòd pillulę aggregatiuæ sunt appropriatæ, & loco illarum debent administrari pillulæ sine quibus, minus robustis. Et scias melius esse dare medicinam quàm pillulas in hoc casu. Et si haberi posit, diamanna melior est succo rosarũ & fortior. Et electuariũ hamech melius est ambobus, scilicet & diamanna, & succo rosarum. Demum in omni humore mirabilis est iste syrupus solutiuus loco medicinæ ad minus vncia vna, & ad vltimũ duæ, cum aqua rosarum, & vino albo. Sume corticum citri, radicũ capparis, berberis, sandalorum rub. spodij ana drachmas duas, caryophyllatę, melissæ, buglossæ, boraginis, cichoriæ ana manipulum vnũ, acetosæ. prasij, hepaticæ ana manipulũ vnum cum dimidio, scariolæ syluestris drachmas duas, seminis cucurbitæ, s. peponum, citruli, cucumeris, vio-

larum

larum ana manipulum vnum, thymi, epithymi, agarici, reubarbari, senę, polypodij ana drachmas duas, succi, absinthij, fumi terræ, ebuli, & plantaginis ana drachmas sex, myrobalanorum chebulorum drachmã vnã, citrinorum drachmam dimidiam, diagridij drachmas duas, facchari albi libras duas, fac syrupum cum aceto cydoniorum. Iste syrupus à Doctoribus vocatur diuinus in conseruando, & curando, quia statim abscindit humores putrescibiles, confortat membra principalia, pellit venenum ad extra, & de eo pluries visæ sunt experientiæ. Inter cæteros Doctores, Petrus de Tussigniana, & Gentillis Fulgineus eum mirum in modum commendant, & mihi videtur eum factum esse ad intentionem triferæ Persicæ, sed magis solutiuus, & mihi summopere placet in personis non debilissimis, & non habentibus ventrem valde lubricum. Sumatur semel in hebdomada à sanis, & ægris. Nota quòd post operationem medicinæ, aut phlebotomiam, si medicinam non administraueris die sequenti, propinetur theriacæ drachma vna, cum aquæ rosarum vncia vna, cum modico aceti rosati. Nec timeas theriacæ caliditatẽ, quoniam tam modica portio parum calefacere potest, eo quòd qualitas elemẽtaris, qualis est caliditas, & similes, quum sint valde materiales, haud multum operatur, nisi multa cum materia. Verum specifica virtus vtpote quæ donum sit cęleste, & quasi spiritale, multum operatur secũdum Galenum pauca etiam cum materia. Theriaca autem à proprietate specifica operatur contra venenum, ac præter hoc, caliditatis secundũ vix perficit gradum, ideo longè potentior est ad venenum expellendum, q̃ ad calefaciendum. Febris item pestilentialis multo magis venenosa quàm calida: at exhibenda est theriaca cum aqua rosarum, & etiam in cæteris curandum est, vt tendant ad quandam frigiditatem, quatenus hac ipsa vti valeas. Potest etiam dari mithridatum loco theriacæ, sed multo potiores ex theriaca visæ sunt experientiæ. Ideo inquit Moyses Ægyptius narratum sibi esse à sapiente quodam Medico, se dum tẽpore pestis in Antiochia artem exerceret, ipsa re verum reperisse, cætera remedia cuncta fore debilia, ac solum qui monitu suo theriacam assumebant, tutos, & superstites euasisse, cæteri nequaquam. Et hi tantũ, qui ea post morbi inuasionem vsi sunt, liberati fuere, alij vitam morte cõmutarunt. Per hoc cõfirmatur, quod inquit Galenus in libello de theriaca ad Cæsarem, eam esse omnibus venenis per aduersam, foreq; potentẽ, vbi cætera deficiunt, ac sunt debilia. Hoc aũt habet à virtute quadã miraculosa. Sunt ẽt qui vrinam potu exhibeant, vel lixiuium: item succum ceparum albarum cum aceto, haud scio quid mihi dicendum. Hoc moneo ne confidentiam habeas in purgatione postquam eam feceris, etiã si ex ipsa melius se habeat infirmus, sed quum æger melius habere vi-

debitur, tertia die aut quarta post purgationem. Si multa adhuc adsit sanguinis superfluitas, extrahe parum de sanguine, & reitera eandem medicinalem purgationem. Quòd si non admodum abundat, repete saltem pulueres, & medicinam, ne recidat in peius. Quidam exhibent euphorbium cum mastice, ac gummi elemi. Sume euphorbij drach. quinque, & scrupulum vnum, gummi elemi vncias duas, masticis vnc. vnam cum dimidia: dabis robustis ad pondus drachmam vnam, debilibus scrupulum vnum, cum aquis endiuiæ, & scabiosæ. Est quidē periculosa medicina, nec nisi robustissimis appropriatur, ac nisi in principio. Asserunt nonnulli gummam elemi fore gummam arboris cedrini. Secundum quòd hoc in casu non debilis exhibenda est medicina, id est, quę exilem faciat operationem, quoniam natura ipsa si prima medicina non bene sit operata, secundam non expectat. Nec tamen decet nimio impetu soluere, nam ex hoc resoluerentur spiritus, istudq; malum mage consistit in qualitate quadam venenosa, quàm in quantitate materiæ. Inquit Gentilis Fulgineus se multa expertum cum supradicto puluere, ab initio sic ipsum administrabat: Sume euphorbij drachmam dimidiam: masticis drachmam vnam, dabat ex his scrupulos duos, & multum plethoricis drachmam vnam. At mihi multò magis placet agaricus, quia vt aiunt Democritus, Galenus, & Auicenna, ab omnibus membris aliquem trahit humorē, similiterq; habet virtutem quasi theriacæ, aduersus omne venenum cor roborat, idq; ab omni veneno expurgat, grossos principaliter purgat humores, nec relinquit tenues quoque intentatos. Sit albus, porosus, rotundus, necnon & fractu facilis, dulcis ac leuis. Sit quoque modicæ amaritudinis, & stypticitatis, bene tritus, & mistus cum salis gemmæ parte tertia, & sic corrigatur cum sal gemma, melle rosato colato, oxymelle squillitico, & vino in fusionis zingiberis, & sic præparetur introchiscatum. Et debilibus tutius est vt detur permixtus alijs rebus, quàm solus, & melius in decoctionibus, quàm in substantia, quoniam frequēter longos producit vomitus, ventrisque dolores, nisi bene electus, & præparatus sit. Quod si debitè fuerit electus, & præparatus, est medicina sancta, & familiaris, secundum Democritum, & Mesuem. Felices nanque fecimus (modo & ordine dicto) ipso cum agarico experientias. At circa euphorbium cōpertum habuimus, quòd valde bonū nōnunquā fuerit opus: at sæpiusculè contrariū. Vniuersaliter, & in summa, sis celer in euacuādo, & frequens, obseruatis modo & ordine. Frequentius infirmum recrea, quoniam spiritus alias plurimū resoluuntur, nec tantùm ea dato, siue cibaria, siue medicinalia, quæ solùm mollificāt, sed his permisce refrigeratiua, desiccatiua, & cordis confortatiua, quæ etiam veneno resistant.

De

De cibatione, & regimine ægrotantis. Cap. X.

CIbus esse debet, secundum Rasim & Auicennam quarto Canone, frequens, modicus, leuis, elixus, ac multi, & humidi nutrimenti, cõditus cum rebus acetosis, & frigidis, vt scilicet cum endiuia, acetosella, aceto, agresta, malis granatis, arancijs, limonibus, cerasijs acetosis, prunis. Cibi substantia sint pulli, perdix, phasianus, consumatum, destillatum, oua recentia. Hœdinas quoque carnes non prohibeo. Summa, nutriatur rebus liquidis, humidis, & multi nutrimenti. Sic tamen nutriri debet, vt natura toleret, nec febres multiplicentur: plus enim multo quàm cæteris hoc in casu vberiori opus est alimento. Inquit Auicenna quarto Canone, quòd venarum repletio per nutrimentum prohibet vaporis venenosi aeris, & humoris transitum, & quòd hi frequentius liberentur, qui intrepidè nutrimento adiuuantur. Nota, quòd facto clystere solutiuo, de quo supra mentionem fecimus, si restauratione opus sit alia, sumat aliquid per os, facies solutionem, vel cum enemate, vel suppositorio, inde ad horas quatuor administrabis aliquid nutrimenti, de quo paulo supra differuimus. Vinum sit album, subtile, odoriferum, dilutum cum aqua ferrata, recenti saltem, parte æquali. Melior verò esset aqua aurata, in qua aurum ignitum extinctum sit, vel etiam extingui potest aurum in vino. Non sinas eum pati sitim, nec os exiccari, sed continuè fac ipsum gargarizare cum vino albo bene diluto. Res teneat in ore humidas, frigidulas, frequenter bibat de acetositate citri, & iuleb rosato, ana partes æquales cum vino granatorum, & aqua, siue succo acetosellæ. Vtilis est syrupus acetosæ simplicis cum aqua ferrata, & pariter succus cedri, vel limonum, siue aranciorum expressorum: hæc dabis cum aqua, & saccharo fini, vel fortè melius cum aqua hordei, vel ferrata. Item saccharum rosatum, aut diamarenatum, vel diaprunis, & diacydoniten dissolutum in aqua, colatum, & expressum, vel rosas, cerasa acetosa, myrobalanos, tamarindos, pruna, cydonia, persica sicca, trita, & infusa in aqua, post colata, expressa, & cum saccharo, & aqua recenti exhibita, vtilia sunt. Conuenit etiam acetum album cum aqua ferrata, & saccharo ægris, simul atque sanis. Confert etiam oxysacchara composita cum aceto albo, succo granatorum acetosorum, & saccharo. Prodest quoque succus granatorum medij saporis, vel succus siue vinum acetosorum cum modico sacchari, & aqua hordei cum vino granatorum. Bonum est aureos annulos in aqua tandiu confricare, vt aliquantulum rodantur per aquam. Item bullire aquam cum auro, & ea vti in cibo, & potu bonum est.

Secundum

Secundum Gentilem fieri fortasse potest, vt aurum ad formam reducatur liquidam aptam ad potandum, hoc modo: Sume auri vnciam vnam, argenti viui vncias duas: misce, & simul mixta maneant, quousque aurum dissoluatur: deinde imponas alembico cum igne lento, intantum, quòd argentum viuum alembicum exeat. Postea excipias aurum ex fundo alembici, & adde aquarum buglossæ vncias quadragintaseptem, ponas in alembicum vitreum bene obturatum. Continuabis sub eo ignem per tres dies, & noctes, ignem dico bene proportionatum. In fine si callueris artem, inuenies aquam minimè consumptam, & aurum liquefactum, & hoc est aurum potabile cordialissimum, & digeri potest. Aurum quidem alia forma parum est vtile, quia digeri nequaquam potest. Administrabis in die ieiuno stomacho ex his syrupis, scilicet de acetositate citri, de limonibus, de cichoria, de fumo terræ, ana drachmam dimidiam, cum vncia vna aquarum melissæ, & succi acetosellæ. Item syrupi de agresta, de ribes, rob berberis, de cydonijs, de granatis medij saporis, de granatis cum aquis endiuiæ, & buglossæ. Item syrupi de endiuia cum aquis endiuiæ, & acetositate citri, cum succo acetosellæ, & vino granatorum acetosorum: item succum limonum, vel citri, vel aranciorum expressorum exhibendum cum aqua, & saccharo. Non displiceret si loco aquæ administrares brodium pullorum, quod appellari vulgariter solet Piperata, aut perdicem coctam cum agresta, & endiuia, exinde colata, cui mixtum sit aliquid ex memoratis succis, cum dulcibus contemperando acetosa, veluti natura facit in granatis medij saporis. Etiam mala granata acetosa cum vino, & succo suo sola, vel etiam cum alijs succis, condiantur bene omnia. Item succum rosarum, myrobalanos, tamarindos, saccharum rosatum, & diamarenatum, diaprunis, diacydoniten, dissoluta in aqua, & colata, & expressa, bibenda sunt cum aqua recenti. Item oxysacchara cum iuleb rosato, & aqua ferrata. Item succum rosarum, & acetositatem citri cum vino granatorum. Nota, syrupus acetosæ scilicet in quocunque vtilis est syrupo. Vbi non habeatur acetositas citri, exprime limones vel arancios, & cum saccharo tempera, & vbi maior adsit caliditas, maiori quãtitate dabis acetosa, vbi minor, minori. Et vbi non habeatur syrupus acetosus, dabis acetum, aquam, & saccharum simul permixta. Album acetum melius est rubro. Item syrupum hunc optimum: Sume succi melissæ, boraginis, buglossæ depurati, ana vncias tres: aquæ rosarum, aceti albi, ana vnciam vnam cum dimidia, acetositatis citri, & limonum vnciam dimidiam, sacchari albi libram vnam, ex hoc propinabis vncias duas cum aquarum buglossæ, & acetosellæ vncijs duabus, & dimidia, ex his vtere, q̃n placet: Et simul dato duos trochiscos de camphora. Quidam

dam ſapientum loco ſyrupi hanc dant potionem: Sume aquæ roſarum libram vnam, vini albi odoriferi libram dimidiam, boli armeni optimè puluerifati, & cribrati vnciam dimidiam, pro vice vna exhibeto drachmas duas: eſt enim remedium, & antiquum, & potens. Experimentatores duobus potiſsimum vtuntur, videlicet ſucco florum aranciorum cum vino in caſu, & poſt caſum, & ſemine cardonis bendicti cum vino, quia hæc ſunt experta aduerſus venenum fungorum. Solent & hęc dare ſapientes: Sume ſucci ſcabioſæ vncias tres, terræ ſigillatæ drachmam vnam cum modico vini, item ſeminum citri drachmas duas cum vino bono. Item ambram, & charabe cum vino: item ſpecierum coagulorum drachmam vnam cum vino. Coagula ſunt muccilagines quędam in certis veſicis, appenſæ in viſceribus hœdorum, & leporum. Item radicem palmæ Chriſti cum vino. Hæc quibus (vt tradidimus) ſapientes vtuntur, remouent venenum à corde. Conueniunt ad conſeruandum, & curandum hæ confectiones. Multum confide in hac noſtra compoſitione ſimplici, ſecura, efficaciſsima. Accipe boli armeni drachmas duas, terrę ſigillatę, corallorum rubeorum ana drachmam vnam, corticum citri, zedoariæ, croci ana drachmam dimidiam, ſacchari roſati roſis rubeis conditi vncias ſex, acetoſitatis citri vncias decem, dabis ſemper cum vino albo, & aqua roſarum: quandoque commiſcendum eſt parum aceti roſati. Ex his etiam conficere poſſumus pillulas, ſi loco ſacchari roſati accipiamus roſarum rubearum vnciam dimidiã, cum acetoſitate citri quantum ſufficit. Quidam dant iſtas compoſitiones: Sume ſacchari roſati, trium ſandalorum, diadraganti, ana vncias quatuor, folia auri numero decem, margaritarum, hyacinthorum, oſsis de corde cerui ana drachmam vnam. Item cape margaritarum ſcrupulum vnum, ſaphiri, hyacinthorum, ſmaragdorum drachmas duas, terræ ſigillatæ, trium granorum, ſerici crudi triti ana drachmam dimidiã, ſmaragdorum drachmam vnam, manus Chriſti roſati quantum libet, aquæ roſarum in aqua confricentur annuli aurei, vel vaſa aurea huiuſmodi quantum ſufficit. Item aquæ roſarum, ſacchari albi ana libram vnam, ſandalorum rubeorum, & alborum, corallorum rubeorum, ſpodij ana drachmam dimidiam, margaritarum drachmam vnam, hyacinthorum, ſmaragdorum, ſaphiri, oſsis de corde cerui ana ſcrupulum vnum. Omnia aromatica conueniunt ad conſeruandum, & curandum, maximè quæ attinent frigiditati, & caliditati. Et ſi non conueniant ad febrilem calorem: valent tamen aduerſus venenum ipſius, & maximè ſi contemperentur cum frigidis, ita vt ad frigiditatem aliquam declinent, & plus declinent ſtante vel temporum, vel complexionum, vel febrium acutarum caliditate. Item nota quòd inter terram ſigillatam, & bolum

bolum armenum hæc est distantia, quòd quamuis vtraque valeat contra venenum, & morbum, nihilominus plus vtuntur sapientes terra, quàm bolo in cæteris venenis: at in morbo pestilentiali potius è conuerso faciunt. In hoc conueniunt omnes, in cæteris venenis nil melius esse terra sigillata, maximè exhibendo eam cum modico boli armeni, & granorum iuniperi, & aceto diluto secundum modum Galeni, quia statim constringit, clauditque vias pectorales, ita vt venenum per eas transire non possit, eijcitque venenum per vomitum. Pariter & venenum quod per solutiua educibile, id facit administrata tã post quàm ante casum, sed securius ante. Similiter cõsentiunt omnes, quòd quum ad conseruandum se à peste, tum etiam expellendum ipsam bolus armenus cætera simplicia superet omnia, maximè exhibitus cum vino albo, & aqua rosarum, secũdum ordinem Galeni, Serapionis, & Auicennæ, qui aiunt se esse expertos tempore magnæ pestilentiæ fuisse cũ hoc faciliter, & conseruatos, & sanatos humores. Est enim bolus armenus rubeus parum croceus, delicatus, frangibilis: terra vero sigillata aliquantulum sit rubens, gustui parum acetosa, & arida, nonnihil viscosa, nec tamen adeò tenax, vt digitis adhæreat. Aduerte quòd nonnunquam initium capit morbus cum sputo sanguinis abundante, hoc in casu non datur bolus, neque aliud huiusce venenosi sanguinis strictiuum: Imò coadiuuatur iste fluxus cum rebus pectoralibus, extrahiturque sanguis ex ambabus venis saphenæ, in qualitatem complexionis. Quòd si ægrotus est multum sanguineus, fit etiam minutio postmodum ex mediana. Nec sunt prætermittendæ fricationes stomacho ieiuno. Fac vt admoueat naso spongiam intinctam in aqua rosarum, & aceto rosarum, & cum vino odorifero, quibus etiam sæpe lauet omnes pulsus & faciem. Vbi adsit de futura phrenesi suspicio, admoueas quandoque fronti aquam rosarum cum aceto rosarum. Et nisi nimiam metuas somnolentiam, addas parum camphoræ. Cura ne infirmus in profundum nimis deueniat somnum: sufficiunt enim horæ sex, vel quinque per diem, & noctem, siquidem dormitio multa retrahit venenum ad intra. Ventosæ à tergo positæ, frictiones, & ligamenta circum extremitates, conferunt ad phrenesim pariter, & somnolentiam. Item confert suppositorium ex sapone duro cum modico sal gemmæ. Somnus modicus in principio morbi vtilis est, nec ideò tantum vigilandum est, vt inde spiritus resoluantur. Camera euentari debet sæpe aperiendo, & reserando: ex hoc enim variatur aer: sic tamen euentari debet, ne ob id sentiat ægrotans, & patiatur frigoris quicquam. Debent tendi per latera lecti lintea aceto madefacta. Asperge parietes ac solum cameræ aceto aqua permixto: spargantur hincinde, &

per

per angulos, & parietes apponantur frondes, pampini, cannæ, salices, rosæ, plantulæ, & folia citrullorum, & alia quæque viridantia, flosculi, & poma odorifera. Facies suffitum ex sandalis, & rosis, mirtillis, & camphora, terebinthina, thure, corticibus citri, corticibus granatorum, & pomorum communium, additis modicum caryophyllorum, & croci. Super omnia curæ sit, quòd singulis horis sex oportet te mutare, & renouare infirmo camisiam, & omnes pannos, lintea-mina, fumigia, vnà cum vase pro fumigio. Si commode fieri potest mutabis singulis vigintiquatuor horis stratum, & cameram. Antea autem, quàm introducatur, sit camera bene emundata, ac bonis (vt conuenit) odoribus fumigata. Aliter enim amictus, lectus, & habitatio, veneno inficiunt. Nec volo cum silentio præteriri, quòd vbi insolita appareat caliditas, stomachi robur, dolorumque ab intestinis securitas, consueuerunt Rasis, & Iohannitus semel tantum ad potandum dare aquam frigidam, & recentem multa cum quantitate. Ego verò, vt securiùs agerem, darem aquæ hordei recentis libras tres cum vncijs tribus sacchari. Et forte darem etiam succi cucumeris libram dimidiam, cum vncia vna sacchari bene simul permixta, postea succi aranciorum vel granatorum vnciam vnam, & drachmam vnam sacchari. Quidam compatriota noster vir robustus, quamprimum hic ipsum morbus inuasit, immersit se aquis frigidis, perque duas horas sic stetit, exiens liberatus est: veruntamen fallacissimum hoc est experimentum. Fortè securius esset sedere in aquis tepidis, quæ pectoralia non attingerent, quoniam hæ partes non sunt aperiendæ, nec ad ipsas prouocandi sunt humores. Nonnulli hoc in casu assumpserunt venena, & maximè quæ frigidæ naturæ, & fortassis etiam ea, quæ calidę naturæ, prius vel post theriacam vel terram sigillatam cum bolo armeno, & aceto aqua permixto, & similia, quæ contra venenum sunt. Inter quos quidam physicus liberatus fuerat. Videtur tamen mihi res admodum periculosa.

De cura per artem chirurgiæ. Cap. XI.

HOc in casu non est expectandum, quousque appareat inflatio, aut bulla, sed facta purgatione vel phlebotomia, sis celer, & promptus ad venenum extrahendum, faciendo cum fermento, & cantharidibus ruptorium, vel aliud ex his, quæ inferiùs narrabimus. Applices musculo dextri brachij sub cubito interiori à parte, vel vbi tãgi solet pulsus, nõ tñ super proprio pulsu. Similiter facies sup̃ talo pedis dextri quatuor digitis ad intra, vt fiat vesica, quam aperi, apertáq; teneas. Si solitũ ap-

paruerit signum, & incommoditas, breuitasq; temporis obseruandum ordinem impediant, fiat phlebotomia, atque purgatio. Quibus factis vel saltem phlebotomia, facies ruptorium, & applicabis eidem lateri sex digitorum sub signo distantia. Sunt qui temporis varietati non confidant, sed & præter ordinem primo & post, simulque quò melius possent remedijs curæ student. Modernorum talis ordo quorundam est, vt vbi nil impediat, primo purgetur infirmus cum clysteribus, pulueribus, phlebotomia, & medicina. Post verò applicanda, vt diximus (etiam non apparente signo) ruptoria, ac tutius est confestim (appareat signũ vel non) ponamus ruptoria, & reliqua huic morbo appropriata. Si videatur apparens, sic facito. Si enim apparuerit circa aures, subito ruptorium applica collo in posteriori parte, eiusdem tamen lateris, in quo signum. Si sub brachio, musculo ruptorium apponatur eiusdem brachij, vel propè pulsum, non tamen supra. Si in inguinibus, pone iuxta cauillam, hoc est super talo pedis eiusdem lateris. Quum alibi appareat, applica ruptorium sub signo per distantiam sex digitorum, vel sextantis: ne tamen ponatur, vtcunque sit, supra pectus. Et si fuerit in gula, videlicet à parte anteriori, ponatur ruptorium à posteriori videlicet in collo: si verò in posteriori parte eodem in loco fuerit, non debet in anteriori applicari, sed potius sub loco signi, sicque tandiu permittes ibidem ruptorium, donec vesicam fecerit, quàm aperias, & suprapo nas butyrum, & folia caulis: item spongiam hac intinctam decoctione. Sume camomillæ, brictanicæ, meliloti, scabiosæ ana manipulum vnum, bulliant in libra dimidia aquæ ad consumptionem dimidij: hanc quia venenum trahit renouatio, teneto sæpius in finem vsque curæ.

Simplicium descriptio ruptoriorum. Cap. XII.

RVptoria hæc sunt, vincetoxicon, vitriolum, flos æris, nux rancida, cordumenium, arsenicum, calx viua, antipharmacum, cuscuta, calx cum sapone fullonum, aura, cynoglossa, fermentum cum lixiuio, galbanus, cauda equina, euphorbium, stercus columbinum, stercus accipitris, anserum, anatum, nasturtium, limacia viua, vel suo cum cortice trita, rana excoriata, & assata, calamentum, pulegium ceruinum, aristolochia, raphanus, viscum, centinodia, costum, piper, lapis, spongiæ marinæ, flammula trita, vrtica, sinapis, vitis alba, mentastrum, scabiosa, canabis, canapatium, cantharides, & salgemma, grana masticata, pyrethrum, vitellum oui cum multo salis, consolida maior, & scabiosa, tritæ intra duos lapides mirabiles sunt. Dicta ruptoria debent cito, vt dixeram, applicari, & fortè pariter super signum apparens. In delicatis per-

sonis

ſönis vtendum eſt lenioribus, & in alijs, fortioribus. Et tutius eſt vt ſub ſigno ponantur, quàm ſupra, vel ſupraponantur minus fortia: ſub vero, fortiora.

Curandi apoſtematis rationes, modi & conditiones. *Cap.* XIII.

HOc ſignum vocatur apoſtema, quod quum venit ante febris acceſſum, indicat cor eſſe, & potens ad expellendum venenum, & tunc eſt febris accidens apoſtematis. E diuerſo eſt quum venerit poſt febrim. Hoc enim apoſtema eſt duarum generationum, altera eſt bulla, & nominatur anthrax, & carbunculus: Altera eſt inflatio, & vocatur bubo, & glandula. Bulla communiter per emunctoria exit, & quãto plus à principalibus diſtat membris, tanto minus perículoſa eſt. Nigra eſt omnium peſsima: ſecundo viridis loco eſt paulò minus mala, tertio glauca, rubea quarto. Et quanto aridior, tanto etiam peior eſt. Inflatio communiter in emunctorijs venire ſolet, hoc eſt principalium membrorum purgatorijs, quæ tres ſunt, in locis ſcilicet poſt aures, ſub brachijs, inguinibus. Cerebrum per emunctoria poſt aures demittit venenum, necnon in collum. Cor ſub brachia mittit. Ad vel circum inguina hepar. Hac de cauſa peior eſt inflatio, quàm bulla, quoniam veneni multum ad principalia decurriſſe membra oſtendit. Et quanto cordi propinquior inflatio fuerit, tanto quidem periculoſior. Vtrunque ſcilicet bullæ pariter, & inflationi quaſi ſimilis eſt cura. Sunt qui accedente apoſtemate ante febrem, & procul à corde faciunt ſubitò ligaturas inter locum doloris, & cor, ſupraponuntque, repercutiendi cauſa res frigidas, ſiccas. At ſupra doloris locum proprium, res ponunt calidas, & humidas, reſolutiuas. Alij quamprimum apparere incipit apoſtema, ponunt ſupra ſimul, & à latere ventoſas, vt diximus, & ruptoria, ſubito hanc exhibendo medicinam. Sume hellebori nigri præparati, ſenæ, cinnamomi ana drachmam dimidiam, diagridij ſcrupulum dimidium: infundantur in vini granatorum vncias quatuor, & ſacchari vnciam vnam. Si ad multas horas in infuſione ſtaret, melius eſſet, poſtea cola, & exprime: propinanda quum apparet apoſtema antequam dormiat. Sic verò præparant helleborum: ſcindunt per longum in fruſta minuta, ponunt ipſum in pomo dulci, inuoluuntque pomum in ſtuppis prius aqua roſarum intinctis, ſicque coquunt ſub cineribus calidis, cocto ſemel proijciunt pomum, recoquunt helleborum alio in pomo, modo, quo prius, ſeparatim à pomo conſeruatur. Dant robuſtiſsimis helleborum mixtis miſcendis, modo, & ordine dicto. Cæteris verò, & minus robuſtis dant ſolum-

modo pomum secundæ coctionis. Præparant scammoneam coquẽdo ipsa in malis cydonijs, vel in pasta farinæ hordei facta cum vino cydoniorum. Non reprobo istorũ regulas, sed ad nostras regredimur.

Regulę, & modi applicandorum ruptoriorum. Cap. XIIII.

QVum opportunum non est, vt extrahi possit sanguis cum ventosis vel sanguisugis, nec incendi signum, poni debent sub, vel simul vtrobique ruptoria ex dictis, & his etiam, quæ in sequentibus dicam, compositionibus. Exhibes autem prædicta si videatur temporis adesse commoditas, postquàm extractus est sanguis, ac parum quieuit ęgrotans, vel saltem post assumptionem medicinæ, & eius perfectam operationem, & si non præstò affuerit qui manu operetur, dato puluerem, quem si non habeas, exhibe medicinam. Si nec medicinam habueris, applica sine dilatione ruptoria supra, & extra signum, cum moderatione, vt diximus, & ordine: & si tempus instet, nec quicquam adhuc factum sit, exhibe simul purgationem, & ruptoria, nec cesses vnquam à remediorum administratione, nec differas, vt speres, te omnia cum temporis commoditate facturum. Aduerte ne super signo ponas res adeò frigidas, & stypticas, vt venenum ad intra repercutiant. Vtere his, quæ apta ad trahendum, & resoluendum, vt sunt res calidæ. Ac aliquantulum temperandæ sunt quandoque, si eas continuamus cum rebus frigidis, vt nimia euitetur inflammatio, nec tamen ita frigidis, vt inde restringant. Nec multum metuas dolorem: quoniam venenum trahit ad apostema. Nolo tamen toleres excessum, quoniam vires adderet veneno, augmentaret pariter & febres, naturamq́ue nimis lassaret. Locum ruptorij nolo per artem in totum consolides, donec tres elapsi sint menses: hoc verò quum facis, reitera purgationem. Quidam Florentinus noster hoc Vere incidit bullam: quod quum inde ab hoc morbo ita liber esset, vt non diuersus foret à sanis, haud ita multo post quamprimum plagam consolidauit: transactis verò post diebus quadraginta, iterum morbo infectus bidui spacio interijt, maximè hoc, quia sine purgatione plagam restrinxerat. Hoc etenim scias, quòd qui post septimum perit diem, mala potius cura id euenit, quàm huiusce natura morbi. Scito quòd postquàm venenum in tantum decurrit ad apostema, vt principalia membra per hoc sint alleuiata, nisi tu perbene, & continue idipsum trahas, rectifices, & purges, intrinsecum apostematis venenum plus exasperatur, contractum vaporat ad intra, & occidit. Idcirco continue cor ipsum fortifica constringendo vias eius intus, & ab extra

tra

tra, humores sæpius euacua, venenum plagæ rectifica, purga. Nihil speres certi ex illorum præter rationem sanitatis spe, quinimò nec ad instans ob hoc à remedijs cesses, maximè si adhuc septimus non elapsus fuerit dies.

Composita ruptoria, & emplastra quædam fortia. *Cap. XV.*

MVltifariam sunt ruptoria composita, fortiaque in trahendo venenum ad extra. Enarrabimus multa, & secundum opportunitatem cuiuslibet auxilio commode vti posis. Sume ficus, ireos, & grana tritici contusa, parte æquali, maturat hoc citò, ac rumpit. Item fermentum cum oleo, & sale. Item pix cum passulis, & melle. Item stercus passerinum cum axungia porci. Item vitrum pulueriza tum cum terebinthina. Item, nisi abominosum foret stercus humanum, valet multum ante, & post rupturam, supraponendo medullam panis feruenti oleo intinctam. Item oleum cum cineribus bullitum. Item cantharides numero decem, cum vncia passularum vna, fermenti vna, & semis, scabiosæ, cynoglossæ, consolidæ maioris, antipharmaci ana vnciam vnam, incorporentur cum oleo liliorum. Et si fortius facere volueris, adde sal, & columbinam herbam, rutam ana drachmas duas. Itē nasturtium cum oleo, & sale. Item auripigmentum, piper ana drachmas duas, caricas numero decem, fac emplastrum cum melle quantum sufficit. Item baurach, salis ammoniaci, scabiosæ, antipharmaci, allij, piperis ana partes æquales, fac emplastrum cum succo scabiosæ. Item galbanum, radices liliorum alborum, stercus humanum, consolidam maiorem tritam inter duos lapides. Item fermenti vncias quatuor, sinapis, rutæ, scabiosæ, absintij ana manipulum vnum, radicum liliorum alborum partem tertiam, vitrioli drachmas duas, cantharides numero decem, galbani vnciā vnam, nuces rancidas numero tres, olei liliorum alborum quantum sufficit, coquātur herbæ, & radices in oleo, & fiat emplastrum, addendo cætera ingredientia secundum artem. Item cantharides cum oleo saponis. Item cineris quercini, quo tinctores vtuntur, partes quatuor, calcis partes sex, misce, & quum vteris, suprapone prædictum emplastrum. At istud nunc dictum emplastrum facies cum oleo oliuarum nigrarum, & fortius est, si oleum cum cineribus bulliat. Item fermenti, vrticæ, pinguedinis carnis exsiccatæ, barbæ maluauisci, maluæ, partes æquales. Quinque sunt herbæ hoc in casu tum in omnibus emplastris, tum etiam intus sumptæ valde conuenientes: quoniam tam intus, quàm extra veneno resistunt, & sunt quasi temperatæ, scilicet consolida, scabiosa, agrimonia, brictanica, aristolochia.

De

De emplastris temperatis. Cap. XVI.

FOrtia sunt admodum supradicta ruptoria, & emplastra, cum ad rumpendum, tum etiam ad extrahendum citò venenum. Sed non sunt continuanda, quoniam nimis inflammarent: attamen eis plus vti quis posset, vbi apostema non esset coloris multum viridis, aut rubei, vel nigri. Ac etiam vbi non multa foret corrosio, temperatiora quædam adducam, & magis conuenientia, vbi de magna metus esset inflammatione. Sume barbæ maluauisci vncias duasl, caput vnum liliorum alborum, farinæ seminis lini ana vnc. vnam cum dimidia, bulliant in aqua communi, & pistentur cum fermento, & axungia veteri, applicetur calidè. Item sume furfuris non penitus expurgati à farina manipulos duos, coquatur in aceto. Item columbina cum aceto, & oleo rosato. Item farina hordei cum succo brictanicæ, vel consolidæ. Item cepas cum butyro coctas addendo post caricas, & fermentum cum oleo camomillino dulcorari potest (si opus sit ob odoris vehementiam) addendo poma cocta, aut maluauiscum, & maluam, ipsarumq; nuccilagines. Quod si maiori adhuc opus sit dulcoratione, accipe cepas coctas & poma cocta, scilicet cum butyro, & oleo camomillino. Item maluæ, barbæ maluauisci, scabiosæ ana manipulum vnum, bulliant herbæ in aqua communi, cum qua incorporetur farina. Pistentur autem herbæ, & condiantur simul omnia cum vncia vna pinguedinis gallinæ, & totidē olei camomillini, croci drachma dimidia: est enim delicatissimum emplastrum. Item scabiosa, pes columbinus, cichoria, consolida maior. Conuenit post hæc emplastrum ex apio, brictanica, farina orobi cum prædictarum herbarum succis, secundum aliquos etiam cum theriaca. Item emplastrum ex opopanaco trito cum passulis. Item assa, ruta, & nitrutum cum melle. Bonum quandoque fuerit vnctum esse cum theriaca, suprapositis cepis, & malua coctis. Supraponunt etiam nonnulli flores aranciorum, & folia contusa cum axungia, & malua. Quantum verò ad ipsam theriacam, volunt aliqui non esse ei quicquam superponendum, quoniam remittit venenum ad intra.

Emplastra temperatissima. Cap. XVII.

QVum bulla multum nigra est, & supra modum ardēs, ac perquàm citò accendit, corrodit, & dilatatur, temperatiora debent esse ea, quę administras, desiccatiua cum aliquali frigiditate, temperataque caliditate resolutiua. Exempli gratia: Sume plantaginem, & gallas cum aceto coctas: item lentes cum pane mixto, cum cribratura furfuris. Item granata acetosa, & medij saporis in quatuor partes scissa, & cocta

in

in aceto vsque ad eorundem dissolutionem, conterantur, & applicentur, conueniunt ab initio morbi vsque ad declinationis statum. Conuenit alterum hoc emplastrum ante hulcerationem causam à bulla: Sume acacij, dragacanti, opij, corticum granatorum ana drachmam vnã, viridis æris, hyoscyamum album, fac emplastrum cum vino, & serua ad vsum. Quando videas iam factam hulcerationem, suprapone id aliquantulum desiccatiuum: Sume esdram cum vino, & rob granato, & similibus: aduerte ne partes signo circunstantes putrefiant, defende ipsas cum bolo armeno, aqua rosarum, oleo rosato, aceto rosato, & cæteris. In recessu inflammationis, hulceratione remanente, pone emplastrum ex litargyrio, & corrosiuas plagas conferunt, id est, quæ refrigerant, desiccant, repercutiunt, ex quibus aliqua superius commemorauimus. At temperate facito cuncta, & repete vt expedit, purgationes ad intra.

De modo mitigandi dolorem circa ipsum apostema. Cap. XVIII.

QVæ superiori tractata sunt capite in bullis multum nigris, & corrosiuis verificantur, at in cæteris non tantæ inflammationis temperatior esto, maturiorque in repercutiendo ardorem, doloremq; partim à morbo, partim ab ruptorijs siue ab inflammatione prouenientem, si mitigare studeas, circumpone signo medullam panis calidi recentis primum excepit è furno, vino acetoso, vel succo plantaginis, intincta. Item quoque prædictam medullam, necnon, & lentes in aceto, applica, & sæpius muta, & ne desiccetur emplastrum illico suprapone folia plantaginis. Quando emplastrum deponis lauetur plagæ superficies cum vino pontico siue acetoso, suprapone farinam hordei cum melle. Intelligo autem poni debere ista non supra, sed circum plagam, quamuis secundum Petrum de Tussigniana aliosque, & doctos, & expertos, hęc quæ diximus non multum repercutiunt, verùm pellunt caliditatem, confortant doloris locum, & temperato quodam calore resoluunt. Remanentem postea plagam his rebus curato, quæ ad venenosas, corrosiuasque attinent plagas.

De modo incidendi putrem ipsius apostematis carnem. Cap. XIX.

QVando est mortificata plaga, cura subitò, vt tristis illa caro decidat. Sume brancæ vrsinę, barbæ maluauisci, herbæ peruincæ, foliorum maluæ ana vnciam vnam, coquantur, pistentur, & misceantur cum axungia porci non salita, & cum butyro veteri, sic simul ad tres

dies

dies permittantur, poſtea colentur, exprimantur, addendo colaturæ parum ceræ, & maſticis, ſerua ad vſum. Vtque competentem faciat plaga cruſtam, quam poſtea bene diuellas, quum dicto vſus es emplaſtro, vngatur cum butyro, & oleo. Cruſtam autem nulla cum violentia depone (id quidem multum obeſſet) morare donec natura id per ſe facere incipiat, quam poſtmodum cum ſupradictis adiuua. Interea ne corrodat venenum, perque ſanas corporis partes diſcurrat, hunc in modum ſuccurrere opus eſt. Habeas ventoſam amplam, ita vt totam (quum applicatur) plagam hoc modo ambiat, videlicet, vt ſupraposita tangat circumcirca tantummodo carnem ſanam, ita vt plaga nulla ex parte contingi queat à ventoſa. Hanc igitur ventoſam applicato, ſic trahendum venenoſum ex profundo ſanguinem, prohibendumque ne intrò reuertatur.

De modo mundificandi plagam. Cap. XX.

RVpto apoſtemate, extractaque veneni materia, propinanda ſunt conſtrictiua, ſimulque mundificatiua. Sume farinam ordei cum melle, & modico ſalis, ſuprapone folia caulium. Item ſarcocollam puluerizatam, & mel parte æquali: ſi fortius volueris, coque in primis ipſum mel, poſt verò adde ſarcocollam. Eſt equidem ſecundum Gentilem de Fulgineo, & Petrum de Tuſsigniana ſolennis compoſitio, quoniam omne vulnus mundificat, omnemque ſanioſam plagam. Commendo pariter ad hanc rem emplaſtrum diaquilon.

De modo regenerandi carnem bonam. Cap. XXII.

MVndificata quum fuerit plaga, ad bonam carnem regenerandam, accipe folia baſiliconis optime contuſa. Item recipe xanthos, centaureæ maioris, herbæ pentaphyllon, conſolidæ maioris ana partes æquales, deſtillentur in Vere per alembicum, vel facito his ex herbis ſuccum, ſicque ſimul permitte donec bene permiſceantur. Poſtea adde illis aquæ vitæ partem quintam, ſerua ad vſum: iſtud enim mirabile inuenies in regenerando carnem. Item confert ad hoc barba aſphodeli, hoc eſt lappa, cocta cum fęcibus vini. Item emplaſtrum ex coriandris viridibus cum melle, & paſſulis.

De varijs modis extrahendi ſanguinem à ſigno. De modo cauterizandi per incendium. Cap. XXIII.

OMnis circa ſignum prædicta cura, quæ (vt antea narrauimus) fit cum ruptorijs ſimplicibus, & compoſitis: Laudabilior fieret Italicorum omnium Doctorum ſententia, modo quem iamiam dicemus, poſtponendo ipſa ruptoria, & ſic faciendo: Pone cauteria diſtanter à ſigno quemadmodum iam diximus, & ſimul ſupra ſignum magnam pone ventoſam, qua depoſita tange ipſum varijs in locis cum raſorio

& lan-

& lanceola, postea ventosam repone, vt sanguinem attrahat, eamq; cessante sanguinis attractione amoue. Deinde tres bene purgatas sanguisugas applica, his que iam repletis, & amotis, gallorum vel pipionũ columborumq; pullos scinde per medium, & sic calide vnum post alterum appone. Post, secundum quosdam, debet iungi cum theriaca, dein verò permittas eum quiescere. Nonnulli istorum loco deplumant locũ circa annũ galli & accipiunt saponis aliqualiter obscuri, ac quasi viridis vnc. vnã, opij scrupulum dimidium, pistantq; bene, & cum sale albo pulverizatissimo faciunt suppositorium gallo, & totum insimul superponunt. Quo peracto restaura ægrotantem, & postmodum eum leniter cauteriza. Non dico cum cera nec oleo feruenti, quia oppilant, sed cum auro ignito, aut argento vel ferro, ipsumq; instrumentum in summitate rotundam habeat planitiem ad formam vnius satis magni quadrantis, sitque in medio huiusmodi planitiei acies siue acumen ad formam adamantis, non nimis acuti. Et post incendium inunge cum butyro, & cooperias locum folio caulis, & permitte eum quiescere. Hoc multo eligibilius est ruptorijs, eo quòd citius operatur, magisque pellit venenum, meliorem insuper qualitatem in membro relinquit. Posthac vtuntur rebus plagæ superponendis, & circa, quas superius commemorauimus post ruptorium administrandas, & eodem modo. Nonnulli pestilenti morbo laborantes, non aliud ostendunt signum quàm maculas, veluti morbilli, per corporis cutem disseminatas. Istiusmodi debent inuolui panno coccineo calido, & custodiri à frigore, apponanturque duæ magnæ spongiæ dorso cum renibus, & pectori calidæ, intinctæ decoctioni meliloti, camomillæ, & lentis, & bene expressæ, & ieiuno stomacho: sæpius mutentur. Dabis etiam in potu decoctionem caricarum, lentis, granorum tinctorum, & croci.

De cura, secundum morem Hispanorum, & Catelanorum. Cap. XXV.

Dictum à nobis in præcedentibus de istiusmodi morbi cura secundum Græcorum, Latinorum, necnon & Barbarorum intentionem, maximè verò secundum vsum Italorum, at in præsentia iuxta Hispanorum morem pariter, & Catelanorum, de hisce medicamentis considerabimus. Itaque secundum istos fit statim clystere: post verò, si sanguis abundat, phlebotomia. Sin minus, exhibetur iuxta peccantis humoris qualitatem medicina. Ab initio applicant epithema: deinde facta aliquali euacuatione, saltem cum clystere, ad curam procedunt apostematis. More etiam istorum, nihil ex inflammantibus, ardentibusque superponi debet apostemati, quia spasmum inducunt, fe-

bres accendunt, malignius reddunt venenum, maximè si in emunctorijs fuerit apostema. Aiunt item non esse in principio adpponenda maturantia multum ac maceratiua, quoniam glutinant, oppilant, putrefaciunt, referuere faciunt, pelluntque venenum ad intra. Nec frigida quoque dicunt administranda, nec quicquam (quia desiccat) cum spongia, neque cum panno, quia intus claudit vapores, stringitque. At verò cum lana munda, siue cum stuppa (maximè ex cannabo) laudabile est. Præsens decoctio est maximè familiaris, his præcipuè qui sunt natura delicati, ac etiam in emunctorijs. Accipe flores camomillæ, melilotum, capillos veneris, bulliant in aqua, imbibe lanam, siue stuppam, exemptam manibus exprime, applica tepidam, vel parum calidã, singulis horis renoua, donec resoluat, vel aperiat. Post verò aperturam transacto die quinto vtere maturatiuis, & quæ mundificant, regenerant. Bullis autem vt rumpantur, securè superponitur scabiosa pista vel sola, vel cum veteri axungia porci, & salita. Si viridis est bulla, vel nigra, nec tamen est in emunctorijs, aperias eam subitò varijs in partib. cum lanceola, vel rasorio, vt inde citò exeat venenum. Deinde laua bullam cum aqua salsa: ne ibidem remaneat sanguis coagulatus, applica sanguisugas. Postquam fuerit rupta, & veneno expurgata, transacto (vt suprà) die quinto, superpone maturatiua, mundificatiua, regeneratiua. Præter hæc (nisi admodum tenellæ sit ætatis ægrotans) debet non supra, sed sub bulla per sex digitorum distantiam poni ampla ventosa. Postea fieri debet apertio cum lanceola, vel rasorio, & iterum apponi ventosa, vt sanguinem attrahat, videlicet vncias duas, vel tres, vel plus etiam iuxta tenorem, consensumque virtutis. Aduerte signo in emunctorijs existente, ne proprio signo applices ventosas, nec incidas, nec nimis ipsum molestes frequentando ventosas, quoniam sic augetur spasmus, multi trahuntur calidi humores, peius efficitur venenum, & multi sic faciendo pereunt. Verùm si circa aures, vel in gula huiusmodi signum appareat, applica ventosam retro sub spondilibus colli, non supra, vel in spatulis. Si verò appareat sub brachijs, applica ventosam sub eodem latere, declinando versus dorsum. Si in inguinibus, applica ventosam in coxa, vel retro sub clunibus. In quocunque horum casuum sic facito: Pone per sex digitorum spatium procul à signo (vt diximus) ventosam, & scarificando trahas sanguinem cum ventosis, vel sanguisugis. Sed supra signum, supradictam pones decoctionem, vt temperatè leniat atque resoluat. Vnà cum decoctione bonum esset si posses apponere lapidem quempiam veneni tractiuum puluerizatum, vel integrum, vt sunt smaragdus, hyacinthus, topazius. Tamen secundum aliquos istorum possumus superponere

signo

signo sanguisugas, & quandoque etiam ventosas. Esto quòd sit in emunctorijs, nulla tamen fieri debet cum violentia, post verò lauando cum aqua salsa. Hoc fit quando signum summè inflatum est, vel mali coloris: & quum est apertum signum, transacto die quinto vtuntur maturatiuis. Quòd si hæc ipsa decoctio minimam faciat operationem, reduces eam ad formam docciæ, vel guttæ. Quando ipsum apostema plus solito est inflatum, quidam post diem tertium fortiter incidunt ipsum per longum eius membri, in quo signum apparet, per interuenia scilicet, euitando venas, & arterias. Et si nimis flueret sanguis, obuiant cum stuppa intincta vitello oui, & oleo rosato, non verò in albumine, quia frigidum est, & viscosum. Eo tempore confortant ægrotum cum cordialibus intus, & extrà. Verùm sapientiores inter istos non approbant hanc incisionem, iudicando ipsam maximi esse periculi, præsertim in emunctorijs. Post verò quintum diem si febris non est ardua, ac signum non multum est venenosum, nigrum, vel viride: si etiam approximat rupturæ, corpore bene purgato, incipe cum maturatiuis, postquam feceris quæ diximus, ad maturandum apostema. Sume barbæ maluauisci, barbæ liliorum, enulæ campanæ, cucumeris asinini, cæparum ana libram dimidiam, caricarum pinguium, seminis fœnogræci, seminis lini ana vnc. vnam, foliorum maluæ, maluauisci, brancæ vrsinæ, herbæ violariæ ana manipulum vnum, coquantur cum impetu in aqua, bene pistentur. Si pro delicatis hoc maturatiuum fiat, colentur prædicta, coquantur, pistentur, & exprimantur. Postea addatur axungiæ porci recentis, liquefactæ, colatæ, libra vna, vel quantum sufficit. Aliqui addunt limacias bene pistas, vnà cum cortice: hoc enim cõuenit vbi cutis multum densa est, veluti in inguinibus, & post aures. Alij addunt fermenti panis grossi ana vncias duas, aut plus, vel minus, secundum oportunitatem trahendi, & rumpendi, quæ res conuenientior est in bullis, quàm in inflationibus emunctoriorum. Sunt & alia quædam leuiora maturatiua, vt est farina tritici cum oleo, & aqua simul bullita, donec ad aliquantulam tenacitatem perueniant, vel cum medullæ panis furfurei, & cum caricis pinguibus simul coctis, & postea pistis. Possumus addere oleum oliuarum, vel oleum amygdalarum dulcium, aut axungiam porci recentem. Si talis axungia vetus esset, & salita, forte hoc emplastrum vtile ad leniter rumpendum bullas. Etiam addere possumus pinguedinem gallinæ recentem, si tali cum pinguedine, axungia, & butyro recenti, oleo violato, barbis liliorum coctis fiat emplastrum gratum delicatis. Huiusmodi maturatiua (vt antè diximus) fieri debent post purgationem cessante febre, & postquam signum est apertum, expuragatumque veneno, transacto etiam die

quinto, deinde vtuntur mundificatiuis, postea regeneratiuis, vltimò consolidatiuis signi. Si bulla fuerit nigra, vel viridis & corrosiua, nec est in emunctorijs, incide cum profundatione lanceola, vel rasorio. Postmodum administrabis docciam cum aqua salsa aliqualiter calida, ne sanguis (vt diximus) coaguletur: deinde applica ventosam, aut sanguisugas, vel anum galli deplumatum. Quidam applicant limaciam viuam, nonnulli ranam viuam: hoc autem fieri potest quando signum non sit in emunctorijs: postea apponi aliquod facile ruptorium quod suprà tradidimus, vel etiam istud: Sume vitellum oui cum modico salis, nec fortius, quia bullã malignaret: mutetur autem istud sæpius. Quod si & hoc bullam nimis conturbaret, vtere sola scabiosa pista, vel veteri axungia porci salita, vel simul vtrisque. Sunt quædam ruptoria admodum fortia, quæ non debent poni super emunctoria, nec vbi grauis adsit febris: quæ etiam si ponantur, vbi non minus sit fortis, minimè conducunt. Sume caricas crudas, & fermentum. Item si hoc non valet, faciunt hoc fortius, obseruatis tamen modo, & ordine narrato: Sume cantharides bene tritas, & tertiam partem axungiæ porci, hoc pone super bullam malignatam ter vel quater. Dicunt chirurgici hoc esse sæpius expertum. Quando adhuc fortius hoc ipsum habere volunt, addunt quartam partem saponis fullonum, quod quidem dicunt in maligna bulla, & in homine robusto mirabiliter operari. Item aliud forte pro bullis. Sume pulueris nitri bene pulurizati vnciam dimidiam, granorum tritici tritorum, vel dentibus masticatorum vnc. vnã, vitella ouorum numero duo, croci drachmam vnam, terebinthinæ vnciam vnam, bene commisceantur, & superponantur cum stuppis mundis. Reliqui apponunt calcem viuam cum sapone. At quoniam huiusmodi ardentia & violentia frequenter malignius faciunt apostema, & febres, ideò securius est ante ulcerationem aduertere, ne materia intro reuertatur, etiam ne quasi rabida efficiatur his cum rebus acutis, in debilibus præsertim complexionibus, vel multum cholericis, ideo his intentionibus vtile est emplastrum Galeni toti membro superponere. Sume plantaginis, lentis, panis furfurei ana partes æquales, coquantur in aqua donec ad quandam soliditatem perueniãt, superpone loco doloris, & circumcirca per latum spatium. Auicenna addit gallas, vbi plus de subtili sanguine apparet, quàm de compacto. Item ad istud vtile est emplastrum granatorum dulcium, & acetosorum coctorum in aceto, & aqua, præsertim vbi apparet materia incensa. Post verò quàm cessare incipit ardor, cõuenit emplastrũ Auicennæ, ex caricis pinguibus, passulis, nucibus, farina hordei, simul coctis ad maturandum, & rumpendum. Post verò factam rupturam, mundificetur plaga cũ succis

apij,

apij, absynthij, plantaginis, melle rosato, farina, coctis cum modicó terebinthinæ lotæ, deinde consolidatur secundum ordinem aliarũ plagarũ: circumponitur verò vnguẽtum ex bolo armeno, & oleo rosato. Quidã ab initio causa fortis attractiònis, ponunt inter musculos tibiarum, vel brachij, vel super spatulis herbam flammulã, i. cuscutæ tritam, quæ quidem faciendo ulcerationem emunctoriorum ad se trahit humores, & membrorum principalium. Istud remedium in robustis corporibus, & vbi nulla adest febris, vtile est, non alibi, nec aliter. Nonnulli actuale faciunt cauterium super signo cum ferro ignito, quod quidem plus cõuenit robustis, & vbi non est ardua febris. Raymundus inquit, quòd theriaca, & bolus armenus non trahunt ad se venenum, sed procul depellunt: ideo dicit non esse assumenda per os post secundum vel tertiũ diem, quando materia iam venenosa est, & cor ipsum attigit, nisi bene euacuata sit, & correcta. Item prohibet ne vnquam super signo ponantur, nec etiam vult, vt apponantur, nisi signum extra emunctoria fuerit, & quoque ante tertium diem, & in circuitu, non supra. Potest administrari bolus armenus etiam post septimum diem, plaga veneno expurgata, vngendo in circuitu. Sic igitur conuenit in tertio antequã plaga sit facta venenosa, & conuenit post septimum, postquam plaga veneno expurgata est: in circuitu autem vngi debet cum oleo rosato, aceto rosato, & aqua rosarum ad defendendum membrum. Hactenus Hispaniensium, & Catelanorum narrauimus opiniones vnà cum correctionibus Arnoldi, & Raymundi medicorum singularium: vera res est, & Raymundus huius est sententiæ, scilicet quòd non debeat purgari infirmus cum phlebotomia, medicina, aut vomitu, quando apostema repletum est admodum, & venenosum, hoc est, transacto die secundo, ne venenum tali motione intrò reuertatur. Hæc quidem opinio videtur corrigenda secundum alios, & sic videlicet purgari debet si opus sit (cũ dictis obseruantijs) etiam post ipsum diem secundum, sic tamen quòd dum purgatur applices ventosas, & sanguisugas, sub & super signo, & quòd cor defendatur intus, & extra cũ cordialibus frigidis: & hic quoque modus non prorsus est alienus ab intentione præfati Raymundi.

De astantium conseruatione, qui infirmum regunt. Cap. XXIIII.

HVius astantes præter ea, quæ dicta sunt in principio pro conseruatione (scilicet theriacã, pillulas, & similia) nisi vacui fuerint sanguinea superfluitate, debent aliquantulũ sanguinis extrahere ex vena cõi, facta bona purgatione cũ dictarũ pillularum drach. vna, vel saltẽ media. Vtile est sæpiùs sumant pulueres, & medicinã contra morbũ, vt in præcedẽtibus dictũ est, & maneant quò magis procul põt ab infirmo, præ-

sertim

sertim quum sunt ieiuni. Euentetur sæpe locus habitationis, & fiant fumigia, vt supra dictum est, nunquam prætermittendo terebinthinã: gestent in manibus faces ardentes, & carbones bene succensos bonis odoribus fumigantes, lauent vniuersum corpus cum aceto tepido, bis in die, s. manè, & serò. Sæpenumero mutet indumenta, & frequentius renouet fumigia, maximè cum thure, terebinthina, iunipero, myrto, sandalis, rosis, & camphora, vel roremarino, lauro, & similibus. Teneat in manibus arancium, & fasciculum rutæ, vel querculæ maioris, & menthæ ac melissæ cum myrto, & flosculis recentibus: sit semper bene purgatus ab omni humore, & cibo superfluo. Iterum repete salutiferum illum odorem cum aqua rosarum, aceto rosato, vino maluatico, zedoaria vel corticibus citri: super omnia lauet sæpiùs cum his manus, & vultum. Cuius etiam compositionis pauculum bibat, & teneat etiam admotam naribus spongiam in eadem iam dicta mixtura intinctam, ligatam in ligno fraxini: quoniam tantam habet fraxinus contra venenum potentiam, vt nullum animal veneficum eius appropinquare audeat vmbræ, suo neque odori: potius enim sese sponte ad concremandũ igni concederet, quàm vt huic proximè adhæreret arbori. Faciant sæpiusculè ignes, & focum per vniuersam domum, maximè cum lignis, & rebus odoriferis. Nec putet qui semel ab hoc morbo liberatus est, sese deinceps non posse hoc in casu perire: quia præsenti anno ter vnum ex Florentinis nostris hic morbus inuasit, qui secundo perfectè liberatus, tertio mortem euadere non potuit. Eodem iterum anno in mense Septembri mulierculam liberaui quandam à peste: sana equidem erat, vt cæteri, qui semper sospites extiterant; at quum inter morbosos versaretur, post dies xviij. iterum infecta perijt. Nulli confidendum est in hoc, quòd cæteris sit fortior, & magis sanus, quoniam venenum ita fortes interimit, vt debiles. Imò venenum istud plus, quàm reliquos offendit sanguineos atque robustos, eo quòd apertæ sunt illis pectoris viæ, habent & cor valde calidum, multumque sanguinem calidum, & humidum, ideo cordis ipsa caliditas per meatus apertos multum trahit aerem perniciosum, & quidem subito trahit, antequam temperari transitu possit. Etenim sanguinis caliditas per quàm citò succenditur, & inflammatur. Confestim putrefactioni subest humiditas, in que venenum conuertitur: quippe, vt quanto plus in vase vini, & quanto potentius, tanto etiam in plus, tumque in mordacius vertitur acetum: sic potens venenum, tanto quidem abundantior, quanto calidior fuerit in pectore sanguis, quando equidem sanguis sit ipse venenum, perquàm faciliter paruoque ipsius contactu transmutatur ad idem. Conuertunt enim se alterutrum contactæ inuicem partes ad venenum. Nec

te

te prætereat, ò qui patientis curam geris, quòd quanto illi es propinquior, tum cognatione, tum complexionis vel naturę ac constellationis symboleitate, tanto quidem maiori contagionis subiaces periculo, quia lationis quædam inest qualitati promptitudo, vt similis ad simile adimpleri transmutatio posſit, veluti ignis ad aerem, ad aquam aeris, huius ad terram. Et quum duæ citharæ, binæ vel fidiculæ versu modulantur eodem, tunc quidem resonat motus, voxque huius in illam. Si verò petis, quas intret per vias venenum? respondeo, quòd omnes per corporis poros, maximè, qui magis aperti. Citius autem offendit quando per nares, per os perque pulsus ingreditur, & multo quidem fortius si vias adinuenerit in calidis, humidis, subtilibusque apertas humoribus; & si quoque à similibus prouenit humoribus, sique influentia Martis cum diuerso euenit, & modo contrario, cumque Saturnio influxu se quidem eo tardius demonstrat. Multoties immanet vestibus diu, & cute vijs patentibus, & venis cordi propinquis, nec inde quisquam grauari videtur, quia pauculus est, leuisque vapor, nec eam habet cęteris, vt cordi partibus contrarietatem, sed ipsi tantillum quum primùm cordi contiguum efficitur, manifestè non occultè lædit. Similiter rabidi canis venenum, necnon & alia suam longo etiam post tempore detegunt offensionem. Hæc denique scias velim, quòd scilicet per bimestre spatium remanet venenum in personis. Parietes, ferramenta, & quæ sunt ex lignis constructa, nisi corrigantur cum lotionibus, fumigijs, ignibus, per annum vel plus fortè suam reseruant venenositatem. Vestes quoque laneæ, & id genus nisi euententur, lauentur, sæpiusque fumigentur, vel ponantur ad ignem, ad ventum, ad solem, tribus annis, & vltra remanent infectæ. Nosti quidem muscidi odorem araneij in qua mucesserit capsula, multos seruari per annos. Similiter suo quo prius erat bombace musci diu permanet odor. Equidem vt ignis oleũ, sic nutrimentum huius est lana veneni, & quidem ita enutrit hæc lana venenum, vt non modò conseruet ipsum, sed & augmentet, simulque fortificet. Non est vtendum pro cibi vel potus dispositione vasis illorum qui infecti sunt, nec tangi debet quicquid adhæserit illis. Iucundè tibi viuendum est, eo quòd lætitia vitalem confortat spiritũ. Cõtinẽter, & sobriè viuas, siquidem tanti est valoris sobrietas, & continentia, vt ea sola mediante in multis, & quidem grauibus (Athenis quæ fuerant) pestilentijs Socrates philosophus sese seruarit incolumen. Inquiunt ideo Aristoteles atque Galenus talem esse in puris corporibus dispositionem, vt fermè nunquàm sentiant pestem, vel ea ipsa (etsi infecti) saltem non pereunt. En tibi iam duo, vt te conserues singularia trado. Parato, vt bibi posſit smaragdum, vt tangi, vt ore teneri

suspen-

ſuſpendique collo, cuius tanta eſt aduerſus venena virtus, vt, teſte Raſi, Auenzoar, Serapione, tyris, & bubonibus eius conſpectu ex ſeſe ſtatim lumina cadant. Pauperibus dare ſoleo raphanum ſylueſtrem, parum pro vice, ne ſanguinem incendat: tantam enim habet contra venenum efficaciam, vt ſcorpionem eius contactu crepari faciat. Et dicit Dioſcorides, quòd trito cum aceto eius ſemine lotis manibus, tangendo ſerpentes nocere minime poſſunt. Lapis bezoar (ſi quis poſſet habere eum) ſuper omnia valet aduerſus venena: quamuis enim Perſico idiomate id omne bezoar ab antiquis appellari ſolet, cuius eſt proprietas virtusque pellendi venena: ſecundum tamen Serapionem, & Raſim principaliter vocatur bezoar lapis quidam omnibus venenis tum calidis tum frigidis morſibus, cunctiſve ulceribus venenoſis ſua virtute reſiſtens, & confert ſiue ſumatur per os, tum etiam ore teneatur, vel è collo ſuſpenſus, tum denique quouis modo applicatus ad extra. Oritur in Syria, in India, in partibus Orientis, eſtque diuerſi, diuerſus trini coloris. Nam quidam glaucus eſt & fuſcus, quidam glaucus, fuſcus, & viridis, alter verò albus, & aliqualiter glauculus, videlicet ſimilis colori vini albi, clari: hic inter cæteros eſt optimus, læuis, delicatus, mollis, abſque ſapore, ſplendens vt lumen. Doſis eius quando per os recipitur eſt grana duodecim. Teſtificantur Raſis & Serapio ſæpius ſe ſuis compertum habuiſſe temporibus, quòd prætioſiſsimis iſte lapis omnes tam ſimplices quàm compoſitas medicinas, tum etiam compoſitas theriacas propria qualitate ſuperauerit in reſiſtendo venenis. Inquit Hahamed, ligetur in annulo, inſculpaturque ſcilicet lapidi ſcorpionis imago, quum luna eſt in Scorpione, reſpiciendo ipſum aſcendentem. Quo facto ſigillentur cum eo thura quando luna fuerit in ſigno Scorpionis. Quod ſi poſtmodum huiuſcemodi thuris puluerizati ad debitam quantitatem venenato in potu dederis, tantum valebit aduerſus venena, quantum & proprius ipſe lapis. Inquit Abdallahamarach hunc ſe vidiſſe lapidem, quem comparaſſe ait filium Mamari, ſeque in ſolutionem lapidis Cordubæ palatium dediſſe. Serapion ait eundem mirabilia operari non ſolum in hominibus, ſed & in cæteris quibuſdam animantibus: primùm quòd contingendo hoc lapide Scorpionis aculeum deperdit pungendi potentiam. Præterea tritum mixtumque cum aqua, ſerpentiſque ori impoſitum, occidere eum aſſerit.

Fuge citò, procul, ac tardè reuertaris. Cap. XXV.

RESeruare viſum eſt ad libri calcem principalium hac in materia regularum declarationem. Fuge quantum potes hominum conuerſationem, & maximè quando es ieiunus. Sis ſemper remotus à ſocio ad minus per ſpatium bicubiti, & in loco libero, aperto: & ab infecto

(quum

(quum secum loqueris) remotior saltem per sex cubitorum intersti-tium,& sub diuo,vel loco aereo, & caue ne ventorum flatus ab eo versus te spiret. Inter te & ipsum sit sol,ignis,odores,vel tendens ad ipsum ventus: loca enim angusta,simulque turba hominum, valde periculosa sunt. Hoc etiam commemoro,quòd parietum procinctu,ac domum contingentia, & continuatione multiplicatur morbosa contagio. Super omnia suadeo,vt cito,ac procul fugias ab his locis quibus imminet pestis,tardeque redeas. Dixi cito,hoc est quamprimum apparent signa proximæ pestis:quæ quidem signa sunt, quando eius loci aer extra naturalem suam dispositionem esse videtur, declinando ad calidum, & humidum, quando nebulosus; nubesque densæ, puluerulentus apparet,venti grossi,& tepidi ac etiam quando aquæ, & agri fumãt & olent,sic pariter,& pisces mali sunt saporis,atque odoris. Quum multa super terram ex putrefactione nata apparent animalia, fungorum,& putridarum herbarum copia, terræ fuctus & animalia insipida sunt,& parum conseruantur, turbida efficiuntur vina, multa,& terrestria,& aerea animalia ab eo loci recedunt,insolitæ oriuntur febres latentes,furiosæ,continuæ, fallaces, cum pectoris anxietate, cum pulsus prosternatione, phrenesis, vrinarum turbulentia,palati intestinorum excoriationes,oculorum rubedo,vermes,morbilli,multæ fœminarum conturbationes,iræ rabidæ,rixæ,dira bella,monstra naturæ, mirandaque,vel naturæ vel à Deo signa inuisa multum,& rara. Hæc enim quæ diximus,præsagia sunt propinquæ pestis. Tunc igitur fuge antequam vnus efficiaris de duodecim mille signatis. Id verò dupliciter fieri potest, scilicet vel quia iam captus eris contagione infectorum, vel quia tristem infectis aeris qualitatem iam receperis, sic quòd pedetentim fiat ille tibi familiaris aer,ita quòd nec aeri natura, nec aer illi resistet: verùm si alienam subitò quæsieris auram,abibit primus aer,illique natura resistet, & hic naturæ, prouenit vnde pestis origo. Et etiam vt procul aufugias moneo, videlicet vt ea te ad loca conferas,quibus res, nec personæ,nec soni,strepitus, rumores quicunque infecti loci ad te peruenire valeant. Sicque remotus esto,vt alti intermedient montes, quibus vaporum prohibeatur accessus,ne ventorum flatu,vel aeris dilatatione te possint contingere. Considera loci,ad quem curris dispositionem,& situm, videlicet ne pestilenti quouis modo sit similis aeri, vtpote in calido,frigido,humido,siccoque,nubibus,pluuijs, ventis: sis denique tali in loco firmatus,vt venti,nubes,pluuiæ,spirare, dilatari, abinde ad te moueri nequaquam possint. Nec te hoc fugiat,quòd horoscopus siue Ascendens alicuius vrbis,vel castelli infectę vel infecti sępius ad ea loca omnia pestem extendit,quæ illi ab initio ciuitati,vel ca-

ſtello ſubiacent, & quæ aliqualem eo cum Aſcendente conformitatem habent. Tertiò dicimus vt tarde reuertaris, quoniam pauxillula tranſacti morbi remanens infectio, potens eſt ad eos perquam ſubito maculandum omnes, qui etiam haud intempeſtiuo fugam tempore ceperunt, quia maiori ſubſunt periculo qui locum frequentant infectum quum prius aufugerint, quàm hi qui ſemper ibidem, cum cautela tamen, permanſerunt, quoniam ſubita, nouaque male tolerat natura accidentia, & præter hoc diutiſsime quidem remanent hæ (vt ante diximus) qualitates in parietibus, lignamentis, veſtibus, pannis, quibusque & cæteris. Quantum verò ad ſolius aeris diſpoſitionem vna ſufficit angaria, ita vt ibi ad tres menſes immunes ab hoc morbo omnes quicunque ſunt perſtiterint, iudicari poteſt aerem iam fore purgatum. Sed eſto cautiſsimus in appropinquatione, & cōtactu eorum, quę plus aere venenum retinent. Procinctus fornacium in muris diutius ſeruant, quàm ligna venenoſam caliditatem: verùm purificando (vt ſæpius diximus) videlicet cum ignibus, lotionibus, euentationibus, fumigijs, odoribus, & reliquis. Purificantur homines communiter ſpatio quatuordecim dierum: domus, lignamenta, & cætera in viginti vno. Panni, veſtimenta, & huiuſmodi ſpatio dierum viginti octo. His habeas tēporibus ſeparata ad bibendum pariter, & manducandum vaſcula, & lectiſternia quæque, vel ſaltem ſi cætera non poſsis linteamina reliqua lotionibus, & fumigijs purificato. Equi, pecuniæ, ſupellectilia, ſarcinulæ, & huiuſmodi, niſi admodum cautè egeris, venenum diu ſeruare ſolent: quare vigil, cautus, & prudens eſto, cunctiſque ordinatum prouideas.

FINIS.



IOANNIS PAVLLI GALLVCII SALOENSIS,

BREVI QVADAM DESCRIPTIO,

De cęlesti themate erigendo.
De parte fortunæ, & hepatis extrahenda.
De diuisione Zodiaci.
De dignitatibus planetarum tum essentialibus, tum accidentalibus.
De temporibus ad medendum accommodatis.



VT ei, quantum in me situm est, satisfaciam, cuius causa hoc suscepi onus, vt obscuriora loca in libellis præstantissimi Medici, atque Astrologi Ioannis Hasfurti illustrarem; coactus sum hic ostendere primum breuiori quadam ratione viam erigendi cęleste thema secundum modum, quem rationalem dicunt: Omissis tamen æquationibus omnibus, & quæcunque studiosis negocium facessere possunt. Viam enim omnibus numeris absolutam habes lector in ephemeridibus Excellentissimi Antonij Magini, quam perlegas, & sequaris censeo, quicunque tamen prius hanc quoque nostram sibi familiarem reddiderit, is facilius, eius sententiam assequetur, qui eandem rem perfectius tradit.

Ostendam deinde quomodo tum fortunæ, tum hepatis pars extrahatur.

Apponam hic præterea tabulam dignitatum essentialium Planetarum.

Postremum addam, alia quæ huius facultatis sunt prima erudimenta, vnà cum temporibus ad medendum accommodatis, quæ omnia etsi sunt superius tradita: tamen cum hic quasi vno intuitu cernantur, studiosis non ingrata fore confido.

AD ASTROLOGIAM

Quomodo erigatur cœleste thema per tabulas in ephemeridibus contentas omissis æquationibus.

Vt cœlestem figuram erigas tria requiruntur, tempus certum, cuius cœli positum requiris: positus Zodiaci per duodecim domos cęli distributus, vt se habet reipsa eo tempore, & tertio loco planetarum collocatio in zodiaco prout se habent pariter eodem tempore.

Tempus certum pluribus modis habetur: sed certius est, per Astrolabium, quadrantem, sphæram, aut aliud huiusmodi instrumentum. non ita multis de caussis certum, per horologia mobilia, quibus pene vbique nunc homines vtuntur.

Tempus præterea mensuratur per annum, mensem, diem, horam, minutum, primum, secundum, tertium, & sic deinceps vsque ad decem.

Principiū diurnæ mensuræ alij ab alia diei parte sumunt, alij ab occidēte Sole, alii à media nocte, alii ab oriente Sole, alii à meridie, vt Astrologi faciunt.

Vt autem res ex sententia conficiatur habita hora cum scrupulis tui diei, si adsunt, diligenter animaduertendum est, cuiusnam generis sint horæ, quas habes, & illæ ad horas astrologicas, idest pomeridianas reducendę sunt. Cum enim breuitatis causa velimus vti ad hanc rem ephemeridibus, & hæ ad has horas constructæ sint, ob id ad eas nostrum tempus dirigendum est.

Hoc autem fit hoc modo in Italia vbi horæ incipiunt ab occidente Sole, & quando non datur habere per Astrolabium tempus postmeridianum (tunc enim nihil opus est quærere, quod habes cum Astrolabium tempus pomeridianum ostendat) fit inquam hoc modo, quem tibi hoc exemplo declaro. scire volo Die 10. Septembris. H. 8. Noctis præcedentis, quo tempore hæc scribebam Venetiis, quota hora sit post meridiem precedentis diei: Nonus enim dies, qui à meridie incipit nondum elapsus erat. Primum quæro in ephemeridibus annum, mensem deinde, postremum diem nonum, quo die videndum est, quo zodiaci loco sit Sol quod tibi ostendet prima columna sub titulo ☉, qui est in gra. 16. 34. 25. ♍. sine errore hoc loco dicendum est esse in gr. 17. ♍. Hoc gradu ingredior tabulas quantitatis dierum, quę in ephemeridibus Magini incipiunt, pag. 53. & ibi quæro hunc Solis gradum in ea tabella, quæ est ad latitudinem Venetiarum ad grad. ſ. 45. (tanta enim est huius ciuitatis, latitudo) & sic faciendum est in aliis ciuitatibus sua tabella; quæras inquam necesse est hunc gradum in ea tabella, sed animaduertendum est duplicem ibi adesse graduum ordinem ascendentem, scilicet & descendentem: ascendens respondet signis in parte tabulæ inferiori, descendens signis in superiori parte positis: reperto igitur Solis gradu, & signo, in quo est; angulus communis tibi dabit arcum vel semidiurnum H. 6. M. 21. Hoc est à meridie diei 9. vsque ad occidentem Solem, quo tempore

est

est principium nostrarum horarum, quas dixi esse 8. Elapsę sunt H.6.M.21. quibus additis 8 horis sequentis noctis, quo tempore, vt dictum est scribebam, & cęli positum scire volo, conficiunt H.14.M.21. quod tempus postmeridianum est, & Astrologicum, & illud, quod quęrebamus, quod ita semper faciendum est cum arcus inuentus est semidiurnus. Sin autem tota hæc summa excesserit H.24. detractis H.24. quod reliquum est, illud est tempus pomeridianum sequentis diei. Cum autem seminocturnus est, per eum semidiurnus quærendus est: quod fiet, si ex H.12. subduxeris seminocturnum arcum. Quod enim reliquum est, semidiurnus erit: Exempli gratia: Cum Sol erit in grad.1. ♓ seminocturnus arcus erit H.6. M.47. Hoc tempus subtrho ex H.12. hoc modo.

	H.12	M. 0.
Arcus seminoct.	H.6.	M.47.
Arcus semidi.	H.5.	M.13.

Hoc autem arcu vtor, vt superius dictum est.

Hoc verò tempore reperto, & aliud tempus reperiendum est, quod à meridie dicitur. Quod nihil aliud est, quàm tempus elapsum, ex quo principium ♈ incepit eodem die discedere à linea meridiana, vnde principium diei auspicantur Astrologi, quod reperitur hoc modo.

Cum gradu Solis superius dicto ingredere tabulas domorũ in ephemeridibus, quę apud Maginum incipiunt pag.113. & primum quære in fronte tabularum latitudinem tuę ciuitatis, si adest, etsi non adest proximiorem, hìc autem hic est grad.45. sed cum quęlibet latitudo habeat duodecim tabulas duodecim signis inscriptas, ea sibi vtendum est, in cuius fronte est ☼ in tuo signo, in ♍ scilicet, & in secunda columna sinistrorsum, inscripta 10. perquire gradum, in quo est grad.17. tempus autem è regione sinistrorsum in prima columna, cuius inscriptio est tempus à meridie, est illud, quod quęris. Hoc autem est in nostro exemplo H.11.M.16. Hoc tempus adde tempori pomeridiano hoc modo.

Tempus pomeridia.	H.14.	M.21.
Tempus à meridie.	H.11.	M.16.
Summa temporum.	25.	M.37.
Subtrahe.	24.	
Tempus, quo erigitur thema.	H. 1.	M.37.

Hic animaduertendum est, quòd quotiescunque summa horum duorum temporum excedit H.24. quod H.24. subtrahendę sunt, & reliquo tempore vtendum ad cœli duodecim domos fabricandas, vt infra.

Reperto hoc tempore, vt dictum est, tibi ingrediendum est easdem tabulas domorum ad tuam latitudinem fabricatas, & in prima columna sinistrorsum

inscripta

inscripta tempus à meridie perquirendum tuum tempus inuentum superius, quod est H. 1. M. 37. si hoc adest, etsi non adest, tibi utendum est proximiori minori, si erit vicinius, quàm maius, vel maiori, si erit vicinius, quàm minus. Nostro autem in exemplo tempus proximum minus est H. 1. M. 36. sec. 25. proximum maius est H. 1. M. 40. sec. 12. cum autem minus sit proximius, eo vtor, & numeri, qui sunt è regione huic tempori, cum sint sex in sex columnis sinistrorsum tibi dant sex cuspides domorum ascendentium, 10. scilicet 11. 12. 1. 2. 3. sex autem aliæ descendentes per opposita signa, & signorum gradus inscribuntur in quadrangulari figura, vt in primo libro docuimus. in nostro exemplo decimæ domus cuspis erit gr. 26. ♈. 11. gr. 7. ♊. 12. gr. 14. ♋. primæ gr. 10. m. 17. ♌. 2. gr. 2. ♍. 3. gr. 25. ♍. alias verò per opposita.

Hoc modo figura cęlestis erecta reliquum est, vt planetæ inscribantur in zodiaco suis locis. Quod vt rectè fiat, duo tibi animaduertenda sunt, locus zodiaci, in quo sunt in meridie, idest, initio eius diei secundum astrologos, cuius cœlestis thematis figuram habere vis. alterum est, quantum profecti sunt per zodiacū post meridiem in his horis, quas post meridiem habes, si post meridiem vis figuram erigere: in meridie enim si erigas figuram, imponantur planetæ, prout se habent in ephemeride. Primum igitur absque labore in ephemeridibus habes inuento priùs anno, mense, & die, & è regione habebis locum omnium planetarum, vt se habent in cœlo in meridie eius diei, quod principium diei apud astrologos sæpius dixi.

Vt autem scias, quantum perfectè discesserint post meridiem ab eo loco, in quo sunt in meridie sic agendum est. Priùs in pagellam transferas oportet locum singulorum planetarum seorsum. Deinde singulis ijs locis addendum est tantum spacij zodiaci, quantum singuli planetę progredi possunt ijs horis, quas post meridiem habes, quæ in nostro exemplo sunt H. 14. M. 21. Hoc autem spacium sic inuenitur, subducatur loco planetarum diei, in quo quærimus cęli situm à locis planetarum sequentis diei, quod reliquum est, motus est Planetarum in H. 24. quo cognito, considera partem proportionalem, quæ contingit 14. Horis, id illud erit, quod addito locis planetarum tibi dabit verum eorundem locum. Exemplo res fiet illustrior, idque in ☉, & ☽.

Locus Solis die 10. est	gr. 17.	M. 32.	52. ♍.
die 9	gr. 16.	M. 34.	25. ♍.
Motus diurnus ☉	gra. 0.	M. 58.	27.

Sic rationem distribuas.

H. 24. gr. 0. M. 58. 27. H. 14. M. 21.

Si laborem effugere vis ratiocinandi, vtendique tabulis, quas in ephemeridibus habes, animaduertas, quòd qualibet hora Sol, vt plurimum proficiscitur, M. 2. $\frac{1}{2}$ H. 14. igitur tibi dabūt M. 35. quibus additis loco Solis, conficiunt gr. 17. M. 9.

M.9.♍. Die igitur 9. Septembris H.14. post meridiem ☉ erit eo Zodiaci loco: idem dicendum est de Luna, quæ vt plurimum quotidie proficiscitur gr.12. igitur quibuslibet duabus Horis addideris suo loco m.1. in nostro igitur exemplo addenda sunt m 7. quæ conficiunt grad.18.m.22.♒. si reliquos planetas apposueris, prout se habent in ephemeride non erit inconueniens: præsertim medico: in genesi vero alicuius hanc rationem minimè probo, cognitis singulorum planetarum locis, collocandi sunt in figura singuli in suis Zodiaci locis, prout à te reperti sunt.

De parte fortunæ extrahenda.

In omni penè cœli positu est quidam in zodiaco punctus, qui fortunæ pars dicitur, quòd Astrologi inde præcognoscere dicunt nati fortunam, & genium, Hoc tibi videre licet apud Marsilium Ficinum libro De vita cęlitus comparanda, cap.24. eadem fortunæ pars adhibetur ab Hasfurto lib.3. cap.1. ad inueniendum Almutem infirmi: diligenter igitur, & hæc animaduertenda est, quomodo reperiatur, sed antequàm id tradatur, quid sit prius docendum est. Quæ igitur nihil aliud est, quàm punctus in zodiaco tantum distans à gradu zodiaci ascendente, quantum ☉ distat à ☽, vel ☽ à ☉. Nam in die ducitur à ☉ in ☽; & in nocte à ☽ in ☉, licet semper Ptolemeus extrahat illam à ☉ in ☽.

Cognita fortunę parte, videndum est quomodo reperiatur, cum sit illud, quod tunc scire cupimus. Si vis igitur eam à ☉ in ☽ extrahere, vide primum in tua figura, vt moris est, descripta, quot signa, gradusq; & scrupula, si adsint, ☽ distet à principio Arietis: deinde idem facias de ☉, & spacium Solis subtrahe à spacio ☽, quod reliquum est, illud est spacium, quod debet esse inter gradum ascendentem, & fortunæ partem. sin extrahatur à Luna in Solem, extrahas oportet spacium Lunæ à spacio Solis. illa tamen cautio adhibenda est, vt si numerus superior, ex quo inferior subducendus est, forte fuerit minor ei adhibeas necesse est, 12. in nostro autem exemplo uidere licet, quòd ☉ est in gra.17.m.9.♍, & ☽ in gra.18.m.22.♒. ☽ igitur distat à principio Arietis.

	Signa 7. gra.18. m.22.
☉ distat	*Sig. 5. gra.17. m.9.*
	Sign.2. gra.1. m.13.

Distantia ☉ à ☽.

Hac distantia cognita, videndum quo loco cadat, quod fiet, si ab ascendente proijciatur. id autē hoc modo fiet. Vide in figura erecta quot gradus emergentis signi in Horoscopo supra horizontem ascenderunt, & illos addas distantię superius inuentę hoc modo.

Distan-

Distantia ☼ a ☽ Sig. 2. gr. 1. M. 13.
Gr. 2. ♒ ascend. Sig. 0. gr. 2. M. 0.

Distantia ⊗ ab Horoscopo. Sig. 2. gr. 3. M. 13.

Incipias deinde numerare a signo ascendente secundum signorum seriem, & vbi cadit posterior numerus, ibi pars furtunæ inscribenda est hoc caractre ⊗ quæ in nostro exemplo cadit in gra. 3. & m. 13. ♑ Ex hoc autem loco cognoscuntur ea, quæ superius dicta sunt.

De parte hepatis extrahenda.

Etsi, qui intellexerit, quę dicta sunt de partc fortunæ ex verbis Hasfurti facile intelliget quomodo & pars hepatis inueniatur: tamen, ut studiosis satisfactiã, qui dum superiores libri imprimerentur, id a me contenderunt, & huic rei exemplum apponam. Pars igitur hepatis, vt scriprum reliquit noster Hasfurtus lib. 3. cap. 1. semper extrahitur à ♃ in ♂, & proycitur à ♀. Hoc igitur in nostro exemplo sic se habet; ♂ est in gr. 23. m. 45. ♉. ♃ in gr. 22. m. 29. ♈.

♂ igitur distat à principio ♈. Sig. 1. gr. 23. m. 45.
♃ distat. Sig. 0. gr. 29. m. 29.

Distantia ♂ a ♃. Sig. 0. gr. 24. m. 16.

Hoc autem proijciendum est a loco ♀. quod fiet addendo gradus, quos in suo signo confecit ♀ hoc modo. Distantia ♂ a ♃. Sig. 0. grad. 24. m. 16.
Gradus in quo est ♀ Sig. 0. 5. 22.

Sig. 0 gr. 29. 38.

Cum igitur hic numerus non excedat 30. pars hepatis erit in gr. 29. m. 38. ♊ in quo ♀ est.

FINIS.

Deo soli gloria.

PRIMA ERVDIMENTA

Astrologiæ, quibus vnico intuitu tum signorum, tum planetarum qualitates essentiales, & accidentales breui quodam modo declarantur.

Prima diuisio zodiaci in quatuor Trigonos.

- 1. est ♈ ♌ ♐ *calidus, & siccus, diurnus, cholericus, orientalis.*
- 2. ♉, ♍, ♑, *frigidus, & siccus, femininus, nocturnus, melancholicus, meridianus.*
- 3. ♊, ♎, ♒. *calidus, & humidus, masculinus, diurnus, sanguineus, occidentalis.*
- 4. ♋, ♏, ♓. *Aqueus. frigidus, & humidus: femininus, nocturnus, phlegmaticus, septentrionalis.*

Secunda diuisio: signa sunt aut.

- *Mobilia, siue tropica,* ♈, ♋, ♎, ♑.
- *Fixa,* ♉, ♌, ♏, ♒.
- *Communia siue bicorporea* ♊, ♍, ♐, ♓.

Tertia diuisio: signa sunt aut.

- *Septentrionalia* ♈, ♉, ♊, ♋, ♌, ♍.
- *Australia,* ♎, ♏, ♐, ♑, ♒, ♓:

Quarta diuisio: signa sunt aut.

- *Masculina* ♈, ♊, ♌, ♎, ♐, ♒.
- *Fœminina* ♉, ♋, ♍, ♏, ♑, ♓.

Diuisio domorum.

Cuspides cœli diuiduntur in

- *Angulos siue cardines* 1.4.7.10.
- *Succedentes,* 2.5.8.11.
- *Cadentes* 12.3.6.9.

Quadrantes cœli
- *Orientales* 10.11.12.4.5.6.
- *Occidentales,* 1.2.3.7.8.9.

De planetis.

Planetarum alij ſunt
- *Maſculini,* ♄, ♃, ♂, ☉.
- *Fœminini* ♀, ☽.
- *Promiſcui* ☿, *ſolus.*

Planetarum alij ſunt
- *Diurni,* ♄, ♃, ☉.
- *Nocturni,* ♀, ☽, ♂,
- *Communes* ☿ *ſolus.*

Planetarum alij ſunt
- *Boni ſiue fortunati* ♃, & ♀, *ſed* ♃, *melior.*
- *Mali, ſiue infortunati,* ♄, & ♂, *ſed* ♄ *peior.*
- *Mediocres,* ☉, ☽, ☿.

Planetarum qualitates eſſentiales.
- ♄ *Frigidus, & ſiccus, terreus, & melancholicus.*
- ♃ *temperatus, calidus, & humidus, aereus, & ſanguineus.*
- ♂ *Calidus, & ſiccus, igneus, cholericus.*
- ☉ *Calidus, & ſiccus, cholericus, cum temperamento.*
- ♀ *Frigida, & humida, phlegmatica cum temperamento.*
- ☿ *Verſatilis nunc ſiccus, nunc humidus, melancholicus.*
- ☽ *Frigida, & humida, aquea, & phlegmatica.*



Signa	Domus	Exaltatio	Trigonocratores	Termini seu fines a Ptolemeo approbati.					Facies.			Detrimenta	Casus
	5	4	3			2				1			
♈	♂ D	☉	☉ ♃	6 ♃	12 ♀	20 ☿	25 ♂	30 ♄	10 ♂	20 ☉	30 ♀	♀	♄
♉	♀ N	☽	♀ ☽	8 ♀	14 ☿	22 ♃	27 ♄	30 ♂	10 ☿	20 ☽	30 ♄	♂	
♊	☿ D		♄ ☿	6 ☿	12 ♃	17 ♀	24 ♂	30 ♄	10 ♃	20 ♂	30 ☉	♃	☋
♋	☽	♃	♂ ♀ ☽	7 ♂	13 ♀	19 ☿	26 ♃	30 ♄	10 ♀	20 ☿	30 ☽	♄	♂
♌	☉		☉ ♃	6 ♃	11 ♀	18 ♄	24 ☿	30 ♂	10 ♄	20 ♃	30 ♂	♄	
♍	☿ N	☿	♀ ☽	7 ☿	17 ♀	21 ♃	28 ♂	30 ♄	10 ☉	20 ♀	30 ☿	♃	♀
♎	♀ D	♄	☿ ♄	6 ♄	14 ☿	21 ♃	28 ♀	30 ♂	10 ☽	20 ♄	30 ♃	♂	☉
♏	♂ N		♂ ♀ ☽	7 ♂	11 ♀	19 ☿	24 ♃	30 ♄	10 ♂	20 ☉	30 ♀	♀	☽
♐	♃ D		☉ ♃	12 ♃	17 ♀	21 ☿	26 ♄	30 ♂	10 ☿	20 ☽	30 ♄	☿	☊
♑	♄ N	♑	☽ ♀	7 ☿	14 ♃	22 ♀	26 ♄	30 ♂	10 ♃	20 ♂	30 ☉	☽	♃
♒	♄ D		♄ ☿	7 ☿	13 ♀	20 ♃	25 ♂	30 ♄	10 ♀	20 ☿	30 ☉	☉	
♓	♃ N	♀	♂ ♀ ☽	10 ♀	16 ♃	19 ☿	28 ♂	30 ♄	10 ♄	20 ♄	30 ♂	☿	☿

☉ dicitur in suo termino esse dum peragrat per ♌, ♍; ♎, ♏, ♐, ♑.
☽ est in suo termino dum versatur in ♒, ♓, ♈, ♉, ♊, ♋.

Dignitates planetarum accidentales, & è contra.
- Directus est, cum mouetur secundum seriem signorum.
- Retrogradus, quando contra signorum ordinem.
- Stationarius cum stare videtur.
- Velox cum plus in die progreditur, quàm est eius medius motus.
- Tardus, cum in die minus progreditur, quàm est eius medius motus.

Tabella mediorum motuum.

	G.	M.	secun.
♄	0	2	0
♃	0	4	59
♂	0	31	27
☉	0	59	8
♀	0	59	8
☿	0	59	8
☽	12	11	27

Accidentia planetarum ratione aspectuum.

☌ est quando vel duo, vel plures planetæ in eodem signo, gradu, & minuto vniũtur, idq; fit vel { Partiliter, cum id fit eodem gradu, & minuto signi. Platicè, quod fit intra orbis medietatem.

⚹ Sextilis 2. signa, vel 60. gradus continet. □ Quadratus 3. signa, vel 90 gradus continet. △ Trigonus 4. sign. vel 120 gradus continet. ☍ Oppositus 6. signa, vel 180. gradus continet.	Hi aspectus sunt vel	Platici / Partiles	& vel	Dextri cõtra signorũ seriẽ. / Sinistri scdm signorũ seriẽ.

Horum aspectuum alij sunt. { Boni ⚹, △, sed △ fortior. / Mali □, ☍, sed ☍ peior.

Applicatio ad ☌, vel aspectum, dicitur, quando planeta inferior accedit ad superiorem ita, vt se contingant orbes vtriusque.

Separatio fit, cum recesserit per quantitatem orbis sui: ita tamen, vt se contingant adhuc orbes vtriusque.

Tabella orbium planetarum.

♄	Proijcit radios vltra, & citra.	10
♃		12
♂		7
☉		17
♀		8
☿		7
☽		12, 30.

Accidentia planetarum ratione Solis.

Combustus dicitur planeta, cum à ☉ plus minutis 16. distat, minus verò medietate sui orbis.

In corde Solis dicitur cum Soli proximus fuerit infra 16. minuta vltra, & citra.

Sub radijs esse dicitur, cuius infra 17. gra. ante vel post ☉ fuerit.

Orientalis est, cum matutino tempore ante ☉ ortum super terram apparet.

Occidentalis cum vesperi post ☉ occasum supra terram conspicitur.

Orientales quoque dicuntur Planetæ cum sunt ab horoscopo vsque ad medium cæli, & ab occasu, vsque ad imum cæli. Quo in loco dicuntur etiam masculi.

Occidentales verò, & feminini, cum sunt in reliquis duabus quartis.

Auctus lumine dicitur dum à Sole, vel Sol ab eo elongatur.

Minutus lumine cum ad Solem, vel Sol ad eum accedit.

☽ dicitur

☽ dicitur aucta numeris cum æquatio argumenti additur super medium motũ. quod cognoscitur ex tabulis Alfonsi, Stadij, Prutenicis, & maximè Magini, quas breui habebis ex officina Salamandræ.

Debilitates planetarum essentiales.

Peregrinus est planeta, cum in loco, in quo est, nullam habet dignitatem.
In detrimento est, cum est in signo suæ domui opposito.
In casu est, cum est in signo, quod exaltationi suæ opponitur.

De Lunæ qualitatibus accidentalibus:

Lunæ qualitates accidentales cognoscuntur ex motu.
- Diurno. Nã dum mouetur à domo
  - Prima ad 10. est calida, & humida.
  - Decima ad 7. calida, & sicca.
  - Septima ad 4. frigida, & sicca.
  - Quarta ad primam frigida, & humida.
- Menstruo, à
  - ☌ ad primam □ est calida, & humida.
  - □ prima ad ☍, calida, & sicca.
  - ☍ ad □ secundam, frigida, & sicca.
  - □ secunda ad ☌ frigida, & humida.

Idem iudicium facito de cæteris planetis, seruata tamen pristina, vel essentialis eorum natura, cui vel additur, vel minuitur aliquid ratione eorum situs per hanc doctrinam.

Per quę subijciamur planetis.

Subijcimur
- ♄ Per otium, solitudinem, firmitatem, Theologiam secretiorẽ, philosophiam, superstitionem, Magiam, Agricultura, Mœrorẽ.
- ♃ Per ciuilia, & ambitiosa negocia, philosophiam naturalem, communemq́ue religionem ciuilem, & per leges.
- ♂ Per iram, atque certamina.
- ☉, & ☿ Per studium eloquentiæ, cantusq́ue, & veritatis, & & gloriæ, atque solertiam.
- ☿ Per lętitiam, musicam, atque festiua.
- ☽ Per victum plantis similem.

Virtus
- Atractiua
- Retentiua
- Digestiua, et
- Generatiua
- Expulsiua

roboratur per
- ☽ in ♈, ♌, ♐ respicientem ♃
- ☽ in ♉, ♍, & ♑ intuentẽ ♃
- ☽ in ♊, ♎, ♒ respicientem ♃.
- ☽ in ♋, ♏, ♓ respicientem ♃

Virtus
- Atractiua
- Digestiua
- Retentiua
- Expulsiua

Subijcitur
- ☉. ♂.
- ♃.
- ♄.
- ☽, & ♀.

Hæc

Hæc de virtute naturali, quæ in hepate est.

Virtus
- *Vitalis, quæ in corde est roboratur per res igneas, & aereas, quando ☽ in domiciliis, mansionibusque est similibus, & respicit ♃, vel ♃ & ☉.*
- *Animalis, quę in cerebro est, per aerea maximè subiūctis igneis, & quando ☽ est in domiciliis, vel sedibus consimilibus, & ♃ adspicit: pręsertim si propè complectitur ♃, & ☿.*

Spiritus	*Vitalis*	*Dedicatur*	☉
	Naturalis		♃
	Animalis		☿

☉	*est origo virtutis*	*Vitalis.*
☽		*Animalis.*
♄		*Receptiuæ.*
♃		*Augmentatiuæ.*
♂		*Attractiuæ.*
♀		*Appetitiuæ.*
☿		*Imaginatiuæ.*

De sanguinis missione.

æteris seruatis, quæ infra dicentur, vtile erit sanguinem extrahere cum Luna perambulat eam quartam, quæ est vel ętati, vel complexioni illius, cui sanguis extrahitur, similis ob id, & illud seruatur.

Extrahitur sanguis
- *Purus, oriente Sole.*
- *Cholericus in meridie.*
- *Melancholicus, in occasu Solis.*
- *Phlegmaticus in medio noctis.*

Extrahendus est sanguis.

Phlegmaticis ab omnibus partibus corporis ☽ existente in	♈ *Præter caput*
	♐ *Præter coxas*
Melancholicis ab omnibus partibus corporis ☽ existente in	*Primis* 15. *grad.*
	♎ *Præter nates*
	♒ *Præter crura.*
Cholericis ab omnibus partibus corporis ☽ existente in	♋ *Pręter pectus*
	♏ *Præter pudenda*
	♓ *Præter pedes.*

Ne extrahas sanguinem dum ☽ est in ♊, vel ♌.
Ne tangas membrū ferro Luna existente in signo, quod illi membro dominatur.
Quibus autem membris dominentur habes infra.
♈ habet caput, & faciem.
♉ collum, & gutturis nodum.
♊ humeros, brachia, & manus.

♌ *Ho-*

♌ *stomachum, cor, dorsum, latus.*
♍ *ventrem, & interiora.*
♎ *lumbos, & inferiora ventris vmbilicum, pectinem, verenda, anchas, illia, nates.*
♏ *verenda, testiculos, vesicam, anum, & fœmora.*
♐ *fœmora.*
♑ *genua.*
♒ *crura vsque ad inferiora cauillarum.*
♓ *pedes.*

☽ ☌ *cum*
- ☉ *Sanguinis missionem impedit tres dies ante, & post.*
- ♄ *Per diem ante, & post.*
- ♂ *Vt Saturnus.*
- ♀ *Tantum dum combusta est.*
- ☿, *vt* ♀.

☽ ☍ { ☉, ♄, ♂ } *Impedit per diem ante, & post.*

☽ *in* □ { ☉, ♄, ♂ } *Impedit quoad elongatur ab eis, per grad. 8.*

☽ *Respiciens* ♃ *quocunque aspectu significat commodam sanguinis missionẽ.*

☽ ✶ *aut* △ { ☉, ♂ } *dant commodam sanguinis missionem.*

De medicinis.

Citaturus aluum medicinis.	*solidis*	*accipe*	♓
	liquidis		♏
	Medijs.		♋
Purgaturus per	*inferiora*	*accipe*	♓, ♏
	superiora		♋

In omni purgatione cauebis, ne vllo aspectu ☽ respiciatur à ♄, vel ♂. ille.n. vexat stomachum, hic intestina dissoluit.

Neque Luna sit iuncta vel ♃, vel ♀. Hi enim planetæ ita roborant corpus, vt ab eis medicina superetur.

Neque ☽ sit in ♈, ♉, ♑, in quibus tamen dum est vomitum moue.

Cum aliquam partem corporis purgare vis, caue, ne planeta illi membro dominans sit fortis neq; sit in eius hora: signum tamen dominans illi membro facito vel ascendens, & fortunatum, vel Luna in eo sit.

Cum

Cum alicuius planetæ fauorem habere vis, fac, vt is sit fortis in aliquo angulorum, idque in die, & hora eiusdem planetę, & ijs rebus, quibus ille dominatur, & sit in bono aspectu ad Lunam.

☽ in signis membro pręsidentibus non est irritandum illud membrũ, sed fouendum.

☽ quando Arietem subijt balnea opportunè tentes.

☽ in ♌ ne prouoces vomitum.

☽ in ♎ vtere clysteribus.

☽ in ♒ balnea ne tentes.

In omni actione caue ne facias ascendens signum duodecimæ, 8. vel 6. domus tuæ radicis.

Medicum saturnium, vel Martiũ fugito: sunt enim infelices in suis actionibus.

Septima tuæ radicis cum est afflicta medicum mutato.

Reliquà poterunt studiosi facile colligere tum ex his libellis, tum ex aliis, qui de his rebus tractant. Hæc autem pro tyronibus sint satis.

F I N I S.

Deo soli gloria, Laus, & honor.

